Digitized by Google

~~E VIII 103.~~

VIII. 374.

Digitized by Google

INSTITUTIONES
DE ACTIBUS HUMANIS
EX
JURIS NATURALIS, ET REVELATI
PRINCIPIIS

AUCTORE

PETRO ANTONIO GHIO

DRACONERIENSE

Ex Collegio Theol. R. Taurinensis Athenæi.

AUGUSTÆ TAURINORUM MDCCLXXI.

Excudebant Ignatius Caſaſſus, & Antonius Buſſanus,
& proſtant apud Georgium Moranum
Bibliopolam ad Turrim Civitatis.

PRÆFATIO.

PAucis proloquar qua de cauſſa hoc, quidquid eſt operis, ſuſceperim, ut ſimul teneatur quæ ratio, & finis fuerit conſilii mei, rurſus & quo pertineant, quæ dicturus ſum univerſa.

Multi multa de hoc argumenti genere, quod in Actuum Humanorum inveſtigatione verſatur, & ut in ſe ſunt, & ut comparantur generatim ad morum legem, ſcripſerunt, alii ſola ratione propoſitum executi, alii auctoritate tantum; nec defuere etiam qui utramque ingreſſi demonſtrationis viam Philoſophica ſimul cum Theologicis conjungentes iſtam moralis doctrinæ partem non ſolum illuſtraverint, verum etiam effecerint longe pleniorem.

Mihi vero animus fuit in hoc opere, quæ latius illi, & plerumque ſparſim, ac pro re nata edidiſſent, ad certa quædam capita revocare, ut hæc tractatio inſtitutionis cujuſdam ritu omnia ſummatim complecteretur, quæ ex illis graviora viſa fuiſſent,

atque

atque utiliora. Nimirum id plurimum in rem communem ratus ſum pertinere, ut facilius intelligeretur, & arctius teneretur veritas, quæ nude, ut ajunt, ac ſimpliciter propoſita ſolet vehementius in animos influere, eoſdemque, ita dixerim, ſuaviore ſibi vi conciliare.

Ea de re curavi etiam ordinem in hac cauſſa fortaſſe ſingularem, ut nempe, quantum ferre rerum moralium indoles, atque amplitudo poſſet, omnia inter ſe communi quodam vinculo jungerentur, ut alia quaſi ex aliis nata, ſingula inter ſe apta, colligataque in unum veluti corpus confluerent, & coaleſcerent doctrinæ.

Ad hoc videlicet animum incitavit, quæ inde ſperari poterat, utilitas peculiaris. Dum enim disjuncta ſunt ſingula, etſi quæ dixeris, fuerint inconcuſſa, nunquam tamen in ipſis habebitur æquabilis ille, ac mirificus color veritatis proprius, quo temperantur omnia, ſibique congruunt invicem. Talis eſt nexus rerum, qui in quovis argumento, ac præſertim in doctrina morum ſummopere quærendus, atque curandus eſt. Eo poſthabito, cum nova paſſim pro moris quæſtionibus ſunt aſſumenda principia, tum vero mens plerumque

rumque in rerum intelligentia non proficit, ſed potius obruitur earum pondere, ac varietate, quod non ſemel experimento compertum eſt. Addo hiulca, & varia, quæ quibuſdam in deliciis fuit, ejuſmodi res explicandi ratione non minimum adhuc relinqui aditum ad partium ſtudia, qui tamen occluditur penitus, atque intercipitur, quando conjuncta, & conſequens rerum inductio eſt. Facile eſt enim pro arbitrio in quovis argumento ſeorſim accepto lites movere, diſputare, turbare omnia. At orationem deducere, tenere proditam primis initiis, & ad exitum uſque conſentientem ſententiam, id vero non eſt, niſi ſolius, ad quam animus intenditur, veritatis, quæ uſquequaque ſimilis ſibi perpetuo reſpondet, & in omnibus ſui partibus cohærens extraneis contentionibus, & adminiculis non eget.

Inter hæc ſingulis quibuſque capitibus, ſeu potius numeris, quibus interſcripta tractatio eſt, ubi res poſtularet, quædam quaſi extra ſeriem inſtitutionis ſubjicienda eſſe putavi, tum ut uberior dictis lux, & confirmatio accederet, tum ut jucundior etiam fieret diſputatio, quæ arida nimium videri potuiſſet, ac jejuna perpetuæ argu-

mentationis

mentationis nexibus implicata. Qua in re etiam hac ſcribendi ratione veritati, ac legentium bono proſpexi; quippe non ſolum veteris, ac recentioris philoſophiæ luminibus propoſitam illuſtrare doctrinam curavi, ſed præcipue etiam in hac cauſſa noſtri temporis Incredulorum impetus frangere conatus ſum, ubi aliquod morum dogma aggrederentur, immo etiam, quoties e re foret, eorum ſententias, & argumenta producere inſtitui, quando ad tuendum aliquod morum caput non incongrua viderentur, aut aliena. Mirabilis profecto ars, quam & a veteribus Patribus accepimus, illos refutandi, dum eo modo non ſolum error profligatur veritatis robore, verum etiam ſecum ipſe committitur pugnans, ut quaſi inteſtino bello diſcerptus ſuis idem viribus ruat.

Atque in hac quidem re perficienda nolim, ut quis ſuccenſeat mihi, quia ſæpius etiam profanorum hominum auctoritate uſus ſim. Cum enim hæc a philoſophico, quod cepi, inſtituto, aliena non ſunt, tum eo etiam conducunt maxime, ut animadvertatur quæ ſit inter juris naturalis, & revelati principia, de quibus etiam dicere aggreſſus ſum, conjunctio, atque analogia. *Profani*, aje-

bat

bat ad rem Aug. lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 19., *ſi quid bene dixerunt, non aſpernandum; neque enim*, inquit, *& literas diſcere non debuimus, quia earum repertorem dicunt eſſe Mercurium, aut quia juſtitiæ, virtutique templa dedicarunt, & quæ corde geſtanda ſunt, in lapidibus adorare maluerunt, propterea nobis juſtitia, virtuſque fugienda eſt; immo vero quiſquis bonus, veruſque chriſtianus eſt, Domini ſui eſſe intelligat, ubicumque invenerit veritatem.* Non enim veritas ab hominibus efficta eſt, ſed animadverſa, & notata tantummodo in rerum ratione perpetua, quæ ideo ſolius Dei opus eſt, qui eamdem quaſi inſeruit rebus, ut illam poſſent homines vel diſcere, vel docere. Hinc ſicuti qui narrat ordinem temporum, non eum ipſe componit; & qui locorum ſitus, aut naturas animalium, vel ſtirpium, vel lapidum oſtendit, non res oſtendit ab hominibus inſtitutas, ſicut nec ille, qui demonſtrat ſydera, eorumque motus; haud aliter quiſquis veritatem ediſſerat, quemadmodum non ipſe facit, ut ita ſit, quod dicit, ſed tantum ita eſſe demonſtrat, ſic veritas, quam notat, aut loquitur, non ipſius, ſed Dei tantum eſt, a quo ut res omnis, ſic & quævis veritas, a quocumque dicatur, profecta eſt.

Hæc

Hæc porro ſunt, quæ veritatis cauſſa, & in eorum gratiam, qui ad hæc ſtudia animum appellerent, in perdifficili hac moralis doctrinæ parte mihi perficienda propoſui. An res, uti concepta mente fuit, ita ſub manus ceſſerit, aliorum judicium erit. Puto tamen ſemper in pretio futurum id conatum fuiſſe, quod videlicet in honeſta cauſſa licuit vehementer optare. Interim rerum tractandarum ordinem generatim ipſius operis, qui proxime ſequitur, proſpectus indicabit, ſeriem vero eorum, quæ in ipſo continentur, eidem ſubjectus index locupletior. Id unum nunc poſtulo, ut quoniam ea eſt connexorum ratio, ut alia ex aliis lucem accipiant, & munimen, non antea quiſquam de re ipſa judicet, quam cognoverit univerſa.

INSTI-

INSTITUTIONES
DE ACTIBUS HUMANIS
EX JURIS NATURALIS, ET REVELATI
PRINCIPIIS.

UT certo ex ordine procedat, quam inſtituimus, tractatio, eam ad ſumma quædam capita revocamus in totidem partes tributa. Primo enim conſiderámus actus humanos in ordine phyſico, ſeu prout ab homine ex datis facultatibus, certoque modo eliciuntur, & fiunt; quod ad naturam ipſam pertinet actus humani: deinde eoſdem inſpicimus in ordine morali, ſeu ſecundum rationem, quam habent ad morum legem, ex qua fit, ut boni, vel mali in eo ordine habeantur, & ſint: tertio inquirimus, quomodo cognoſci actuum moralitas poſſit, ſeu eorundem bonitas, vel malitia, ut ad legem ſunt, ſimulque agimus de ejuſdem cognitionis neceſſitate, & uſu: quarto de eorundem actuum imputatione quæritur, quæ homini fit, ut morales, ſeu boni, vel mali ſunt: tandem de eorum merito, vel demerito agimus per comparationem ad præmium, vel pœnam lege conſtitutam, ut tulerit eorundem actuum natura. Quæ omnia ubi explicata fuerint, erit per nos, quoad poſſumus, propoſito ſatisfactum. Itaque ad rem.

PARS I.

DE ACTIBUS HUMANIS

In ordine phyſico conſideratis.

I.

ACTUS humanus dicitur, qui ab homine eſt, non utcumque, ſed agente ut homo eſt (*a*); qui enim procedit ab homine, ut ſimplex eſt agens, hominis potius dicitur, ſeu organicus actus, quam humanus, ſive ex eorum ſit genere, qui ſingulari quadam ratione in ſolam naturam humanam cadere poſſunt, ut ridere, loqui, & ſimilia; ſive ex aliis, qui diverſis quoque ab homine naturis competunt, ſicut manducare, bibere, & alia generis ejuſdem.

Nimirum quidam actus ſolius naturæ humanæ ſunt proprii, nec inferioribus aliis naturis conveniunt, ex quacumque demum cauſſa organica id fiat, quemadmodum de locutione, & riſu explicavit Ariſtoteles lib. 4. de hiſt. anim. cap. 9., & de partibus anim. lib. 2. & 3. cap. 10. & 16. Poſſunt alia iis ſimilia accenſeri, ut eſſet, ex. gr., fletus. Horum ſiquidem, aliorumque ejuſmodi actuum non veritatem, ſed ſimilitudinem tantum quandam præſeferre bruta animantia animadvertit Lactantius lib. divin. Inſt. 5., quemadmodum & Ariſt. de hiſt. anim. lib. 8. cap. 1. in plurimis eorum nonniſi *veſtigia quædam* agnoſcens *morum animi humani*. Cæterum etſi actus prædicti omnes, & qui recenſeri adhuc poſſent,

(a) *Quid ſit actus hominis.*

poſſent, ſolius hominis proprii ſint, non continuo tamen ſequitur, quod accurate diſtinguendum, eos humanos eſſe, niſi fiant modo agendi hominis proprio, quatenus ſcilicet ille agit, ut homo eſt, quod mox explicabitur.

II.

Homo intelligitur agere, ut homo eſt, quando per eas facultates agit, quibus eſt homo (*a*). Ut enim per certas facultates homo, qua talis, ab aliis naturis diſtinguitur, & in propria velut ſpecie conſtituitur; ita quæ ex uſu facultatum ejuſmodi proveniunt actiones, ſingulari ratione humanæ dicentur, quia aliis agentibus convenire nequeunt, ſed ſoli homini. Ex quo enim exiſtit hominis ab aliis diſtinctio, planum eſt ab eo etiam propriarum ejuſdem actionum rationem eſſe repetendam.

Atque hic, ut patet, conſideramus hominem tantum in comparatione ad alias naturas nobis notas, eaſque ipſo homine inferiores, cujuſmodi ſunt bruta animantia, a quibus præcipue diſtinctionem hominis urgemus; neque enim ex. gr. de Angelis loquimur, quorum præſtantior eſt natura, de quibus propterea ſi quid novimus, alterius eſt ordinis, neque ad hanc, quam ſuſcipimus de actibus vere, & proprie humanis, quæſtionem debet revocari.

III.

Facultates porro ejuſmodi, quibus homo ab aliis naturis diſtinguitur, & in propria velut ſpecie conſtituitur, cenſentur *intellectus*, qui etiam *ratio* dicitur, & *voluntas* (*b*). Eas enim homo in ſemetipſo

 per-

(a) *Actus humanus, qui deſcendit ex facultatibus ſolius hominis propriis.*

(b) *Facultates hominis propriæ intellectus, & voluntas.*

perſentit, dum intelligit, & vult, ſeu diſtinctæ revera inter ſe ſint, ſeu diſtinguantur tantum ratione objectorum, ad quæ ſe ſe applicat hominis animus. Hæ autem ita communi judicio ſemper habitæ fuerunt hominis propriæ, ut earum præſertim cauſſa agnita perpetuo fuerit hominem inter, & belluas vel ſola, vel præcipua diſtantia.

Appellamus autem hac in re ad commune judicium, ne cogamur nunc rem philoſophicis rationibus tranſigere, quod nimis longum eſſet, nec ex operis inſtitutione. Id inter alios egregie præſtitit clariſſimus P. Gerdil, *Diſſertazione dell' origine del ſenſo morale; Recueil de diſſert. III. Eſſais ſur les caractères diſtinctifs de l'homme, & des animaux brutes &c.* Neque porro verendum eſt, ne commune illud judicium infirmetur paucorum Materialiſtarum diſſenſu, qui hac ipſa de cauſſa ceu humanæ dignitatis oſores peſſime ſemper apud omnes audierunt. Immo quod maxime rem, cauſſamque continet, iidem ipſi, qui memoratas facultates belluis etiam concedunt, coguntur eas ſaltem ut excellentiores in homine agnoſcere, vel intuitu objectorum abſtractorum, ad quæ tantum aſſurgunt in homine, vel ratione perfectionis earundem, ex quacunque cauſſa illa adveniat, & vel ex ipſa aptiore organorum ſtructura, & ordine, ut cogitavit Helvetius *de l'eſprit diſc.* 1. *ch.* 1. Scilicet hæc ſemper demonſtrant facultates illas, ut in homine ſunt, brutis non ineſſe, indeque ſatis hominem ab iiſdem diſtingui; quod ſufficit ad præſens inſtitutum.

IV.

Itaque actus humanus generatim erit, qui ex uſu talium facultatum, ſcilicet intellectus, & voluntatis

luntatis ab homine fit; qui actus propterea ita ſolius hominis eſt proprius, ſicut ejus tantum propriæ ſunt facultates, a quibus proficiſcitur (*a*). Hinc propterea ſiquid aliud fiat quocumque modo, ſed ex nullo intellectus, & voluntatis uſu, ſive quia nondum per ætatem iſte uſus haberi queat, ſive quia interceptus, aut præoccupatus quaqua de cauſſa fuerit, illud, inquam, ad actus humani naturam minime pertinebit.

Sic ad actus humani naturam non pertinent actiones infantium, aut puerorum, quibus rationis uſus nondum advenit; nec actus ſomniantium, delirorum, ac phreneticorum, quo tempore nullum ipſis affulget lucidum intervallum; ac tandem neque actus humani ſunt qui incogitanter omnino fiunt, ut qui procedunt tantum *ex quadam imaginatione, non a ratione deliberativa*, ut loquitur D. Th. 1. 2. qu. 18. a. 9., quibus accenſeri poſſunt motus omnes, qui in nobis excitantur ſine nobis, quique adeo *primo primi* dicuntur, quod nihil ad eos ratio contulerit. Ubi autem ratio, ſeu intellectus nihil concurrere deprehenditur, ibi nec proprie concurrit voluntas, quæ nimirum *appetitus rationalis* dicitur, quia rationem ſequitur; quamobrem accurate ſecernenda, quæ a voluntate fiunt ab iis, quæ ex appetitu tantum ſentiente, aut naturali proveniunt, quæque ideo a voluntate non ſunt. V. D. Th. 1. p. q. 78. art. 1., 1. 2. q. 56. a. 6., & alibi.

V.

Officium porro intellectus eſt cognoſcere, voluntatis velle; propterea actus cuique facultati reſpon-

(a) *Uſus prædictarum facultatum neceſſarius ad actum humanum.*

dens generatim cognitio eſt, & volitio (*a*). Cognitio in genere habetur per quandam apprehenſionem rei, quæ latiſſime patet, atque ad perceptionem quamvis, alioſque omnes intellectus actus pertinet. Volitio vero intelligitur per motum quendam, tendentiam, ſeu niſum voluntatis in objectum apprehenſum, qui ideo motus & appetitionem complectitur, & omnem determinationis actum. Itaque actus humanus, ut ab iis facultatibus exercetur, erit, qui ex cognitione eſt intellectus, & voluntatis aliquid appetentis, ſeu volentis determinatione.

Atque hoc ipſum eſt, quod D. Th. *rationem deliberativam* appellat, nimirum intellectus cognoſcens, & voluntas ſe ſe determinans; ut ideo actus, qui ex tali ratione deliberativa non eſt, proprie loquendo non ſit *humanus*, ut ipſe obſervat, quum hoc habeat actus a ratione, & conſequenter a voluntate, quemadmodum ſupra explicavimus, ſed potius ſit quaſi extra genus humanorum actuum exiſtens. 1. 2. q. 18. ar. 9.

V I.

Sed intellectus ſemper præcedit in cognitione voluntatis motum; voluntas vero in ſui ordine, & proprii actus exercitio intellectus ſequitur cognitionem (*b*). Ergo concipi poteſt actus humanus tantum ex parte intellectus omnem determinationem voluntatis antevertens, cujuſmodi eſt ſimplex perceptio cujuſque rei; nunquam vero actus humanus tantum ex parte ſolius voluntatis, quem ſcilicet non anteverterit actus intellectus. Atqui completa in ſuo

(a) *Actus intellectus, & voluntatis qui.*

(b) *Natura actus humani completa in eo, quod ſit voluntarius.*

ſuo genere actus humani natura intelligitur, ubi utraque facultas concurrit, unde exiſtere actus humanus poteſt. Ergo non in ſolo intellectus actu, qui ſeorſim a voluntate eſſe poteſt, ponenda eſt completa actus humani natura, ſed potius in actu voluntatis, qui nunquam eſſe poteſt ſine intellectus actu, adeoque præconcipit utriuſque facultatis concurſum, ex quo actus dicitur humanus.

Scilicet antequam quidquam velit, aut agat voluntas, oportet, ut illud cognoſcatur; unde tritum ſermone proverbium: *Ignoti nulla cupido*. Quo ſpectat & illud S. Auguſtini lib. 10. de Trin. cap. 1. *Certe amari aliquid, niſi notum, non poteſt*. Actus porro ille, quo primum cognoſcitur aliquid, certe ex nobiliſſima hominis facultate deſcendit, cujuſmodi eſt intellectus, nec tamen ad illum tunc concurrit voluntas, quæ approbare tantum cognitum poteſt, aut non, vel intellectum ſolum magis, minuſve ad ejus conſiderationem applicare, & nihil præterea. Abſurdum autem, ut non dicatur actus humanus, qui ex tali facultate eſt, qua homo in agendo præcipue ab inferioribus naturis diſtinguitur. Ergo cum humanus dici poterit actus ejuſmodi ratione facultatis, a qua procedit, tum incompletus omnino habebitur, quod voluntas ad illum non concurrerit, a qua etiam actus humanus dici ſolet. Quamobrem videtur eum appellari poſſe humanum quoad ſubſtantiam, quia nempe eſt a facultate ſolius hominis propria, non quoad modum agendi ſaltem completum, quia talis eſt, qui a voluntate eſt tanquam a principio; quo fit ut actus prædictus in ſe non ſubſit morali inſtitutioni, neque adeo vitio tribui poſſit, aut laudi, ut ſuo loco patebit.

VII.

VII.

Hinc porro intelligitur, cur tametſi ad actum humanum utraque concurrat facultas, intellectus nempe per cognitionem, & voluntas per ſui motum, atque determinationem; tamen ille *voluntarius* dicatur potius, quam *intellectualis* (*a*). Scilicet dum actum humanum ſimpliciter nomino, completam in genere ipſius naturam indico. Atqui incompleta ejus natura eſſe poteſt ex parte intellectus, quoniam ejus actus aliquis concipi ſine voluntatis concurſu poteſt; nunquam vero incompleta ex parte voluntatis, quia ſemper ejus actui aliquomodo præivit intellectus. Ergo merito actus humanus in genere potius voluntarius, aſſumta a voluntate appellatione, dicitur, quam intellectualis ab intellectu, quum ille ſemper completus in ſuo genere intelligatur, iſte poſſit aliquando eſſe incompletus.

Nimirum actus humanus plerumque, & frequentius definiri ſolet, qui eſt voluntarius, unde D. Thomas 1. 2. q. 71. art. 6. *ex hoc* inquit *aliquem actum habere, ut ſit humanus, quod voluntarius ſit*. Sed, ut dixi, tunc accipitur actus humanus, ut talis ſecundum completam ſui naturam intelligitur, quo ſenſu & moralis aliquando nominatur. Cæterum negari nequit, quin & aliquomodo humanus ſit, qui ab intellectu profectus voluntatis motum omnem antevertit, & *rationalis* dicitur, cujuſmodi eſſet perceptio ſimplex, cogitatio, judicium etiam, prout non eſt a voluntate imperante; quia ſcilicet eſt a facultate ſolius hominis propria; licet non ſit perfecte humanus, quia, ut

ponitur,

(a) *Cur actus humanus dicatur potius voluntarius, quam intellectualis.*

ponitur, non eſt voluntarius. Id innuere viſus eſt idem S. Doctor, quando agnovit aliquem actum rationis voluntatem præcedere, ex quo fit, ut motus voluntatis conſequens dici poſſit *rationalis*, & ex adverſo aliquando voluntatem movere, & præcedere rationem, ut quum ipſa applicat intellectum ad aliquid vel primo quærendum, vel inveſtigandum accuratius; quo in caſu actus rationis dicitur *voluntarius*. Vid. 1. 2. q. 74. art. 5. ad 2.

VIII.

Habemus itaque actum humanum proprie, ſeu in ſui natura, & genere completum (*a*), non qui præceſſit, aut excluſit omnem voluntatis motum, & determinationem ex parte intellectus, ſed qui poſtea ex data ejuſmodi cognitione a voluntate eſſe aliquomodo intelligitur, unde & ſimpliciter dicitur *voluntarius*, licet antegreſſa cognitio non excludatur, uti ſupra explicatum eſt.

Hoc enim importat, ait D. Th. 1. 2. q. 6. ar. 1., *nomen voluntarii, quod motus, & actus ſit a propria inclinatione cum additione ſcientiæ. Unde quum homo maxime cognoſcat finem ſui operis, & moveat ſeipſum, in ejus actibus maxime voluntarium invenitur*. Itaque ad voluntarium utrumque requiritur & cognitio intellectus, & motus, ſeu inclinatio voluntatis. Quamobrem ſiquis in aliquid tendat, non tamen ex prævia aliqua cognitione proprie voluntarium non habetur, ſed *ſpontaneum*, quod tunc eſſe dignoſcitur, quando quidquam nulla vi cogente, ſed ex naturali tantum inclinatione fit. Hinc diligenter ſpontaneum a voluntario diſtinguendum, quam-

(a) *Quid actus humanus in ſui natura, & genere completus.*

quamquam aliquando id nominis promiſcue accipiatur, ut quum S. Auguſtinus primorum hominum defectum a Deo *ſpontaneum* appellavit lib. 14. de civ. Dei c. 13., nimirum *voluntarium* intelligens.

IX.

Jam vero duplici modo aliquid a voluntate proficiſci poſſe intelligitur, vel tanquam ab eliciente principio, vel tanquam a principio imperante (*a*). Tunc ab eliciente principio eſt, quando voluntas ſe ſola (ex prævia ſemper cognitione) illud exerit, ut propriam, nativamque actionem. Ejuſmodi eſt ipſum *velle*, quoquo demum iſte voluntatis actus dirigatur. Tunc autem aliquid eſt a voluntate, ut a principio imperante, quum illud efficitur alterius quidem facultatis, ſeu potentiæ uſu, ſed ex voluntatis motu, ac veluti juſſione ejuſmodi facultatem, aut potentiam ad illud, quod vult, applicantis. Conſtat enim ex intimo ſenſu voluntatem non ſe ipſam tantum ad aliquid movere, ſed etiam ad illud ipſum, quando res poſtulet, movere, atque adjungere alias facultates poſſe, quæ in homine ſunt. Hinc proinde actus humanus, ſeu voluntarius, qui a voluntate eſt tanquam ab eliciente principio, *elicitus* dicitur; qui ab ea tanquam a principio imperante eſt, *imperatus* conſuevit appellari.

Non abludit Angelicus: *Actio aliqua*, inquit 1. 2. qu. 1. ar. 1., *dupliciter dicitur voluntaria, uno modo, quia imperatur a voluntate, ſicut ambulare, vel loqui; alio modo quia elicitur a voluntate, ſicut ipſum velle*. Hinc etiam alibi, nimirum q. 71. a. 6. actum

(a) *Actus humanus, ſeu voluntarius, alius elicitus, alius imperatus*.

actum voluntarium, ſeu humanum tribuit in elicitum a voluntate, & imperatum; hac tantum differentia, quod poſteriore loco præter ipſum *velle* ad actum elicitum revocet etiam *eligere*. Cæterum res in idem recidit. Eligere enim nihil eſt aliud, quam unum præ alio accipere, quod prout ad voluntatem refertur, eſt unum præ alio velle. Hinc omnes actus eliciti a voluntate tandem ad ipſum velle revocantur, velle hoc, aut velle illud, ex quo etiam ipſa omiſſio volendi, aut agendi, habetur voluntaria, ut infra ſuo loco explicabitur. Idem dici poteſt de *intentione*, *conſenſu*, *uſu*, *fruitione*, qui ut actus eliciti omnes ad ipſum velle revocari queunt. Vid. Heinec. Elem. Phil. mor. par. 2. cap. 2. ſect. 1. §. 30.

X.

Sed facultates, quas agere, & movere voluntas poteſt (licet ſemper in ordine ad propria earundem objecta), quæque propterea in hac parte ipſius imperio ſubduntur, aliæ interiores ſunt, ut intellectus, & phantaſia; aliæ exteriores, cujuſmodi ſunt organa ſenſuum, & corporis membra (*a*). Et quidem intellectus ſubjicitur voluntatis imperio qua parte poſt ſimplicem cujuſque rei perceptionem poteſt ab ipſa magis, minuſve ad ejus conſiderationem applicari, vel applicari ad hoc, aut illud, quod ipſi lubet, aliquo modo præcognitum; phantaſia vero etiam ſubjicitur, qua parte applicari poteſt ad has, vel illas rerum materialium ſpecies retinendas, aut revocandas, diſcernendas, aut componendas. Id, quod etiam multo facilius intelligitur de certis organis, membriſque corporis, quibus uti tanquam inſtrumentis ad aliquid efficiendum

(a) *Actus imperati alii interiores, alii exteriores.*

dum poteſt. Hinc propterea ex actibus voluntatis imperatis alios *interiores* dicimus, *exteriores* alios, prout data facultas, ſeu potentia, interior ſcilicet, vel exterior applicata eſt a voluntate ad aliquid efficiendum.

Et quidem nulla eſt dubitatio, quin intellectus ſubjiciatur voluntati, quatenus poſt primam cognitionem rei poteſt ab eadem applicari ad eam intimius conſiderandam, aut etiam ad aliud, quod voluerit, cognoſcendum. Quo ſenſu ajebat D. Th. ibid. q. 10. art. 4. *poſſe aliquem de quocunque objecto non cogitare*, ac per conſequens cogitare etiam, ſi velit. Hinc propterea etſi ſimplex repræſentatio rei, ut ex objectorum externorum impreſſione per ſenſus in intellectum incurrit, a voluntate per ſe, & immediate non pendeat, ab illa tamen pendere poteſt actus, & gradus attentionis, quo intellectus in ejuſdem contemplatione defigitur; quo ſane pacto *determinationem ad cogitandum*, *aut judicandum ſimpliciter* etiam a voluntate repetiit Barbeyracius in not. ad Puffend. de off. hom. & civ. c. 1. §. 9. De phantaſia vero, ſeu imaginatione, quæ prout ideas rerum materialium retinet *memoria*, ut eaſdem revocat *reminiſcentia*, ut diſcernit *judicium*, ut componit *ingenium* dicitur, (Heinecius Elem. Phil. moral. part. 2. cap. 2. ſect. 1. §. 22.) id ipſum omnino dicendum eſt. Etſi enim illa non ſemper agi a voluntate pro arbitrio poſſit, immo quandoque ſit, & maxime in ſomniis, *veluti cymba ſine rectore fluitans*, quemadmodum loquitur idem Barbeyr. ad laudatum cap., tamen in pluribus, & quoad majorem, vel minorem intentionem, aut durationem actus aliquando a volun-

tate

tate pendere intelligitur vel in ſe, vel in cauſſis antegreſſis. Nihil vero neceſſe eſt dicere de corpore, ejuſque facultatibus in ordine ad proprios actus (nulla namque potentia ut extra ſuum objectum, ita neque extra actus ſibi proprios vagari poteſt) quas nimirum quoad exercitium ſubjectas eſſe animæ, adeoque ejus facultati, quæ dominans eſt, & voluntas dicitur, conſtat tum ex intimo ſenſu, tum ex naturali quodam ordine rerum, quo veluti facto quodam Creatoris conſtitutum eſt, ut inferiora ſuperioribus ſubdantur. Hinc Salluſtius in Catilin. *corpus ſervum eſt animi imperio, corporis ſervitio magis utimur*. Vid. Aug. de civ. Dei lib. 9. cap. 9., ubi S. Doctor animam *partem dominantem* appellat, *ſervientem* corpus. Quin etiam multi olim, ut videre eſt apud Heinec. lib. 1. de jur. nat. & gent. cap. 6. §. 141., corpus ceu merum hominis inſtrumentum habebant, tametſi in hoc peccarent, quod non haberent item ut partem; *Homo enim non eſt corpus ſolum, vel anima ſola, ſed qui ex anima conſtat, & corpore*. De civ. Dei lib. 13. cap. 24. Atque hæc tantummodo de illis facultatibus intelligi debent, quas voluntatis imperio ſubdidit naturæ auctor Deus, quibuſque dirigendis ipſa idonea eſt, non autem de aliis organis nullo modo ejus ordini ſubjectis. Unde voluntas poteſt ex. gr. imperare brachio, ut ſe extendat, non autem ſanguini, ne circulum ſuum abſolvat, aut ſtomacho, ut concoquat cibum. Heinec. Elem. Phil. mor. ut ſupra §. 30. in notis.

X I.

At quidquid demum velit, aut agat voluntas, ſeu per ſe tantum, ſeu adjunčto aliarum facultatum uſu, illud non vult, niſi quia ipſi exhibet rationem boni (*a*). Neque enim alia cauſſa determinans excogitari poteſt, cur in hoc potius, quam in illud feratur voluntas, niſi quia hoc præ illo ipſi magis placet, atque adeo in data hypotheſi hoc præ illo magis habere videtur rationem boni. Quum autem illud, quod per ſe movet voluntatem, & in cauſſa eſt, cur velit, comparate ad voluntatem ipſam habeat rationem finis, conſequens eſt bonum ipſum, quod voluntatem movet, ipſamque ad ſui proſecutionem adducit, reſpectu voluntatis rationem finis obtinere. Hinc propterea actus humani, ſeu voluntarii quidam, qui in finem proxime ſpectant, ſeu in bonum, quod habet rationem finis. Ejuſmodi porro ſunt *ſimplex volitio*, qua finis, ſeu datum bonum placet, *intentio*, qua de ejus aſſecutione vividius cogitatur, & *fruitio*, qua tandem in fine, ſeu in bono adepto voluntas conquieſcit.

Voluntas etenim ex ſui natura tendit in bonum, quod ejus eſt objectum, ut ideo eadem ipſa dicatur *appetitio boni cum ratione conjuncta*, Ariſt. 1. Rhet. 10., neque alia ratione fertur in aliarum facultatum objecta, amatque ex. gr. verum, niſi quia ſub ſpecie boni ipſi repræſentantur. Hoc ideo fit, quia homo natura ipſe ſibi conciliatus eſt, ſuumque ſtatum diligit, adeoque in id omne movetur, quod ipſum perficere, conſervare, ac delectare queat, cujuſmodi eſt, quod venit ſub idea boni,

(a) *Ex actibus humanis, ſeu voluntariis quidam ſpectant in finem &c.*

boni ; Heinec. de jure nat. lib. 1. c. 1. §. 1. &c. Quum autem id, in quod tendit data facultas, habeat reſpectu ipſius rationem finis, patet inde, quemadmodum bonum revera ſit, & dicatur finis voluntatis. D. Th. 1. 2. q. 8. ar. 1. & 2. Hinc qui malum ſibi arceſſunt, non id quidem faciunt ſub ratione mali, ſed potius, quia illud ſibi pro eo tempore, rerumque adjunctis videtur bonum, aut ſaltem minus malum in conſpectu majoris, quo in caſu quod levius malum videtur, boni locum obtinet. Accidit hoc præſertim iis, qui portento quodam erroris, aut deſperationis abrepti ad interitum voluntarium ruunt, quem nempe intuentur ut graviorum malorum finem. Rem declaravit Auctor libri, cui titulus *Philoſophe Payen tom.* 1. *liv.* 1. *lett.* 12., ubi deſcribens ex Plinio quæſitam a Corellio Rufo mortem animadvertit quotquot in ejuſmodi facinora prolabuntur, nonniſi falſa quadam idea circumduci *intolerabilis*, & *irreparabilis*, ut ipſi putant, *mali*, quo affliguntur. Cæterum demta ejuſmodi falſa ſpecie, aut alia perſimili, qua quidquam præſtantius vita judicetur vel per errorem, ut accidit illi Poetæ, de quo Horatius *in Arte Poetica*, qui famoſæ mortis amore ardentem Ætnam inſiluit ; certe per ſe ipſam mors nulli bona videri poteſt; *habet enim aſperum ſenſum, & contra naturam vis ipſa, qua utrumque divellitur*, anima ſcilicet a corpore, *quod fuerat in vivente conjunctum, atque conſertum.* Aug. lib. 13. de civ. Dei cap. 6.

XII.

XII.

Porro ex amore finis naſcitur etiam naturali quodam ordine amor mediorum (*a*). Quum enim ſine certis mediis finis obtineri nequeat, conſequens omnino fit, ut qui vere finem vult, media etiam velle debeat, quibus oportet eundem comparari. Hinc porro, quemadmodum voluntas, ut concipitur, finem vult, ſeu bonum, in quod fertur, ſic etiam naturali ordine media velle debet, quibus ad illud itur tanquam ad finem. Ex quo propterea patet alios actus humanos, ſeu voluntarios eſſe, quibus media attinguntur ad finem ipſum ordinata. Ejuſmodi vero ſunt *conſenſus* voluntatis de aſſumendis mediis opportunis, *electio*, qua unum præ alio aſſumitur, & *uſus*, quo reapſe media ad propoſiti finis conſecutionem adhibentur. Quum autem media non adhibeantur propter ſe, ſed tantum ratione finis, ſeu boni propoſiti obtinendi, liquet etiam ex actibus humanis alios ad alios ordinem habere tanquam media ad finem conſequendum, quouſque in hujus fruitione voluntas conquieſcat.

Certe qui vere vult finem, etiam vult media ad eundem ducentia, & quidem eo libentius, quo facilius, tutius, aut cumulatius eorum ope finis obtineri poteſt. Quum enim ſine illis, ut ponitur, finis acquiri nequeat, niſi inordinata fingatur voluntas, ſub ipſo amore finis & media concludi debent ad illum neceſſaria; maxime quum *ad ea omnia*, ut ait D. Th., *ſe extendat unaquæque potentia, in quibus inveniri poteſt quocunque modo ratio ſui objecti ... ratio autem boni* (*quod eſt objectum potentiæ voluntatis*) *inveniatur non ſolum in fine, ſed etiam*

(a) *Quidam actus humani ſpectant in media.*

etiam in iis, *quæ ſunt ad finem*, hoc ipſo ſcilicet, quod ordinem habent ad illum. 1. 2. q. 8. ar. 2. Cæterum quum finis ſit, qui ut propter ſe bonus apprehenditur, atque ut talis intenditur a voluntate, ea vero, quæ ſunt ad finem, ſeu media, non habeantur ut bona per ſe, ſed ſolum propter ordinem, quem habent ad finem; ſequitur quidquid demum in mediis volumus proprie non aliud eſſe, niſi finem ipſum, ad quem per media contendimus. Quo fit, ut reſpectu mediorum locum non habeat, quod *fruitio* dicitur, ſed *uſus* tantum. Fruitio enim ſolum refertur ad finem jam adeptum; uſus vero ad media conſtringitur, quibus pervenitur in finem. Eo ſenſu S. Auguſtinus lib. 11. de civit. Dei cap. 25. *ea re*, inquit, *frui dicimur*, *quæ nos non ad aliud referenda per ſe ipſam delectat*; *uti vero ea re*, *quam propter aliud quærimus*.

XIII.

Sed non poteſt voluntas in bonum tanquam in finem ferri, nec per conſequens in media ad illud ducentia, niſi bonitatem ipſam objecti apprehenderit per intellectum, quum, ut antea dictum eſt, in incognitum moveri nequeat voluntas, quæ tantum *oritur ex intelligentia*. S. Auguſt. lib. 14. de Trinit. cap. 8. (*a*). Hinc apprehenſio hujus bonitatis conditio eſt neceſſaria, ſine qua voluntas non moveretur. Jam vero hæc apprehenſio ratione ſui clarior eſſe poteſt, vel obſcurior, quemadmodum ratione objecti poteſt eſſe apprehenſio majoris, vel minoris boni, atque ideo major, vel minor etiam

(a) *Ex actibus humanis alii magis*, *alii minus voluntarii*.

eſſe poterit in ratione voluntarii ipſius voluntatis motus, proportione habita ad majorem, vel minorem cognitionem objecti, ſicut etiam ad majus, vel minus bonum, quod menti obverſatur. Idcirco ex actibus humanis ſimpliciter, & ſecundum ſe voluntariis, ut inter ſe conferuntur, *alii magis*, *alii minus voluntarii* erunt, prout ex majore, vel minore perſpicientia egit voluntas, aut ex majore, vel minore inclinatione, & niſu pro ratione boni, quod mente perceptum eſt. Hinc comparate ad voluntarii gradus, ſeu intentionem non omnes actus inter ſe abſolute pares erunt.

Apprehenſio eſt, ex qua gignitur opinio, quæ *eſt cognitio quædam a ratione gubernata. Hæc*, inquit Simplicius apud Epictet. Enchir. c. 1., *quum in eorum aliquo verſatur, quod nobis bonum ... eſt, aut eſſe videtur, omnino propenſio ... commovetur, appetitio ſequitur &c.* Ex quo patet propenſionem, quam appetitio conſequitur, proportionem habere ad cognitionem, ſeu opinionem rei, ut bonæ; quæ quidem opinio eſt ex apprehenſione objecti antegreſſa; atque adeo quo res magis cognoſcitur, aut exiſtimatur bona, ſeu conveniens, eo majorem ſolere propenſionem exiſtere, atque ideo vividiorem appetitionem excitari, quæ ideo quia cognitione regitur, magis adhuc voluntaria intelligitur, ubi clarior, ac nitidior ejuſmodi præfulſit boni cognitio; contra, ubi minor cognitio rei, aut minoris extitit apprehenſio boni. Quum autem apprehenſio, ut hoc etiam notemus, unde opinio, aut cognitio exiſtit, ordinem habeat ad datum objectum, percipitur inde, cur vera illa eſſe poſſit, aut falſa, prout cum re ipſa convenit, ut eſt in ſe, aut non convenit,

venit; regula enim cognitionis, ſicut & veritatis cujuſque quoad nos eſt res ipſa, ad quam comparari intellectus debet, ut in ſe eſt. Ex quo principio dignoſcitur quæ ſit plerumque, etiam in moribus, errorum noſtrorum cauſſa: decipimur ſpecie recti, quia *ſæpe latet vitium proximitate boni*.

XIV.

Cæterum aliquando fit, ut ex duobus, vel pluribus bonis apprehenſis alterum obtineri ſimul nequeat cum alio, adeoque alterum involvat neceſſario alterius jacturam (a). Porro autem fieri non poteſt ut quod ſibi bonum cognovit voluntas, in illud aliquo modo non moveatur. Ergo etiam fieri nequit, quin tale bonum pro alterius conſecutione dimittat ſine aliquo contrario motu, ſeu repugnantia. Proinde quum voluntas ſemper feratur in id, quod omnibus inſpectis ſibi majus bonum videtur, atque hoc ipſum ex generali appetitione boni naſcatur; patet hinc quemadmodum, quod uſu ſæpe venit, una appetitio alteram vincat, atque adeo bonum alterum præ alio eligatur, etiam cum alterius diſpendio. Sicut autem quod voluntas libens, & omni ex parte vult, *plene voluntarium* dicitur, *minus* autem *voluntarium*, quod vult cum aliqua repugnantia; ita manifeſtum eſt ex actibus humanis in ordine ad quædam objecta, *alios plene*, & *abſolute voluntarios eſſe*, *alios* vero *tantum ſecundum quid*, ut qui cum aliqua repugnantia fiunt.

Ut intelligatur quid ſit voluntarium *ſecundum quid*, ſolet eorum exemplum adferri, qui vitæ ſervandæ cauſſa tempore naufragii jactum faciunt, in quorum

(a) *Rurſus alii uſquequaque voluntarii, alii tantum ſecundum quid.*

ſcilicet *eſt pectore quiddam*, *quod contra pugnare*, *obſtareque poſſit*. Lucret. de rer. nat. lib. II. verſ. 278. Sed alia etiam produci poſſunt. S. Auguſtinus lib. 5. de civit. Dei cap. 12. & 13. refert ex Salluſtio *Romanos*, *dum laudis avidi erant*, *cæteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate preſſiſſe*, & ſæpe etiam *dominationis*, *aut libertatis cauſſa opes*, *honores*, *immo & vitam ipſam abjeciſſe*, ibid. cap. 18. Qua certe in hypotheſi illorum jactura bonorum ipſis quidem voluntaria erat; ſed tamen quis non aliquam in eorum animis repugnantiam agnoſcat, aut ſuſpicetur, dum cogebantur dimittere, quod etiam amabant, licet ut præſtantius quidquam conſequerentur? Nimirum fiebat tunc, quod ajebat Epictetus apud Arian. l. 17., ut *una appetitio aliam appetitionem vinceret*, *aliamque inclinationem*, *ac propenſionem alia inclinatio*, *ac propenſio*. Sed hic etiam obſervandum eſt voluntarium ſecundum quid ab eo diſtingui, quod ſuperius ſimpliciter *minus voluntarium* diximus ex minore objecti cognitione, aut minore animadverſione boni, quum in illo nulla contraria inclinatio habeatur, ſed remiſſior tantum voluntatis motus, hic vero ea plane exiſtat inclinatio contraria, licet fortiori cedens, ubi majoris boni ratio concurrit.

X V.

Illud autem præterea animadvertendum ex ipſa appetitione boni, in quod fertur voluntas, naſci quoque averſationem mali, quod illi bono opponitur (*a*). Fert id lex ipſa, quæ *contrariorum* dicitur

(a) *Actus humanus eſt*, *ſeu voluntarius*, *ſive quo bonum volumus*, *ſive quo malum averſamur*.

tur, qua fit, ut quum duo ſibi invicem adverſantia ſimul conſiſtere nequeunt, ſe ſeque pellunt mutuo, dum alterum volumus, alterum excludamus neceſſario. Hinc quum voluntas proprio, & originario impetu tendat in bonum, nunquam poteſt in malum ferri cognitum ut tale, ideſt boni, quod ſibi cupit voluntas, inimicum. Quum autem intelligi nequeat hæc averſatio a malo, quin actus aliquis voluntatis interveniat, quo dum ab ipſo refugit, inclinetur in bonum oppoſitum; conſentaneum eſt huic principio dicere revera actus humanos, ſeu voluntarios eſſe, ſive illos, quibus bonum aliquod volumus, ſive alios, quibus malum averſamur.

Ille actus, quo malum averſamur, aptiſſimo vocabulo ſolet *reclinatio* dici, quia dum a malo refugimus, in bonum adverſum inclinamur. Alii hunc actum appellant *noluntatem*. Et ſane quemadmodum Jureconſulti accurate diſtinguunt *non nolle*, & *velle*, l. 3. D. de reg. jur., ita non minus diſcerni debent *non velle*, vel *non appetere*, in quo mera ceſſatio ab actu eſt, & *nolle*, ſeu *averſari*, in quo eſt poſitiva repugnantia voluntatis. Vid. Heinec. de jur. nat. & gent. lib. 1. c. 2. Ex quo liquido patet quemadmodum averſatio non in ſola appetitionis privatione conſiſtat, ſed conjuncta ſit cum aliquo actu poſitivo, quod cum ex ſuperioribus liquet, tum demonſtratum eſt luculentius ab Henrico Kochlero exerc. 1. juris natur. §. 167. & ſeq.

XVI.

Sed quoties proponitur aliquid voluntati ut volendum, aut agendum, quod penes eandem eſt, & tamen ipſa non vult, toties actus ille intervenit, quo a re propoſita ut injucunda refugit, & in bonum oppoſitum inclinatur (a). Hinc omiſſio actionis non intelligitur ſine aliquo actu voluntatis, quo ſit voluntaria. Sed interim omiſſio ipſa ſecundum ſe nude ſpectata excludit a ſui conceptu omnem actum voluntatis directum, quandoquidem eſt ipſa actus prætermiſſio. Ergo non poteſt in ſe directe eo modo voluntaria dici; id enim tale eſt, in quod habetur poſitivus voluntatis influxus. Reliquum eſt igitur, ut ſit voluntaria indirecte, nimirum in actu poſitivo, quo ſe ſe ab actione propoſita in contrarium reclinavit voluntas ipſa. Hinc quemadmodum in actione habetur ſemper voluntarium directum per poſitivum influxum voluntatis, ſic ex adverſo nonniſi indirectum in omiſſione, quatenus voluntas ſe ſe alteri applicuit, unde ſecuta alterius rei prætermiſſio eſt.

Eo modo explicatur diſtinctio voluntarii directi, & indirecti; videlicet illud eſt, quo voluntas intelligitur quid agere per poſitivum influxum, qui directe in illud fertur, quod agit, aut vult; iſtud vero, quum voluntas non agit, ſic tamen, ut aliud agat, aut velit, ex quo ſequitur, ut alterum omittatur. Atque hoc pacto, ni fallor, explicatæ manent tot illæ quæſtiones, quibus implicari ſolet hæc directi, vel indirecti voluntarii notio, quam ita paucis attigit D. Thomas 1. 2. qu. 6. art. 3., ut

(a) *Quo modo omiſſio ſit voluntaria, & ut habeatur voluntarium indirectum.*

ut nempe voluntarium directum ſit, quod procedit a voluntate, *in quantum eſt agens*; indirectum vero, quod ab illa eſt *ex hoc ipſo, quod non agit*. Notandum autem hic actum poſitivum, in quo voluntaria cenſetur, & eſt alterius actus prætermiſſio, ſe habere ad omiſſionem vel ut ejus cauſſam, vel ut occaſionem tantum. Tunc ſe habet ut cauſſa, quando eo poſito ex ipſa ſui natura alter actus excluditur, quia habent inter ſe neceſſariam oppoſitionem; tunc vero ſe habet inſtar occaſionis ſolum, quando adhuc alter actus præſtari poſſet, ſed interim cauſſa prioris quid aliud intervenit, unde omittatur, ex. gr. memoriæ lapſus. Dixi vero *omiſſionem* eſſe, quando prætermittitur, quod propoſitum aliquo modo eſt, aut fuit voluntati. Namque ſi quid ideo non fiat, quia de illo nunquam cogitatum, tunc proprie omiſſio non eſt, ſed ſimplex negatio actus, quæ ad rem non pertinet.

XVII.

At aliquando *ex data actione* effectus aliquis ſequitur (*a*). Ille autem voluntarius eſſe nequit, niſi aliquo modo a voluntate profluxerit; poteſt enim aliquid inde produci, quod tamen ſit præter, aut etiam contra intentionem voluntatis ipſius. Hinc ut voluntarius habeatur effectus ejuſmodi, omnino opus eſt, ut aut *in ſe* intentus a voluntate fuerit, aut *in cauſſa*, quatenus vel hæc aſſumta fuerit ad illum efficiendum, quo modo habetur voluntarium directum, aut prætermiſſa fuerit diligentia, qua cognoſci potuiſſet talem effectum ſecuturum, quomodo habetur voluntarium indirectum.

(a) *An & quomodo voluntarius effectus conſequens ex actione.*

ctum. Quamobrem comparate ad effectum ſecutum ex actione hoc ſtatuitur generale principium: ſcilicet ut ille voluntarius habeatur requiritur, ut eum aut in ſe voluntas intenderit, aut in cauſſa. In cauſſa autem habetur intentus, quando cauſſa ad ipſum data opera aſſumta eſt, vel quando ex illa per ſe, & plerumque evenire conſuevit, ut ideo cognoſci potuerit inde ſecuturum; contra, quando evenit ſolum per accidens, & ut in paucioribus; *non enim datur judicium de re aliqua ſecundum illud, quod eſt per accidens, ſed ſolum ſecundum illud, quod eſt per ſe*. D. Th. 1. 2. qu. 20. a. 5. Quæ enim per accidens ex data cauſſa eveniunt, caſualia ſunt ſimpliciter loquendo, non intenta, neque voluntaria, quum nihil aliud ſit caſus, niſi *cauſſa agens præter intentionem*. Ariſt. lib. 2. phyſic. text. 49. & 50.

Scilicet D. Thomas cit. loco quærens, utrum eventus ſequens ex actione aliquid addat actui bonitatis, vel malitiæ, ait reipſa addere, *ſi eventus ille eſt præcogitatus*; quo modo intelligitur voluntarius in ſe; addere item *etſi non ſit præcogitatus*, modo *per ſe ſequatur ex tali actu*, & *ut in pluribus*, quia ſcilicet tunc præcogitari potuit, eſtque voluntarius in cauſſa, ſaltem per modum omiſſionis; concludit tandem non addere, ſi *per accidens* tantum ex data cauſſa, ſeu actu ſequatur effectus, & *ut in paucioribus*, quia quod per accidens fit, non potuit prævideri, nec adeo in rei judicium confluere; neque enim, ut ipſe inquit, *virtus cauſſæ exiſtimatur ſecundum effectus per accidens, ſed ſolum ſecundum effectus per ſe*. Itaque effectus tantum per accidens ex parte cauſſæ ſecutus

non

non habetur voluntarius. Vid. idem S. Doctor 2. 2. q. 54. art. 8. Id quod puto etiam ad effectum pertinere ex actione alicui vetita, quæ utiliter ab aliis exerceri ſolet, per accidens conſequentem, quum nec in tali caſu, ut ponitur comparate ad datum effectum, prævideri potuerit, adeoque deſinat etiam eſſe voluntarius. Poſterioris hujus ſpeciei, qua dicitur effectum per accidens conſecutum non haberi voluntarium, exemplum habetur D. ad Leg. Aquil., ubi Paullus excuſat putatorem, qui ex arbore ramum quum dejiceret, hominem occidit prætereuntem, ubi nullum iter erat, *quum divinare*, inquit, *non potuerit*, *an per eum locum aliquis tranſiturus eſſet*. Prioris vero voluntarii, ſcilicet in cauſſa, quatenus in actione prævideri effectus potuit, aliud ibidem exemplum occurrit in mulione, qui propter imperitiam, vel infirmitatem impetum mularum retinere non valens, ſi eæ alienum hominem obtriverint, dicitur culpæ nomine teneri; *nec* enim *videtur iniquum*, ait Gajus, *ſi infirmitas* (quod idem de imperitia dicendum) *culpæ adnumeretur*, *quum affectare quiſque non debeat*, *in quo vel intelligit*, *vel intelligere debet infirmitatem ſuam alii periculoſam futuram*. Porro locus *culpæ* non fieret, niſi quia potuit prævidere, quod poſtea ſecutum eſt, quodque ideo ipſi in cauſſa fuit voluntarium. Huc pertinet etiam ſpecies propoſita de Medico l. *6.* §. 7. D. de offic. Præſid. *Sicuti Medico eventus mortalitatis imputari non debet*, *ita quod per imperitiam commiſit*, *imputari ei debet*. *Prætextu enim fragilitatis delictum decipientis in periculo hominis innoxium eſſe non debet*.

XVIII.

XVIII.

Quandoque vero effectus, aut eventus aliquis dicitur *ex omiſſione* ſequi, non quod ipſum illa produxerit, quæ ſcilicet actum omnem a ſui conceptu excludit, ſed quia ab alia cauſſa producendus potuiſſet agendo quidquam ab homine impediri (*a*). Sed quod ab alia cauſſa producitur, per ſe non poteſt a voluntate eſſe tanquam a principio directo, ſeu agente, ut omnis ejuſdem actio, nec tanquam a principio indirecto, ſeu non agente, quemadmodum omiſſio, ut ſupra explicatum. Ergo non poteſt ullo modo eventus ille per ſe haberi tanquam ex vero aliquo, & poſitivo influxu voluntarius. Etſi enim potuerit ex. gr. voluntas ejuſmodi effectum impedire, & non impediverit, hinc tantum ſequitur voluntarie non fuiſſe impeditum, qui ſequi poterat, effectum; at non inde conſequens eſt illum, qui per ſe a tali omiſſione non fuit, ſed ab alia cauſſa productus, ſecundum ſe phyſice fuiſſe voluntarium. Quum igitur eventus ille non poſſit eo modo, ſeu phyſice voluntarius eſſe, quemadmodum eſt voluntarium omne, de quo hactenus explicavimus; relinquitur tantum, ut poſſit voluntarius haberi hoc ſenſu, quod quum voluntas teneretur impedire, & non impediverit, perinde ſe res habeat, ac ſi ipſa datum effectum ſequi voluiſſet; id quod appellatur *voluntarium moraliter*, & cum *imputabili* confunditur, de quo alibi. Jam vero nequit intelligi quemadmodum voluntas teneretur quidquam impedire, quod ab alia cauſſa productum iri poſſet, niſi per aliquam legem exiſtentem, vi cujus ad impediendum adſtrin-

(a) *An, & quomodo voluntarius habeatur eventus conſequens omiſſionem.*

adſtringeretur, quia ſine lege nulla obligatio. Conſtat igitur ejuſmodi eventum, ſeu effectum non alia ratione voluntarium haberi poſſe, niſi quia exiſtente aliqua lege, aut præcepto, vi cujus deberet voluntas effectum illum impedire, ac etiam prævidere, ipſa tamen, quum potuiſſet, defuerit officio. Hinc propterea ut talis effectus modo ſuperius declarato voluntarius habeatur, haud ſatis eſt, ut voluntas potuerit quoquomodo illum impedire, nec impediverit, ſed requiritur, ut ad hoc teneretur; futurum alioquin, ut obligatione ſublata, quemadmodum in eo caſu nullum habetur voluntarium phyſicum influens in eventum, ſic nec ullum habeatur voluntarium morale.

Dixerit hic quiſpiam, quod moraliter eſt voluntarium, niti voluntario phyſico, itaut nihil in genere morum tribui, ſeu imputari homini poſſit, niſi aliquo modo a voluntate profluxerit. Equidem concedo; ſed in propoſita ſpecie voluntarium phyſicum, quod alterius eſt fundamentum, habetur in eo, quod quum poſſet voluntas datum quid impedire, revera tamen non impediverit, ad quod cæteroquin tenebatur, ut poſitum eſt. Facit enim vis obligationis, ut extrema nectantur, & quodam modo particeps habeatur actionis, qui quum obſiſtere poſſet, & deberet, non obſtitit. Qua de re Tullius lib. 1. de offic. cap. 7., & Puſend. lib. 1. de jur. nat. & gent. cap. 5. Secus vero eſſet, quando non teneretur quis impedire; tunc enim non poſſet effectus vi omiſſionis in ejus voluntatem reduci, quum ipſi liberum omnino fuiſſet ab omni actu temperare, extraneamque cauſſam ſuo arbitrio, aut naturali virtuti permittere. Ex qua doctrina duo magni

gni

ghi momenti conſectaria ducuntur: I. Voluntarium phyſicum a morali diſtingui, quia ad illud nullum requiritur præceptum ut ſit, quum ad hoc omnino ſufficiat, ut quidquam a voluntate profluat, quo demum cumque modo id fiat, uti ſupra explicavimus; contra vero ad voluntarium morale requiritur præceptum aliquod, vi cujus quod ab alia cauſſa geſtum eſt, refundatur in voluntatem alterius tanquam in cauſſam moralem. II. In omni, & quavis actione, aut omiſſione haberi ſemper voluntarium phyſicum directum, aut indirectum, ut alibi traditum eſt; at non ſemper agenti, aut omittenti voluntarium moraliter haberi effectum, qui ea occaſione ſecutus eſt vi alterius cauſſæ, ſed tunc ſolum, quando quis tenebatur, ut poterat, alterius vim cohibere, ne datum effectum produceret. Hinc Deo non ſunt voluntaria peccata, quæ quum poſſet impedire, non impedit, quia hæc ab alia ſunt cauſſa, quam ipſe non tenetur cohibere, ne deficiat; quemadmodum nec Principi, aut Reipublicæ adminiſtris ea cenſentur voluntaria, quæ quum avertere poſſent in aliis, ſinunt tamen, quia juſtam habent cauſſam non impediendi. Quid ſimile habet S. Thomas de ſcandalo 2. 2. q. 43. art. 7. & 8., & de uſura ibid. q. 78. ar. 4.

XIX.

Conſtat porro ex hactenus dictis (a) voluntarium, quod ad naturam actus humani completam pertinet, illud intelligi, quo quidquam a voluntate eſt tanquam a principio ex prævia aliqua cognitione, agente vel per ſe, vel per alias potentias, aut non agente, ſeu non volente agere, ſive per modum aver-

(a) *Dictorum concluſio.*

averſationis, ut quum voluntas poſitivo conatu a malo refugit, ſeu per modum omiſſionis tantum, ut quum prætermittit tantum agere, aut velle quidquam, quod propoſitum eſt. Liquet etiam effectum ex actione ſecutum eatenus voluntarium eſſe, quatenus aliqua ratione intentus vel in ſe, vel in cauſſa fuit, quocunque modo hæc in illum influxerit. Tandem & illud patet effectum præcipue omiſſionem conſequentem voluntarium haberi non poſſe phyſice, quia ab alia cauſſa proceſſit a voluntate diſtincta, haberi tamen eidem voluntarium moraliter, quoties poteſtas, & præceptum fuit illum impediendi.

XX.

Sed, ut ſuperius animadverſum eſt, §. XI. & ſeq., quidquid demum voluntas vult, ſeu in actione, ſeu in omiſſione, aut effectu alterutram conſequente, id non vult, niſi ſub ratione boni, quod nempe ipſi una eſt cauſſa volendi. At in nullo particulari objecto, quodcumque illud ſit, aut fingatur, tanta eſſe poteſt ratio boni, ut neceſſario ad ſui proſecutionem voluntatem rapiat (*a*). Quum enim hæc virtute ſua tendat in bonum univerſale, & ſummum, quod ita perfecte ipſius appetitionem explere queat, ut nihil ipſi præterea deſiderandum ſuperſit; bonum vero cujuſque particularis objecti, eo ipſo, quod finitum eſt, ab ejus boni ratione deficiat, neque adeo poſſit appetitionem voluntatis perfecte exæquare; conſequens fit nullo objecto particulari, quamcumque boni ſpeciem oſtentet, ita permoveri voluntatem poſſe, ut in

(a) *Libertas voluntatis quoad objecta, aut bona particularia.*

in illud neceſſario feratur, quum ad ea ſemper converti poſſit, quæ ipſi adhuc expetenda ſuperſunt. Hinc proinde quod ad proſecutionem cujuſque objecti, aut boni particularis attinet, ita ſemper libera voluntas erit, ut poſſit illud non velle.

Voluntas namque etſi in ſe finita ſit, tamen quadam progreſſione appetendi ad infinitum quodammodo fertur, ideſt enim ad bonum perfectiſſimum, & ex omni parte completum, quod non niſi infinitum eſſe poteſt; hinc illud appellabant veteres *finem boni*, non quo conſumatur, ut non ſit, ſed quo perficiatur, ut plenum ſit, & quo quiſque, quum pervenerit, beatus eſt. De civ. Dei lib. 8. cap. 3. & lib. 19. cap. 1. Hoc porro bonum quum aliud non ſit, niſi quod ſummum dicimus, & univerſale, quo omnia optatu poſſibilia continentur; patet ſolum illud vim appetendi explere poſſe, ut ideo cætera particularia bona, ut ſe inſulatim ſiſtunt, ſemper contemni, ac reſpui a voluntate queant hoc ipſo, quod eam amplitudinem boni non præſeferant, quæ ipſi uſquequaque reſpondeat. Nec tamen inde ſequitur nihil quidquam particularis boni appetere debere, aut poſſe voluntatem, ſi quidem in bonum ſummum tendat; namque cætera, quæ vult, quodammodo propter illud vult; in ea enim movetur tanquam in inchoationes quaſdam ejus boni perfecti, ſic tamen, ut particularia poſſit non velle eo ipſo, quod illam perfectionem boni non habent. Quo ex capite refellitur Helvetius aſſerens *de l'eſprit diſc. 1. ch.* 4. admittendas hac in hypotheſi ex parte voluntatis eſſe quoad bona particularia *volitiones ſine motivis, & conſequenter effectus ſine cauſſa*. Namque profecto cauſſa determinationis voluntatis ſemper erit

erit ratio alicujus boni, quod videatur, aut ſit; quin tamen ſequatur in particulari objecto tantam elucere poſſe boni rationem, quæ *totaliter habeat rationem motivi*, ut loquitur D. Thomas 1. 2. q. 10. art. 5., eo quod nullum ejuſmodi ſit, quod *ſecundum omnem conſiderationem* videri poſſit bonum, & conſequenter valeat neceſſario ad ſui proſecutionem voluntatem adigere. Quod vero ad ea pertinet, quæ ad finem ſunt, num ſub amore finis comprehendantur neceſſario, an non, ita explicat S. Doctor cit. loco: *Finis ultimus ex neceſſitate movet voluntatem, quia eſt bonum perfectum, & ſimiliter illa, quæ ordinantur ad hunc finem, ſine quibus finis haberi non poteſt, ſicut eſſe, & vivere, & hujuſmodi: alia vero, ſine quibus finis haberi poteſt, non ex neceſſitate vult, qui vult finem, ſicut concluſiones, ſine quibus principia poſſunt eſſe vera, non ex neceſſitate credit, qui principia credit.*

XXI.

Hanc porro libertatem in nobis ipſi experimur (*a*). Quum enim quidquam proponitur boni particularis, quod neceſſarium non habeat cum ſummi boni fruitione nexum, ſtatim ſentimus poſſe nos illud conſiderare ut a boni ſummi, & perfecti ratione deficiens, atque adeo ſub hoc reſpectu apprehendere ut non bonum; quippe defectus boni vitii cujuſdam, & quaſi mali rationem induit. Abſurdum autem, ut in id neceſſario feramur, quod non modo univerſam non exhibet plenitudinem boni, ſed etiam poteſt ſub alia ratione conſiderari ut non bonum, qua parte defectum involvit perfecti boni. Ergo abſurdum pariter, ut nobis non con-

(*a*) *Libertatis teſtimonium ex ſenſu intimo.*

conſtet libertas reſpectu ejuſmodi particularium bonorum, ita ut ea ſecundum diverſas conſiderationes, quas habere poſſumus, repudiare non valeamus, aut approbare, ſicuti maluerimus. Hinc propterea cum iſthæc libertas admittenda in nobis eſt, quam ſentimus, tum vero dicendum actus humanos, prout a voluntate ſunt, & ejuſmodi particularia objecta, ut explicatum eſt, reſpiciunt, omnino liberos eſſe.

Haud aliter diſputat S. Thomas 1. 2. q. 10. a. 4. *Defectus cujuſcumque boni habet rationem non boni; ideo .... quælibet particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono, poſſunt accipi ut non bona, & ſecundum hanc conſiderationem poſſunt repudiari, vel approbari a voluntate, quæ poteſt in idem ferri ſecundum diverſas conſiderationes*. Atqui porro ex intimo ſenſu conſtat, ſicuti poteſt homo de quolibet objecto cogitare, vel non cogitare, §. x., ita poſſe etiam ad hanc, vel illam objecti ſpeciem, & conſiderationem attendere, ſecundum quam illud bonum, vel non bonum videri poteſt, ſicut fert rei cujuſque particularis natura. Ergo ex ipſo intimo ſenſu conſtare debet quoad ejuſmodi objecta ita nos liberos eſſe, ut eadem poſſimus velle, aut non velle, prout placuerit ea ſub hac, vel illa ratione conſiderare. Hæc porro conſideratio quum ad voluntatem referatur tanquam ad principium imperans, ut ſupra dictum eſt, §. x., patet libertatem ejuſmodi merito voluntati aſſeri tanquam ei potentiæ, quæ non ſolum ſe ipſam movere poteſt, ſed etiam intellectum ad hoc, vel illud conſiderandum, magis, vel minus, ſub hoc, aut illo reſpectu defigere; quo ſenſu liberum arbitrium eſſe dicitur

facul-

facultas voluntatis, *&* *rationis*, circa ea nimirum apta exerceri, ad quæ nec voluntas, nec ratio ſunt neceſſario determinata. Hinc Damaſcenus lib. 2. de fid. orth. cap. 22. de homine ſic loquitur: *libera poteſtate*, *&* *arbitrio*, *&* *cum ratione movetur*; *itaque libera poteſtate appetit*, *libera poteſtate vult*, *quærit*, *conſiderat*, *conſultat*, *judicat*, *afficitur*, *eligit*, *impellit ſe ad agendum*, *libere item agit in iis*, *quæ naturæ conſentanea ſunt &c.* Quæ omnia de bonis illis particularibus debent intelligi, quæ explicavimus; nam ubi voluntas norit perfectam rationem boni, aut intellectus evidentia ipſa alicujus rei perſtringatur, non poteſt amplius ad oppoſitum poteſtas exiſtere, ut infra videbimus. Interea quot ſunt, quæ in particularibus bonis ſe ſe offerunt, quorum cauſſa fieri poteſt, ut eorum, quatenus in ſe ſeorſim conſiderantur, amore neceſſario non rapiamur? Omnia bona malis mixta ſunt, nullus in his liquidæ, & ſinceræ voluptatis ſenſus; plerumque hujus vitæ bona non conjurant amice, ſed ſe ſe invicem pellunt, & illud ſaltem omnibus commune eſt, ut ſingula fluminum ritu ferantur, & abeant. Pingatur tabula voluptatis corporeæ ipſis nitidiſſimis coloribus, qualem ex quorundam Philoſophorum ſententia deſcripſit S. Aug. lib. 5. de civ. Dei c. 30. Ponatur voluptas in ſella regali quaſi delicata quædam regina conſidens; ſubjiciantur ei quaſi famulæ ipſæ virtutes obſervantes ejus nutum, ut faciant, quod illa imperaverit. Quot tamen incommoda, quot labores, ut quis ea fruatur, quibus vel improbi ipſi fatigari deberent? Prudentiæ erit vigilanter inquirere, quomodo voluptas regnet, & ſalva ſit; juſtitiæ, ut præſtet beneficia, quæ poteſt, ad com-

parandas amicitias corporalibus commodis neceſſarias, nulli ſaciat injuriam, ne offenſis legibus voluptas vivere ſecura non poſſit; fortitudinis erit, ut, ſi dolor corpori acciderit, qui non compellat in mortem, teneat dominam ſuam, ideſt voluptatem fortiter in animi cogitatione, ut per priſtinarum deliciarum recordationem mitiget præſentis doloris aculeos; temperantiæ, ut tantum capiat alimentorum, & ſiqua delectant, ne per immoderantiam noxium aliquid valetudinem turbet, & voluptas graviter offendatur. Ita ne regnum quidem voluptatis in hac vita ſine labore, & cura conſtabit; ut interim prætermittam tam varia, & tam multa tormenta fortunæ, quibus quietus, & placatus ejus ſtatus moveri, ac perturbari poteſt. Ex quibus conſequitur omnia vitæ hujus ærumnoſæ vel munera, vel ſolatia, qualiacumque fingantur, aliqua ex parte ut non bona conſiderari poſſe, atque adeo nullum ex iis neceſſario voluntatem ad ſui amorem pellicere, ac permovere.

XXII.

Quum autem nihil contra intimum ſenſum produci queat, quo ejus labefactetur veritas, quum reapſe ſentiri non poſſit id, quod non eſt; conſequens plane fit eam in nobis libertatem agnoſcendam, & in comparatione ad data objecta, quam iidem ipſi experimur (*a*). Ex quo propterea conſtat eos revera ſecum ipſis, & cum veritate adverſis frontibus pugnaſſe, qui, ut evincerent nullam eſſe libertatem in homine, dixerunt eam non congruere cum ipſius natura, ut ideo nulla unquam vera

(a) *Falſæ hypotheſes contra ſenſus intimi teſtimonium de libertate.*

vera hominis libertas ſuerit; aut ſiqua aliquando fuit, quaqua demum ex cauſſa poſtea extinctam prorſus fuiſſe, atque dilapſam, ut propterea nulla in præſenti ſtatu habeatur, & ſit.

Certe ſenſus intimi teſtimonium in controverſiam adduci non poteſt, quin ſimul & noſtri, & exteriorum rerum, quæ non niſi per impreſſiones earum quaſdam ſuper corpora noſtra cognoſcuntur, exiſtentia in dubium revocetur. Vid. P. Gerdil *diſſ. dell' origine del ſenſo morale propoſ.* 8. Porro ajebat S. Auguſtinus lib. 11. de civ. Dei cap. 26., de iis, quæ intus a nobis ſentiuntur, metuendum non eſt, ne ulla nos falſitas veri ſimilis turbet; non enim ea, ſicut illa, quæ foris ſunt, ullo ſenſu corporis tangimus, ſed ſine ulla phantaſiarum, vel phantaſmatum imagine ludificatoria nobis talia eſſe certiſſimum eſt: *nulla*, inquit, *in his veris Academicorum argumenta formido*. Ut proinde inſtar monſtri ſit quoſdam vanis ſpeciebus hanc firmiſſimam de libertate noſtra conſcientiam evertere voluiſſe, quod inter alios aggreſſus eſt Spinoſa in ſuis epiſtolis etiam propoſito abſurdiſſimo quodam lapidis exemplo; alios vero maluiſſe extraneis cauſſis ignotis tribuere, quod abs nobis factum libere conſtabat, quam nativæ facultati nos ipſos determinandi, quum vellemus; quod & inter alios quidam præſtitit in libro, cui titulus: *Hiſtoire critique de la Philoſophie* apud Helvet. cit. loco in adnot. Hoc autem intimo ſenſu ſemel præconcepto non eſt cur de iis laboremus, quibus ajunt Fataliſtæ, aut alii nos determinari. Nunquam enim inde conſtabit, quod & ajebat Tullius in libro de Fato, illis ita nos cogi, ut penes voluntatem non ſit ex. gr.

 ſedere,

ſedere, aut ambulare, & quod perſimile eſt, approbare, vel non approbare ex iis, quæ cadunt ſub electione, eo plane modo, quo id ſupra declaratum eſt. Interim, quod ad illos pertinet, qui præcipue contendunt *originis peccato* libertatem prorſus extinctam, ut ideo neceſſario in mala labamur, ſatis fuerit animadvertere, quod & ſua cuivis conſcientia teſtificari debet, nihil nos quidquam patrare mali, quin & ipſi nos accuſemus quaſi illud ipſum vitare potuerimus; quod unum ſatis libertatem arguit actionis. *Prima hæc eſt ultio, quod ſe judice nemo nocens abſolvitur*. Juven. Sat. 12.

XXIII.

Habemus itaque actus humanos, ſeu voluntarios etiam *liberos*, qui nempe ita a voluntate proficiſcuntur, ut ipſos non elicere potuerit, ſi voluiſſet, ſimulque in ordine ad particularia objecta, quibus ad volendum, aut agendum non poterat neceſſario adduci ipſa voluntas (*a*). Atque hæc quidem libertas eſt hujus ſtatus propria, qua etiam ſæpe fit, ut unum objectum præ alio conſiderantes, vel ſub eo aſpectu, quo bonum videtur, præ illo, quo verum eſt malum, hoc ipſo peccemus, juſteque peccatum nobis imputetur, quia reapſe penes nos erat de objecto cogitare, vel non cogitare, aut cogitantes ad eam partem attendere, qua ut verum malum cognitum fuiſſet, adeoque improbandum; unde intelligitur voluntatem nulla neceſſitate preſſam defeciſſe, aut deficere.

Fatemur equidem poteſtatem peccandi eſſe potius libertatis defectum, quam quid intimæ ipſius naturæ adjacens, quum revera concipi aliquis poſſit liber

(a) *Actus humani liberi qui, & quomodo.*

liber in ordine dumtaxat boni, ut nempe hoc, aut illud eligat, quod voluerit, vel etiam in ordine mediorum ad bonum ipſum, etiamſi illa contraria eſſent inter ſe, modo ad eundem finem apta ordinari. D. Th. in 2. diſt. 25. qu. 1. a. 1., & 1. part. qu. 62. ar. 8. Qua ratione arbitrii perfectionem commendans S. Auguſtinus ajebat lib. 14. de civ. Dei cap. 11. *arbitrium voluntatis tunc eſſe vere liberum, quum vitiis, peccatiſque non ſervit*. Attamen utcumque talis ſit, ideſt apta deficere ejuſmodi, de qua agimus, libertas; ea nihilominus eſt, quæ huic, in quo verſamur, ſtatui convenit, ita volente Deo, ut prodeſſe poſſit ad meritum, quale a nobis exigitur, vel ipſa fuga peccati. Qua in re vehementer errabant quidam Mathematici olim dicti, qui actiones hominum fato cuidam ſuſpendentes, quod aſſerebant eſſe *vim poſitionis ſiderum*, ab eodem decerni quodammodo arbitrabantur qualis quiſque futurus eſſet, & quid ei proveniret boni, quidve mali accideret, *magnam*, inquit S. Doctor lib. 5. de civ. Dei cap. 1., *Cœlo facientes injuriam, in cujus velut clariſſimo Senatu, ac ſplendidiſſima Curia opinabantur ſcelera facienda decerni, qualia ſi aliqua terrena civitas decreviſſet, genere humano decernente fuerat evertenda*. Id ipſum exprobrat eodem libro cap. 8. S. Auguſtinus Stoicis, qui quum Fati nomine intelligerent *connexionem cauſſarum* a Deo dependentem, ſeu ipſam Dei præſcientiam, qua neceſſe eſt evenire, quæcumque ipſe præſcivit, perperam inde concludebant, exiſtente tali præſcientia nullam eſſe hominis libertatem ne in malo quidem, quum, ut ferebant Homerici verſus Odiſſea 18.:

 Tales

Tales ſint hominum mentes, quali Pater ipſe
Juppiter auctiferas luſtravit lumine terras.

Adverſus quos S. Doctor cap. 9. & 10. hæc duo principia conſtituit: I. etſi omnium ordo cauſſarum præſcienti certus ſit Deo, non inde tamen ſequi nihil in noſtra voluntate eſſe, quum in ipſo cauſſarum ordine magnum habeant locum noſtræ voluntates, quas idem ipſe Deus noſtrorum operum cauſſas eſſe præſcivit. II. Nec putandum libertatem auferri voluntatis etiam in malo ea neceſſitate, ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe, ut eveniant, quæ præſcivit Deus, quia talis neceſſitas non eſt noſtrorum operum cauſſa: *nec enim*, ſubdit, *ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum eſſe præſcivit; immo ideo non dubitatur ipſum peccare, quum peccat, quia ille, cujus præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſcivit; qui ſi nolit, utique non peccat, ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſcivit*. Hæc quum ita ſint, videlicet libertatem hujus ſtatus propriam id etiam complecti, ut poſſit homo pro arbitrio peccare, fruſtra tam ſæpe, quod fieri ſolet, libertas Dei, Chriſti, Angelorum, Beatorumque, quæ ſcilicet alterius ordinis eſt, vel ſtatus, cum noſtra committitur; quas quidem comparationes nemo non rectiſſime dixerit puras eſſe *diſſimilium ſimilitudines*.

XXIV.

Quoniam vero ex hactenus dictis illud demum conſtat actus humanos omnes voluntarios eſſe, itidemque liberos, prout a voluntate ſunt, & in ordine ad particularia objecta; obvium nunc fuerit de cauſſis utrinque oppoſitis dicere, ut teneatur

quid

quid voluntario adverſetur, quid libero, prout ad actum humanum referuntur (*a*). Qua de re obſervandum, quod dictum eſt, actus humanos omnes liberos eſſe, *ut a voluntate ſunt, & in ordine ad particularia objecta*. Namque voluntas in actuum ſuorum exercitio cogi non poteſt; aliunde quum non moveatur neceſſario ab objectis particularibus, ut ſupra oſtenſum eſt; qui ita a voluntate ſunt actus, & in ordine ad ejuſmodi objecta, omnino liberi erunt, inſpecta nimirum poteſtate agendi, vel non agendi, quæ tunc reſidet in voluntate. Alia res eſt de actibus imperatis, & per exteriores facultates exercitis, qui profecto contra voluntatis inclinationem eſſe poſſunt vi externi agentis; ſed tunc ne quidem voluntarii erunt, multoque minus liberi, immo ideo non liberi tunc, quia non voluntarii. At hæc ſequentibus capitibus declarabuntur luculentius.

XXV.

Et quidem voluntarium diximus eſſe, quod a voluntate eſt, §. VIII. & ſeq. Hinc quidquid ab ipſa non eſt, voluntarium eſſe non poterit. Nihil autem a voluntate eſſe poteſt, quod ab ipſa non pendeat tanquam ab eliciente, vel imperante principio, §. IX., directe, vel indirecte §. XVI. Hinc voluntarium non erit, quod nullo ex his modis deſcendit a voluntate (*b*). Talia ſunt plura, quæ quaqua de cauſſa in nobis, vel circa nos eveniunt, ad quæ nullo modo voluntas noſtra concurrit. Propterea jam habetur ex hoc capite oppoſitum volun-

(a) *De cauſſis voluntario, & libero oppoſitis.*
(b) *Oppoſitum voluntario ad modum privationis ſimplex non voluntarium.*

voluntario ad modum privationis ſimplex *non voluntarium*, quatenus a ſuo conceptu excludit omnem in aliquid influxum voluntatis.

Certe experientia teſte multa interius nobis accidunt, ad quæ voluntas non concurrit, multoque plura exterius circa nos, quæ quum non ſint contra inclinationem voluntatis, nequeunt involuntaria dici; aliunde vero, quia citra omnem voluntatis actum fiunt, voluntaria dici non poſſunt. Hæc porro ſimpliciter *non voluntaria* dicuntur. Quæ quidem non voluntarii notio tenenda eſt, tum quia late patet, multoque eſt uſui in rebus morum, tum vero maxime, quia neceſſaria eſt, ut explicetur effectus alicujus ignorantiæ, de qua infra.

XXVI.

Sed quædam aliquando in nobis, aut circa nos eveniunt, ad quæ non modo nihil concurrit voluntas, ſed quibus omnino obnititur (*a*). Tunc autem obniti omnino cenſetur, quando ita comparata eſt, ut velit omni modo reſiſtere, & quum res poſtulaverit, revera ad reſiſtendum adhibeat omnia media ſibi per legem poſſibilia. Atqui ubi quid in nobis, aut circa nos evenit, cui reſiſtere omni modo intendit, aut conatur voluntas, nec tamen poteſt, illud non modo ipſi non eſt voluntarium ad modum ſimplicis privationis actus voluntatis, ſed involuntarium prorſus, quia nimirum contrarie eidem voluntati opponitur. Hinc alterum voluntario oppoſitum ad modum contrarietatis, ſcilicet *involuntarium*.

Nempe

(a) *Oppoſitum voluntario ad modum contrarietatis involuntarium.*

Nempe *involuntarium* proprie dicitur non quod ſolum ſine ullo voluntatis concurſu fit, ſed quod maxime fit ea prorſus repugnante. Namque multa nobis accidere poſſunt, ex. gr. mutationes, converſiones, alterationeſque humorum, affectuum, aut rerum, ad quæ nihil voluntas concurrit, quin tamen ſint involuntaria, quia non contra voluntatis ejuſdem inclinationem; qua de re D. Thomas 1. 2. q. 6. a. 4. ad 2. Requiritur ergo ad involuntarium, ut ei, quod fit, voluntas omnino repugnet. Si enim ex parte aliqua voluntas non reſiſtat, aut non repugnet, quantum valet, minus quidem voluntarium eſſe poterit, aut ſolum ſecundum quid, ut ajunt, quod factum eſt; at interim ſemper erit ſimpliciter, & abſolute voluntarium, de quo jam diximus ſupra. Hæc autem repugnantia concipi poteſt vel intus hærens animo, nec ſe ſe exterius explicans, ut quum occaſio deeſt eam actu exercendi, & hæc dicitur repugnantia virtualis, habitu perſeverans, atque etiam interpretativa: ea plane ratione dicitur natura hominis alienari ab interitu, & damno, etiam quando proprio voluntatis actu non utitur, quod profecto intelligi in dormiente poteſt, in infantibus, & generatim in iis omnibus, quorum jura violantur, tametſi quid contra ſe fiat, prorſus ignorent; vel intelligitur repugnantia actu ſe ſe manifeſtans, atque exercens, tumque ea eſt, quando quis proprium conatum revera adhibet ad reſiſtendum, quantum poteſt. Ut vero hæc reſiſtentia ſeu in animi præparatione, ſeu in actu cenſeatur abſoluta, neceſſe eſt, hominem ita comparatum eſſe, ut adhibere velit, aut reapſe adhibeat, quando res popoſcerit, omnia

media

media ſibi per legem poſſibilia, qualia eſſent ex. gr. honeſtus propriarum virium uſus, & aliorum etiam ſubſidia, qui præſto adeſſent invocati &c., alioquin non omni modo, & prorſus obſiſtere intelligeretur. Dixi autem ea media per legem poſſibilia eſſe debere, ſeu honeſta; nam ut fert vulgare proloquium, quod lege prohibitum eſt, in moribus non habetur poſſibile. Hinc l. 15. de cond. inſtitut. *quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt*. Et vero quum ſuperior jus habeat phyſicam ſubditorum agendi vim certis limitibus circumſcribere, manifeſtum eſt in id, quod lege cautum, nullam poteſtatem illis competere, multoque minus ubi agatur de prohibente lege Dei. Eo ſenſu S. Auguſt. integro fere libro 1. de civ. Dei totus eſt, ut probet non licere cuiquam peccandi periculum, aut peccatum ipſum per aliud peccatum defugere, faciendo ſcilicet quid contra legem; non licere v. gr. ſe ipſum occidere ad ſervandam corporis pudicitiam; quod exemplum in hac re poſitum transferri commode per alias poteſt generis ejuſdem.

XXVII.

Jamvero nihil fieri in nobis, aut circa nos poteſt, quod nobis non voluntarium, aut involuntarium ſit, niſi intervenerit cauſſa aliqua, vi cujus quidquam ſine concurſu voluntatis factum fuerit, aut contra illam (*a*). Quum enim nihil fieri ſine cauſſa poſſit, ſi quid tale eo modo effectum eſt, omnino

(a) *Non poteſt aliquid non voluntarium, aut involuntarium intelligi ſine aliqua extranea voluntati cauſſa in actum aliquo modo influente &c.*

omnino oportet cauſſam aliquam præceſſiſſe, quæ in datum eventum influxerit, ut illud ipſum exiſteret, quod ſine voluntatis concurſu, aut contra ejus inclinationem effectum eſt. Eam porro cauſſam appellabimus *extraneam voluntati*, ſemel ac quidquam ejus virtute, ſecluſo omni voluntatis influxu, aut ea repugnante, eſt actum.

Cauſſam hic *extraneam voluntati* dicimus non tantum, quæ exterior ſit homini, ut eſſet ex. gr. vis ab altero illata, ſed etiam, quæ interior ſit, puta ex organorum diſpoſitione exiſtens, aut ex ipſa relatione naturali, quam habeat homo ad externa objecta. Ipſa enim phyſica hominis conſtitutio, temperatura corporis, aliaque id genus certiſſime poſſunt quorundam in nobis eſſe cauſſa, quæ præter voluntatem, aut contra ejus etiam inclinationem accidant; quod idem affirmamus de relatione hominis ad externa objecta, ſive hæc in nos ad modum cauſſæ agant, ſive occaſionis, quorum certe aliquo modo, ut ajebat Lockius, aſſuetudine, & uſu vel imprudentes diſcipuli evadimus. Conſtat hinc cauſſæ nomine nos hic accipere quidquid extra voluntatem eſt, & ea nihil conferente, aut renitente poteſt influere in actum, quo modo cauſſæ vox latiſſime patet, pertinetque ad illud omne, quod appellavit Ariſtoteles *principium extra*, oppoſitum alteri, quod *intrinſecum* dixit, eſtque, ubi de actione deliberata agatur, ipſa voluntas. Ethic. lib. 3. cap. 1.

XXVIII.

XXVIII.

Porro autem nulla extranea voluntati cauſſa poteſt in ipſa producere, quod eſt *velle*, & *nolle* (*a*). Namque actus volendi, & nolendi vitales ſunt, adeoque ad ipſum tantummodo vitale principium pertinent, qui proinde ſi ab alio principio provenirent, non amplius eſſent ejus facultatis actus, cujus eſſe dicuntur. Hinc propterea nulla cogitari poteſt extranea voluntati cauſſa, quæ in ipſa valeat ejuſmodi actus producere ſine ejus concurſu, aut ipſa repugnante; in quo inſuper eſſet manifeſta contradictio, quum uno, eodemque tempore fingeretur velle, ac non velle, & ex adverſo. Quum autem ad ejuſmodi actus volendi, & non volendi revocentur omnes, qui *eliciti* dicuntur a voluntate, ut antea docuimus; palam eſt, quemadmodum nihil in hos actus influere ſine voluntate poſſit, aut ipſa reluctante, adeoque nulla prorſus cauſſa in iis quidquam non voluntarium, aut involuntarium poſſit efficere.

Enimvero poteſt quidem exterior cauſſa aliqua voluntatem ſollicitare ad volendum aliquid, vel nolendum objecta ex. gr. alicujus boni ſpecie, vel mali; ſed nunquam efficere poterit, ut ipſa ad horum actuum aliquem vere, & proprie adigatur. Hinc nullum cuiquam circa hos actus elicitos in voluntatem imperium, aut coactio, & ſi *res imperioſa* dicitur *timor*, & ſi *voluntas coacta* ſæpe a Jureconſultis nominatur, hæc ita accipienda ſunt, ut voluntatem ad hos actus cauſſa aliqua incitatam in-

(a) *Nulla cauſſa voluntati extranea poteſt actus elicitos in voluntate producere ſine ipſius concurſu, aut eadem repugnante.*

indicent, non ad eos producendos, vel non producendos abſolute coactam. Quidquid enim in voluntate fieri concipiatur cujuſque cauſſæ appulſu, & impulſu, tandem nonniſi motus ejuſdem voluntatis eſt, qui ab illa, non alterius principii vi in illa exercetur. *Nam quid eſt cupiditas, & lætitia*, ajebat S. Auguſtinus lib. 14. de civ. Dei cap. 6., *niſi voluntas in eorum conſenſione, quæ volumus? Et quid eſt metus, atque triſtitia, niſi voluntas in diſſenſionem ab his, quæ nolumus? Sed quum conſentimus appetendo ea, quæ volumus, cupiditas* (✠), *quum autem conſentimus fruendo his, quæ volumus, lætitia vocatur. Itemque quum diſſentimus ab eo, quod accidere nolumus, talis voluntas metus eſt; quum autem diſſentimus ab eo, quod nolentibus accidit, talis voluntas triſtitia eſt. Et omnino pro varietate rerum, quæ appetuntur, atque fugiuntur, ſicut allicitur, vel offenditur voluntas hominis, ita in hos, vel illos affectus mutatur, & vertitur*. Hoc adeo verum eſt, ut ne Deus quidem etſi intimior voluntati, quam ipſa

(✠) *Obſervandum hic non ſemper* cupiditatis *nomen in malum ſenſum accipi a S. Auguſtino, ſed quandoque indiſcrete uſurpari, prout res tulerit, bona, vel mala, quæ cupiditati ſubjicitur, ut accidit hoc loco, ubi* cupiditatem *vocat appetitionem, aut conſenſum appetitionis eorum, quæ volumus, quæque bona, vel mala eſſe poſſunt. Immo animadvertit idem S. Doctor eodem libro* 14. *de civ. Dei cap.* 7. *quandoque* in bono *cupiditatem, aut concupiſcentiam nominari vel in ipſis Scripturis, licet, inquit, hoc loquendi obtinuerit conſuetudo*, ut ſi cupiditas, vel concupiſcentia dicatur, nec addatur cujus rei ſit, nonniſi in malo poſſit intelligi.

ſine voluntatis influxu fit, quaqua lege, aut modo fiat, illud etſi in nobis productum, aut etiam exercitum a propriis facultatibus, non voluntarium dicitur, itemque involuntarium, quoties illud ea prorſus repugnante fiat; ita in motibus, & actibus aliarum facultatum ſeu interiorum, ſeu exteriorum, quæ a voluntate diſtinctæ ſunt, vel quatenus conſiderantur ut ab illa diſtinctæ, poterit quid ab extranea cauſſa non voluntarium, aut involuntarium effici.

Et ſane facultates omnes naturali ordine ſubjiciuntur voluntati, quæ ſcilicet aptæ ſunt ex inſtituto, & lege Creatoris, ut moveri, atque agi a voluntate queant, §. x. Ut igitur quod in iiſdem, aut ab ipſis fieri ſine voluntatis influxu quaqua de cauſſa poteſt, non voluntarium eſt; haud aliter quod ipſa penitus repugnante expreſſe, aut virtualiter fiat, prorſus involuntarium erit. Dixi *quaqua de cauſſa* illud fiat; namque non placet cauſſam involuntarii ad *violentum* tantum contrahere, quod nonnullis eſt viſum; ſed eo etiam nomine concludi volo, quod ex ſola naturali impreſſione, aut relatione hominis ad quædam objecta poteſt in ipſo exiſtere contra inclinationem voluntatis. Nam profecto quum ineptæ ſpecies in animum incurrunt, aut perverſæ cogitationes inſident menti, invita minerva, quid involuntarium animo accidit. Quis tamen eas cogitationes, aut ſpecies *violentas* dixerit, aut a *violentia* repetendas eſſe cenſuerit, quæ ſecundum ordinem naturalem excitari, & eſse poſsunt? Itaque aut *violenti* vocabulum dilatandum eſt in hac cauſsa, quod nihil eſt neceſse, aut ſatius fuerit id omne involuntarium

dicere,

dicere, quod quaqua de cauſsa voluntati prorſus extranea in ſubjectis fieri facultatibus poteſt, ipſa renitente. Quod quidem ſemel dictum alte retinendum eſt; neque enim de ſingulis, quæ poſsunt incidere, non voluntarii, aut involuntarii cauſſis ſeparatim dicturi ſumus, quod neceſse non eſt ad operis inſtitutum, ſed de præcipuis dumtaxat. Ea quippe, quæ de his tradituri ſumus, haud ægre cæteris aptari poterunt, de quibus ſingillatim non explicamus. Notandum autem quod dixi de ejuſmodi facultatibus, *quatenus conſiderantur a voluntate diſtinctæ*, quod de intellectu præcipue accipiendum eſt. Solet enim ea facultas, ut quæ neceſsario voluntatis operationem omnem ingreditur, a quibuſdam cum voluntate ipſa confundi §. III., de quo in præſens non diſputamus. Ad inſtitutum noſtrum quod attinet, ſatis eſt, ut intellectus ſaltem ratione objectorum, ad quæ ſe ſe cogitando, aut conſiderando adjungit, ab eo, quod dicitur motus, aut appetitio voluntatis, diſcernatur, atque illo modo inſpectus poſſit impreſſiones utcumque per ſenſus percipere, quas aut voluntas per ſui motionem non velit, vel iiſdem repugnet; quod extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum.

XXX.

Quoniam autem non voluntarium dictum eſt illud, quod ita factum, ut voluntas ad id non concurrerit, §. XXV., involuntarium vero præterea, quod factum contra inclinationem ejuſdem expreſſam, aut virtualem, §. XXVI.; apertum eſt, id omne poſse non voluntario, aut involuntario cauſſam dare quoad opera earum facultatum, quæ ſubſunt voluntatis imperio, quod aut influxum voluntatis

luntatis intercipere poteſt in id, quod fit, aut ipſius inclinationi, & niſui quoad illa reſiſtere (*a*). Quum autem voluntas, ut alibi dictum eſt, §. IV., non aliud ſit, niſi appetitus, ſeu facultas appetendi rationalis; jam inde conſequens erit id omne poſſe non voluntarium, aut involuntarium efficere, quod aut rationem valet intercipere, ſeu cognitionem ejus, quod fit, aut ejuſdem voluntatis appetitui, ſeu motui repugnat.

Obſervandum hic non agi de operibus ab homine factis, quæ nullum præconcipiunt in ipſo voluntatis uſum, quales ſunt, & habentur actiones amentium, furioſorum &c., quæ ideo humanæ non ſunt, nec eſſe poſſunt ex neceſſario agentis defectu; neque de operationibus pure naturalibus, de quibus omnibus ſupra §. IV. & X.; ſed de illis tantum, quæ quum præſtitutum quidem in homine ponant voluntatis propriæ exercitium in generali, aut particulari determinatione faciendi aliquid, tamen quid incidit, unde aliud fiat pro eo, quod animo perceptum erat; quo modo, quod factum eſt, non voluntarium dicitur, quia præter opinionem, aut etiam involuntarium, ſi inſuper ſit contra omnem voluntatis inclinationem ſaltem virtualem; nam alia eſſe non poteſt contraria inclinatio voluntatis comparate ad ea, quæ velut ex improviſo, & inopinato eveniunt, ubi ex defectu ſcientiæ, & præviſionis nequit poſitivus, atque expreſſus cona-

(a) *Cauſſa illa extranea voluntati non poteſt non voluntarium, aut involuntarium efficere, niſi quatenus aut intercipit cognitionis influxum in id, quod fit, aut inſuper voluntatis inclinationi reſiſtit.*

tus contrarius adhiberi. Res ex dicendis clarius patebit. Dum autem hic inclinationem nomino, motum, appetitum, niſum voluntatis ſemper intelligo, qui ſcilicet eſt aliquo modo *rationalis*; namque pura naturæ inclinatio etiam in brutis eſſe cernitur, quemadmodum & in illis ſpontaneum, quod quodammodo cum inſtinctu confunditur. Videantur quæ dicta ſunt §. VIII.

XXXI.

Rationis cognitioni, ut actus intelligentis facultatis eſt, qua voluntas regitur, opponitur *ignorantia*, quæ ideo, prout voluntario adverſatur, non aliud eſt, niſi defectus ſcientiæ, ſeu cognitionis eorum, in quibus actio verſatur (*a*). Inclinationi autem, quo voluntas tendit in aliquid, opponitur *violentia*, ſeu *vis*, quæ, ut hic accipitur, nihil aliud eſt, niſi actio quædam extranei principii præter naturam repugnans voluntati quoad ea, quæ per ſubjectas ſibi facultates fieri vellet, aut nollet. Hinc præcipuæ non voluntarii, aut involuntarii cauſſæ, *ignorantia*, *&* *violentia*; ita tamen, ut prior poſſit non voluntarium tantum, aut etiam involuntarium ſimul efficere, ut mox docebimus; altera, ſi ſit ſimplex, & abſoluta, ideſt contra omnem voluntatis inclinationem, ſemper involuntarium efficiat, uti ſuo loco patebit.

Dixi ignorantiam, prout opponitur voluntario, non aliud eſſe, niſi defectum ſcientiæ, ſeu cognitionis eorum, in quibus actio verſatur. Namque multi-

(a) *Quomodo, quæ intercipit cognitionis influxum, ignorantia poſſit non voluntarium, aut involuntarium efficere: item quid violentia, quæ opponitur inclinationi voluntatis.*

multiplex ignorantiæ eſſe poteſt diviſio ratione objectorum, immo tam multa, quanta numerari, aut cogitari queunt, quorum non habeatur ſcientia; in quibus præcipue, quod ad moralem diſciplinam ſpectat, ea obtinet diſtinctio ignorantiæ, quæ eſt *juris*, ſeu legis, & *facti*. At hæc nihil attinent ad hanc diſputationem, in qua tantum de voluntario phyſico quæritur. Itaque ea ſolum hic notatur ignorantia voluntario oppoſita, quæ tollit cognitionem ejus, quod fit. Quum autem id, quod fit, aut fieri intenditur, generatim *actio* dicatur, ideo ad actionem tantum contrahetur, de qua nunc agitur, ignorantia. Jam vero quum actio verſari poſſit circa datum objectum, aut certam rem, vel in datis circumſtantiis exerceri, vel ad certum finem; quoties in his, aut eorum aliquo cognitio intercepta fuerit, tum vel in omnibus, vel in eorum aliquo habebitur ignorantia. Id fere omne, quod de ignorantia dicimus, deſcendit ex Ariſtotelis doctrina de voluntario, qua dicitur illud eſſe, quod fit a principio intrinſeco *cognoſcente ſingula*, *in quibus eſt actio*, ideſt finem, objectum, & circumſtantias. Conſentit S. Thomas 1. p. qu. 101. art. 1., ubi ignorantiam definit *privationem ſcientiæ*, *quæ debet haberi pro illo tempore*, & præſertim eorum, ut addit 1. 2. qu. 76. ar. 2., *ſine quorum ſcientia non poteſt deliberatus actus recte exerceri*; quod æque intelligi de rectitudine morali poteſt, atque de ea, quæ actui ut præcogitato debetur in ordine phyſico. Extra actum, aut agendi cauſſam quis eam ſcientiam requirat, quæ nihil ad rem, niſi forte ex aliquo alio capite morali debeatur? Neque

enim quiſquam accuſaverit ex. gr. ruſticum neſcientem, *quæ mare compeſcant cauſſæ, quid temperet annum &c.*, quorum nihil illum intereſt ſcire, neque ad ipſius agendi rationem pertinet. Ex hac itaque ignorantia, quæ ad actum ſpectat, poteſt contingere, ut defectu cognitionis quidquam non voluntarie fiat, immo etiam involuntarie, ſi illud ſit contra virtualem voluntatis inclinationem: quod qua ratione poſſit evenire, ex dicendis patebit; & de his etiam, quæ ad violentiam pertinent, infra. Interim hic teneatur, dum ſcientiæ, aut cognitionis defectum nomino, abſolutam ejuſdem privationem intelligi oportere. Namque ſi aliqua rei, quæ agitur, affulgeat lux, aut cognitionis ſcintilla, poterit quidem ex parte levioris, ac minutæ cognitionis minus voluntarium haberi, §. XIII.; at non quod abſolute dicitur *non voluntarium*.

XXXII.

Sed vix, ac ne vix quidem poteſt intelligi quomodo ignorantia quidquam ut non voluntarium, aut involuntarium, quod fit, queat reddere, niſi quatenus cognitionis defectus aliquo modo in errorem induxit agentem, ſeu volentem quidquam agere (*a*). Quum enim ad volendum aliquid, aut agendum voluntas non moveatur niſi ſpecie utilitatis aliqua, ſive boni, qualecumque illud ſit; nec ad illud moveri queat, niſi vi opinionis antegreſſæ, quæ judicio quodam rationis effecta eſt, quod proxime voluntas ſequitur, §. XI.; conſequens eſt, ſi quid ignorantiæ cauſſa effectum, quod ſit præter, aut

(a) *Ignorantia non influit in actum ſaltem plerumque, niſi per errorem, quo id, quod geſtum, non voluntarium, aut involuntarium fiat.*

aut contra voluntatis propoſitum, non alia ratione concipi poſſe, niſi quia illa neceſſaria ad opus cognitione ſublata aliquo modo influxit in intellectus judicium dans cauſſam errori. Hinc modus, quo ignorantia poteſt reddere actum non voluntarium, aut involuntarium prorſus, eſt *error*, qui in judicium confluxit rei, & conſequenter etiam cauſſam actui præbuit, qui ex errore ſecutus. Quia tamen error, quo quidquam agimus, plerumque in ignorantia concipitur tanquam in cauſſa, atque adeo ejuſdem ignorantiæ naturam, & conditiones ſequitur; ideo quæ de ignorantia dicturi ſumus hoc loco, eadem ipſa de errore, ut in actum influit, ſubaudientur, ne perſimilem cauſſam cogamur ſeparatim ſuis argumentis, & admonitionibus pertractare.

Dictum eſt ignorantiam vix, ac ne vix quidem influere poſſe in actum, niſi per errorem, cui dat cauſſam, (quo modo influxus ignorantiæ intelligitur ut pertinens ad illud cauſſarum genus, quæ ſe habent *ad modum removentis prohibens*, ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 85. a. 5., quia nempe excludit ſcientiam, qua præſente non fuiſſet forte factum, quod factum eſt ignorantiæ cauſſa vel occaſione). Enimvero in omnem actum, qui ab homine fiat, & quem nollet elicere, ſi ſciret, aut quem ignorantiæ occaſione exercuit, certiſſime error aliquis influxit, qui animum occupavit, & ad actum adduxit, quique propterea error ut vere corrupit judicium mentis, ſic etiam re ipſa quidquam ad actionem contulit. Exempla hujus rei ita obvia ſunt in appetitione, & delectu particularium bonorum, quibus ſe ſe animus adjungit, in

contractibus, in aliis vitæ negotiis ſive ad nos, ſive ad alios pertinentibus, ut ne innuenda quidem videantur: tam ſæpe nos tenet miſerabilis ignoratio veri, & qui conſequitur error variis illudens partibus! Cæterum etſi hæc duo, ignorantia ſcilicet, atque error in actu, cui dant cauſſam, vel occaſionem, ſemper, aut fere ſemper connexa ſint; attamen in ſe præciſe ſpectata admodum ſunt diſtinguenda. Ignorantia enim ſimplex eſt ſcientiæ ad aliquid requiſitæ privatio; error autem falſi approbatio pro vero; hinc ignorantia poſitivam non habet oppoſitionem ad verum, ut error, ſed ejus tantum cognitionem excludit; quo fit, ut ignorantia ex ſe non corrumpat phyſice, & intrinſecus intelligentem facultatem in ordine ad ſuum objectum, licet occaſionem præbere corruptioni ejuſdem poſſit per falſum, quod ſequatur, judicium; at error ex adverſo phyſice eam inficit, ut qui, ita dixerim, formam veritati contrariam in mentem inducit, ex quo majus damnum eandem intime afficiens exiſtit; qua de re P. Gerdil *Diſſertazione dell' origine del ſenſo morale propoſ.* 17. Interea animadvertatur, quod dictum eſt, ignorantiam, & errorem, quod ad actum ſpectat, fere ſemper connexa eſſe, quia quoad actus omiſſionem poteſt ignorantia ſe ſola in illam quodammodo influere, puta quia non optamus, aut volumus, quæ neſcimus; quo ſenſu videtur accipiendum, quod de Scythis ſcripſit Juſtinus Hiſtor. 11. 2., *in iis tanto plus profeciſſe vitiorum ignorationem, quam in Græcis cognitionem virtutis*. Sed hæc nihil eſt neceſſe curioſius perſequi. Satis eſt enim, quod ad rem facit, ignorantiam aliquando in actum, vel

etiam

etiam in omiſſionem ſuo modo influere, quacumque demum ratione id fiat, ſive ex ſe ſola, ſive, ſicuti ut plurimum accidit, per errorem, quemadmodum explicavimus. Quæ autem de ignorantia traditurí ſumus, eadem magna ex parte *inconſiderationi* aptanda ſunt, quæ nihil aliud eſſe videtur, niſi *defectus attentionis*, *aut applicationis ſcientiæ ad opus*, *quod ſit &c.*

XXXIII.

His poſitis, ea ignorantia, quæ aliquo modo influit in actum (quod idem de actus omiſſione intelligitur) ei *cauſſam* præbens, vel *occaſionem*, dicitur *efficax*; atque de ea hæc præcipiuntur. I. Quoties defectus ſcientiæ ita influit in opus, ut eo ſecluſo, abſolute factum non fuiſſet, quod factum eſt, illa ignorantia efficax dicetur, utpotequæ *cauſſam* actui dedit, qui ſine illa factus non fuiſſet (a); & quoniam in ea hypotheſi quod geſtum contra virtualem eſt inclinationem voluntatis, ut per ſe liquet, actus ejuſmodi in ſe ſpectatus, quantum eſt ex vi ipſius ignorantiæ, erit prorſus involuntarius, quod idem ſubauditur de operi adjunctis, quæ prorſus ignota, & contra voluntatis inclinationem fuerunt. Atque hoc quidem modo ignorantia *involuntarium* efficit.

Patet ex dictis propoſitio. Nam quum involuntarium illud dicatur, & ſit, quod contra voluntatis inclinationem eſt factum ſaltem virtualem, §. XXVI., qualis ſola intervenire in cauſſa ignorantiæ poteſt, §. XXX.; aliunde vero in hoc caſu, ut ponitur, quidquam factum fuerit contra voluntatis inclinationem; ſequitur illud ipſum, quod ita factum eſt, omnino involuntarium eſſe. Ejus autem

 igno-

(a) *Quomodo ignorantia efficiat involuntarium.*

ignorantiæ indicium conſequens ex Ariſtotele Ethic. lib. 3. cap. 1., & Nyſſeno lib. 5. Phil. cap. 2. ſolet eſſe *triſtitia*, *ac pœnitentia facti*; vehementer enim improbare ſolemus, quæ ſcientia præſente nunquam fuiſſent admiſſa. Vid. Puſend. de jur. nat. & gent. lib. 1. cap. 3., & Barbeyracius ibid. in adnotat. Hanc autem ignorantiam *efficacem* appellamus, quia cauſſam dat operi, in illudque revera influit, ut docuimus; licet etiam efficacem dicamus, quæ ei tantum pro tempore *occaſionem* præbet, de qua infra. Dicimus quoque eam ignorantiam involuntarium reddere quod factum eſt, *quantum eſt ex vi ipſius ignorantiæ*; namque ut abſolute involuntarius reddatur actus etiam moraliter, aliæ requiruntur conditiones ex parte ignorantiæ ipſius ad voluntatem comparatæ, de quibus etiam inferius ſermo erit. Nihil porro hic efferimus de ignorantia, quæ nullo modo influit in id, quod fit, quamque *neſcientiam* potius dixero, quam *ignorantiam*, quum ea ſit ſimplex defectus cujuſque cognitionis, hæc ejus tantum, quæ actui neceſſaria eſt, ut ſupra declaratum. Atque hoc profecto caute obſervandum eſt; nam vafri, & verſipelles homines etiam ex ruſticis, quando e re ipſorum fuerit, ut ſe tueantur in eo, quod inepte ab ipſis geſtum eſt, ſæpe neſcientiam ſuam, ſeu ruditatem, quæ nihil propoſito conducit, pro veri nominis ignorantia obtrudunt, quum aliunde ipſorum agendi ratio ſatis plerumque conſiderata, & proviſa fuerit; quo fit, ut ejuſmodi neſcientia nihil eos valeat excuſare, aut purgare ab eo, quod perperam factum eſt.

XXXIV.

II. Quoties ignorantia ita influit in actum, ut hic, & nunc reapſe ex ignorantia fiat, ſed interim ita comparatus eſt animus, ut adhuc feciſſet ſcientia præſente, tunc ignorantia proprie cauſſa actus non eſt, quia ſine illa adhuc factum fuiſſet, quod factum, ſed occaſio tantum, quia nempe ex illa res natá, ac veluti præſens impulſus datum actum exercendi (*a*). Efficax itaque ea ratione dicetur hæc ignorantia, quia etſi modo ſuperius explicato vere actus cauſſa non fuerit, quatenus ſcilicet removerit ſcientiam eum actum certo prohibituram; attamen hic & nunc vere influxit in illum tanquam occaſio, ſeu præſens motivum determinationis ipſius. Atqui porro non poteſt dici abſolute involuntarium, quod cum virtuali inclinatione voluntatis non pugnat; aliunde non poteſt eſſe voluntarium, quod, ut in ſe eſt, ſine cognitione ipſius, aut ex errore eſt factum. Reſtat igitur, ut talis ignorantia actum reddat ſecundum ſe tantum non voluntarium, quia hic & nunc occaſione ignorantiæ factus, aut ex errore.

Res illuſtratur D. Thomæ doctrina 1. 2. q. 76. a. 1., quæ *de actu peccati* tradita ad omnia ſe porrigit, atque explicat, quæ ex tali ignorantia fuerint facta. Ait itaque: *Non quælibet ignorantia peccantis eſt cauſſa peccati, ſed illa tantum, quæ tollit ſcientiam prohibentem actum peccati: unde ſi voluntas alicujus eſſet ſic diſpoſita, quod non prohiberetur ab actu parricidii, etiamſi patrem agnoſceret, ignorantia patris non eſt huic cauſſa peccati, ſed concomitanter*

(a) *Quomodo ignorantia reddat actum tantum non voluntarium.*

tanter ſe habet ad peccatum, *& ideo talis non peccat propter ignorantiam*, *ſed peccat ignorans ſecundum Philoſophum in 3. Ethic. cap.* 1. *&* 2. Ubi animadvertendum eſt D. Thomam hanc ignorantiam *concomitantem* appellare, non quia & ipſa actum non antecedat (qui enim id fieri poſſet ſemel ac eidem in præſenti occaſionem dat, ita ut non agatur hic & nunc, niſi ex ignorantia rei, quæ ſit?) ſed quia ei non dat cauſſam abſolute, quemadmodum ea, quæ dicitur *antecedens*, quæque una ſecundum ipſum ita *cauſſa* actionis eſt, ut ea ſublata actus ſecutus non fuiſſet. Ejus porro ignorantiæ, qua quis aliquid fecit, quod feciſſet adhuc, etiamſi ignorantia non laboraſſet, conſequens plerumque argumentum eſt *approbatio facti*, quod ea occaſione patratum fuit; cujus exemplum (licet non utile mundo) habetur in eo, qui, ut refert Plutarchus de animi tranquil., lapide in canem devoluto quum caſu novercam offendiſſet, continuo exclamans ait: *fors melius conſilium cepit*, *quam nos*. Interim quod ad effectum ejus attinet ignorantiæ, difficultas exiſtit, quam videtur innuere Pufendorfius lib. 1. de jure nat. & gent. cap. 3., ubi quod ex tali ignorantia perpetratum eſt, non ſecus ac quod ex priore, quam *antecedentem* nominant, & dicunt actus *cauſſam* eſſe, revocat ad caſum *fortuitum*; quia nempe affectus, quicunque fingatur, quem nos *inclinationem animi virtualem* diximus, poteſt quidem cum vitio conjunctus eſſe, ſi malus ſit; at interim nihil hic & nunc contulit ad actionem, ut obſervare licet in eo, qui putans occidere feram hominem interficit, quem alioquin paratus erat interficere, ſi noviſſet; in quo profecto ea volunta-

tis diſpoſitio, ſeu affectus nihil hic & nunc influxit in cædem; quæ ſecuta eſt. Ex quo nimirum ſequi videtur, quoniam quæ fortuita ſunt, habentur involuntaria, propterea talem ignorantiam non ſolum non voluntarium efficere, verum etiam involuntarium. At hoc, quidquid eſt, niſi me ſuſceptæ opinionis amor fallit, facile expeditur ex D. Thomæ doctrina, & antejactis principiis. Ponatur involuntarium eſſe, quod ipſa vis nominis ſonat, id quod eſt contra inclinationem voluntatis; procul dubio involuntarius haberi non poterit caſus etiam fortuitus, qui contra ipſam non eſt, ſed potius ſecundum illam. Quod affectus tunc nihil contulerit ad actionem, id tantum probat eam ab ſciente non fuiſſe patratam; at non efficit, ut, quod fortuito obtigit eo modo, ſit contra inclinationem voluntatis. Ex adverſo ponatur non voluntarium ſimpliciter eſſe, quod ab inſciente commiſſum, (nam profecto voluntarium non eſt, quod ſine cognitione factum); tumque conſtabit, quæ caſu acciderunt, non voluntaria quidem eſſe, at non ſemper dici involuntaria poſſe, niſi ſimul repugnent virtuali ſaltem voluntatis inclinationi. Videantur, quæ ſupra de caſualibus eventibus, §. XVII. Hæc autem accuratius notanda putavi non ſolum, ut perfectius, & diſtinctius tenerentur, quæ eſſe poſſunt, actuum affectiones, ſed maxime, quod ad rem moralem ſummopere pertinet, ut intelligeretur, quæ, & qualis eſſe debeat voluntas ejus, qui vere, & ex animo legem cupit implere. Scilicet illum ita comparatum eſſe oportet, ut non ſolum quæ contra legis ordinem quoquomodo inciderint, ipſi nullo pacto rata ſint, ſeu

non

non voluntaria, ſed etiam anticipata quadam animi præparatione improbata, quo modo involuntarium in iis perpetuo exiſtet. Quod quidem non eo dicitur, quia quæ prorſus ex inſperato eveniunt, ſecundum ſe imputentur, ſed ut omnis adverſus legem pravus etiam in improviſis excludatur affectus.

XXXV.

Sed enim, ut ſuperius dictum eſt, §. XXVII., nulla cauſſa poteſt non voluntarium, aut involuntarium prorſus efficere, niſi quæ ſit *extranea voluntati*, & aliunde in actum ipſum aliquo modo influxerit; alioquin manifeſta eſſet contradictio in eo, quo diceretur quidquam non voluntarium, aut involuntarium, quod aliqua ratione pependiſſet a voluntate (*a*). Ergo ea ignorantia, quæ ſive non voluntarium, ſive involuntarium efficit, ita extranea voluntati eſſe debet, ut nullo modo ab illa dependerit. Hinc quæ aliquo pacto a voluntate eſt, aut eſſe cenſetur, ea haudquaquam non voluntarium, aut involuntarium efficit.

Atque hæc adeo ex ſuperioribus perſpicua ſunt, ut nihil videatur in hac cauſſa retractandum. Tantum admonemus hoc modo clarius intelligi, quid ſit illud principium, quod *extra* eſſe, & voluntati opponi conſtantiſſime docuit Philoſophus, licet interius etiam homini ſit, eumque afficiat, quemadmodum eſt ipſa ignorantia; nimirum illud eſt, quod vere quidem exiſtit vel in ſe, vel in alio, ſed ita plane ut a voluntate nullo modo dependerit,

(a) *Ignorantia ſolum, quæ ſit extranea omnino voluntati, poteſt non voluntarium, aut involuntarium efficere.*

derit, ut exiſteret. Dixi *vel in ſe*, *vel in alio*, ut ejus principii nomine non ſolum comprehendantur, quæ per ſe ſubſiſtunt, ut eſſet exterius quodlibet agens, quod vi ſua poſſet in datas facultates incurrere, ſed etiam quælibet affectiones, quæ nobis hærentes valerent quo demum cumque modo in actum ipſum influere, quemadmodum exemplo eſt ipſa, de qua loquimur, ignorantia. Qua quidem ratione *principia* dicuntur quælibet ſeu cauſſæ, ſeu occaſiones efficaces actionis. Atque eo etiam ſenſu ignorantia, de qua modo egimus, & *concomitans* dici conſuevit, principium quoque actionis appellatur *voluntati extraneum*, quia licet ita præparatus eſſet homo, ut adhuc opus exercuiſſet, ſi ſciviſſet; attamen hic & nunc affectus ille nihil ad eam ignorantiam contulit, quæ ponitur nihil tale volenti tunc obrepſiſſe.

XXXVI.

Illud autem prorſus extraneum eſt, & habetur voluntati, quod ab illa non eſt nec in ſe, nec in cauſſa; illis enim duobus modis ſolet generatim voluntarium terminari, §. XVII. Illa igitur ignorantia prorſus extranea erit, & habebitur voluntati, quæ nec in ſe quæſita, ſeu *affectata* eſt, nec in alio, ſeu *negligentia contracta* (*a*). Quia vero poteſt aliquid ſub initium negligentia contractum non eſſe, quod tamen poſtea fuit, vel quia præterlabi ſita eſt ex. gr. occaſio ſciendi, vel quia poſitivus conatus non adhibitus, ut ſuperarentur ignorantiæ, aut cujuſvis inſanæ opinionis obſtacula; hinc fit, ut

(a) *Ignorantia extranea voluntati eſt, quæ non intenta nec in ſe, nec in cauſſa, & aliunde invincibilis.*

ut ea ignorantia proprie voluntati extranea penitus habeatur, ad cujus originem non modo quiſquam nihil contulit, ſed quam vincere quum opportunis mediis niteretur, non potuit; alioquin adhuc voluntaria in cauſſa erit per modum omiſſionis, §. xvi. Talis porro eſt ignorantia, quæ dicitur *invincibilis*. Igitur ea ſolum proprie habebitur extranea voluntati ignorantia, ad quam non modo quis nihil contulit, ut exiſteret, ſed quam pro re nata, & quæſita occaſione expugnare non potuit.

Enimvero ignorantia omnis, ſaltem non quæſita, penes originem aut ex naturæ conſtitutione eſt, aut ex ejuſdem vitio; inſcientes enim omnes naſcimur. Porro eſt ex ipſius naturæ inſtituto, ut quum per ætatem, ac rationem licet, eam quærat quiſque depellere in his, quæ ſibi neceſſaria ſunt, aut prævidere poteſt neceſſaria ſive natura, ſive lege; alioquin adhuc rerum utcumque neceſſariarum ſeu in vita, ſeu in quolibet officiorum genere inſcitia vexaremur, ſi quæ ſemel ſine nobis animos ignorantia occupavit, manere permiſſa fuiſſet; immo excreviſſet adhuc mala conſuetudine, aut alterius rei cauſſa, niſi diligens excolendis animis acceſſiſſet cura, & ſtudium opportunum. Si quis itaque non modo præterire ſinat opportunitatem ſcientiæ comparandæ, quæ neceſſaria erat, aut talis prævidebatur, ſed etiam nullam det operam, aut non ſatis idoneam, quam poterat, ut ignorantiam expellat; naturalis quidem ea erit, ſeu non voluntaria penes ipſius originem, at interim voluntaria erit, quum primum excuti potuit, penes ejuſdem permiſſionem, eaque perget porro in actum ſibi reſpondentem ſuo modo

in-

influere tanquam voluntaria ejuſdem cauſſa, aut occaſio, quouſque non fuerit efficaci ſaltem animi conatu retractata. Hinc ab Hadriano VI. in 4. de confeſs. q. 1. dub. 7., quæ maxime in rebus morum invincibilis ignorantia dicitur, quæque adeo nec penes ſui originem, nec penes permiſſionem ejuſdem a voluntate eſt, ita deſcribitur; *Ignorantia ſola eſt in homine invincibilis, quando facit quod in ſe eſt apud Deum, & homines, ut mereatur veritatem edoceri volens efficaciter amplecti, in quamcumque partem Dei præceptum declinaverit*. Qua in re advertendum, quod ſcribit Hadrianus *ſolam ignorantiam eſſe in homine invincibilem*, ideſt prorſus involuntariam, *quando facit quod in ſe eſt &c.*, quia non eſt putandum, quod perperam quibuſdam placuit, ut quid voluntarium habeatur perſonæ, ſatis eſſe, ut illud fuerit voluntarium, ita dixerim, in natura, quo modo intelligitur voluntarium peccatum originis, in eoque ignorantia & cæteri effectus inde pendentes, triſtia ejus culpæ ſtipendia. Namque, ut optime obſervat D. Thomas in 2. diſt. 30. q. 1. a. 2., & in diſput. 4. a. 2., etſi ad peccatum naturæ, quale eſt originale, (quod etiam ſubaudiendum eſt de alio quovis defectu ex eo conſequente) ſufficiat voluntas in natura illa; non tamen ad actum, aut peccatum perſonæ, ad quod requiritur ſuæ ipſius perſonæ voluntas, quæ agendo quidquam, vel non agendo in datum opus, aut effectum influxerit. Hinc proinde ignorantia quævis, ut maneamus in cauſſa, non poterit voluntaria perſonæ haberi, & eo ſenſu ipſi imputari crimini, tantum quia voluntaria in peccato originis fuerit, ſed præterea neceſſe eſt, ut

ipſa

ipſa perſona, quum potuiſſet eam depellere, non depulerit, quod ſufficit ad voluntarium phyſicum per modum omiſſionis; aut ut etiam debuerit pro dato officio, aut tempore depellere, & defuerit obligationi, quod omnino requiritur, ut talis ignorantia perſonæ ipſi tribui poſſit ad culpam, aut eidem moraliter voluntarium haberi, quod ejus ignorantiæ vi quaqua de cauſſa ſecutum eſt. Conferantur, quæ dicta ſunt de voluntario moraliter, §. XVIII. Interim ſi adhibita omni diligentia talis, aut alia quælibet ignorantia diſcuti non potuerit, comparabitur ex Ariſtotele quodammodo *inſcitiæ naturali*, *qua*, ut ait ipſe, *neſcii infantes parentes cædunt*, cujus ipſi inſcitiæ cauſſa non ſunt, ſcilicet nec penes originem, nec penes permiſſionem ejuſdem, ex qua propterea in actibus inde pendentibus ne injuſti quidem dicuntur. Hinc ſola ejuſmodi ignorantia invincibilis, *& abſque omni inordinatione voluntatis, totaliter facit actum ſequentem involuntarium*, ait D. Thomas in diſp. qu. 3. ar. 8. Dixit *abſque omni inordinatione voluntatis*, ut etiam excludatur omnis affectus adhuc aliquid faciendi, etiamſi abeſſet ignorantia, de quo ſupra, ubi de ignorantia concomitante, §. XXXIV. Addidit *totaliter*, quia etſi ignorantia negligentia contracta, quæ ſcilicet affectata non eſt in eum finem, reſpectu operis, quod ex ea, aut ejus occaſione eſt factum, minuat quodammodo voluntarium, quia in cauſſa eſt, ut voluntas per ſe, & directe in illud non feratur, quemadmodum in affectata contingit, quam quis ex amore dati finis intendit, ut nempe facilius, aut felicius obtineatur; attamen quia in cauſſa per modum omiſſionis voluntaria fuit; opus conſequens

ſequens nunquam poterit ejus vi abſolute, & uſquequaque reddi involuntarium, aut penitus non voluntarium, ut ex antea dictis patet. Aliud eſt, ſi poſtea retractata fuerit ejuſmodi ignorantia indocilis, ut ponitur, exturbari; tunc enim perinde eſt, ac ſi hic & nunc prorſus involuntaria eſſet, atque invincibilis, quod ſpectat ad effectum, qui ſequitur.

XXXVII.

Ex his itaque patet, ut in pauca conferamus omnia, quæ hactenus de ignorantia diximus (*a*), pari jure de errore accipienda, illam ſolum ignorantiam, quæ omnem ejus, de quo agebatur, ſcientiam, & cognitionem excluſerit, atque efficaciter in actum (quod idem de omiſſione intelligitur) influxerit inſtar occaſionis, aut cauſſæ, poſſe quod ſic geſtum eſt, non voluntarium reddere, aut involuntarium eo, quem tradidimus, modo; dum tamen hæc ipſa ignorantia neceſſariam ad actum ſcientiam removens voluntati prorſus extranea fuerit, quatenus nec in ſe fuerit quæſita, ſeu affectata, nec contracta negligentia, cujuſmodi illa eſt, ad cujus originem etſi nihil voluntas contulerit, eam tamen manere paſſa eſt, ac dominari, quam opportunis mediis pellere potuiſſet, aut poſſet. Verbo, ea tantum ignorantia non voluntarium, aut involuntarium reddit actum, quæ & in ſe, & in ſui cauſſa fuerit invincibilis.

Dixi, quæ *in ſe, & in ſui cauſſa* invincibilis fuerit, quia poteſt aliquid tale eſſe in ſe, quod tamen in ſui cauſſa invincibile non fuerit, ut exemplo eſt ignorantia hominis temulenti, quæ quidem

(*a*) *Dictorum concluſio.*

in ſe invincibilis eſt, quandiu durat ejuſmodi inſania, ſed talis non fuit in ſua cauſſa, quia homini licuiſſet non inſanire. Quamquam talem ignorantiam vix invincibilem appellavero, quæ potuiſſet evitari, ſi mens non læva fuiſſet, ut notat Heinec. lib. 1. Elem. jur. nat. & gent. c. 2. §. 50.; qua de cauſſa & duplex pœna olim ebriis peccantibus conſtituta erat, ſcilicet & pro ebrietate ipſa, quam non licebat inducere, & pro eo, quod inſcientes patraviſſent mali. Vid. Ariſtot. Nicomacheor. 3. 7. Moneo etiam ad pleniorem omnium, quæ hactenus tradita ſunt, intelligentiam ſæpe hæc *non voluntarii*, & *involuntarii* vocabula a quibuſdam olim indiſtincte adhibita fuiſſe videlicet fortaſſe non reſpicientibus ad eam virtualem, aut interpretativam animi affectionem, quæ etiam in improviſis eſſe poteſt, quamque adeo diligenter notandam voluit D. Thomas. Atque ea de cauſſa, ut arbitror, factum eſt, ut ex. gr. S. Joannes Damaſcenus accipiendo generatim non voluntarium pro involuntario ſcripſerit lib. 2. de fide orth. cap. 2. *non voluntarium vel per vim fieri, vel per ignorantiam, & quod voluntarium non eſt . . . . ſine mœrore non patrari*. Sed de hoc argumento ſatis.

XXXVIII.

Venio nunc ad violentiam, quam ſuperius §. xxxi. eſſe dixi actionem quandam extranei principii præter naturam voluntati ejus, in quem exercetur, repugnantem quoad ea, quæ per ſubjectas ſibi facultates fieri vellet, aut nollet ejuſdem voluntas (*a*). Quo modo violentia & ab iis impreſſionibus,

(a) *Explicatur natura violentiæ, & quomodo differat ab impreſſione naturali*.

nibus diſtinguitur, quæ naturales eſſe poſſent, dum intelligitur agere *præter naturam*, ideſt modo naturæ minime conſono, quod innuit ipſum violentiæ nomen; & aliunde eaſdem ipſas impreſſiones quodammodo poteſt comprehendere, quæ licet naturæ, ſaltem ut nunc eſt; non repugnent, repugnant tamen voluntati agentis, qua rationalis eſt. Hinc quidquid de violentia dicemus, pari modo accommodabitur iis naturalibus impreſſionibus, qua parte & ipſæ contra voluntatem ſunt, & ex iis quid efficitur voluntati uſquequaque repugnans.

Scilicet majoris declarationis gratia puto duo in violentia eſſe diſtinguenda. I. quod præter naturam agat, ideſt contra particularis naturæ ordinem; unde, quod violentum dicitur, eſt etiam *innaturale*, & tollit ſpontaneum, quod ex naturæ inclinatione conſtituitur. Sic motus cordis, quo arteriæ pulſantur, naturalis quum ſit, non eſt violentus; qui vero ex palpitationibus oritur, quia modum excedit, nec eſt conſentaneus naturæ, violentus habetur. II. quod agat etiam contra voluntatem, ideſt appetitus rationalis inclinationem in eo, qui ejuſmodi appetendi facultate gaudet. Primo modo violentia etiam cadit in belluas, quia & in iis fieri aliquid externa actione poteſt, cui earum inſtinctus, & naturæ propenſio adverſetur. Altero modo tantum locum habet in homine, qui voluntate pollet, ideſt facultate appetendi rationali. Jam vero etſi homo voluntatem habeat, quæ veluti in ipſo dominans facultas eſt, non excluditur tamen ab eo, quæ adhuc manet, appetitio, ſeu inclinatio naturæ. Hinc quia violentum proprie dicitur, quod facit etiam innaturale, ſeu quid naturæ repugnans, ideo

violentiam etiam in homine ſtricte acceptam ad eam tantum extraneam actionem contrahimus, quæ non modo quid contra voluntatem efficiat, ſed etiam adverſus manentem in ipſo propenſionem naturæ, atque ea ratione §. XXIX. a violentis motibus impreſſiones diſtinximus naturales, ideſt naturæ ordini accommodatas, quas ibidem involuntarias diximus eſſe poſſe, at non proprie appellandas eſſe violentas. Quod etiam innuere viſus eſt Paullus D. lib. 4. tit. 2., vim, ſeu violentiam definiens *majoris rei impetum, qui repelli non poteſt*, ubi certe *impetus* nomine quid venire videtur non tam voluntati repugnans, quam & ipſi quoque incommodum naturæ. Cæterum quia, quod ad hominem pertinet, ex ipſius appetitu rationali petitur judicium de eo, quod ipſius naturæ, qua homo eſt, congruat, aut repugnet; ideo factum eſt, ut omiſſa omni conſideratione propenſionis pure naturalis, id omne violentum diceretur, quod etſi naturæ non incommodum, repugnaret tamen voluntati. Atque ea plane ratione dicimus & nos quidquid contra voluntatem eveniat, licet proprie violentum non ſit, quando non repugnat etiam naturæ inclinationi, attamen, quod ad conſtitutionem involuntarii pertinet, & in moralibus, eaſdem leges ſequi, & conditiones, quas ſequitur illud ipſum, quod dicimus violentum.

XXXIX.

Jam vero ex memorata definitione patet actionem illam extranei principii a voluntate non eſſe, immo eſſe contra ipſius inclinationem (*a*). Ergo ex hoc jam habetur talem actionem, ſeu impetum, qui

(a) *Quemadmodum violentia involuntarium efficiat.*

qui in nos fit, non modo voluntarium non eſſe, ſed eſſe penitus involuntarium, quia voluntati repugnat. Rurſus ex tali actione extranea voluntati poteſt datus effectus ſequi in facultatibus illi obnoxiis, quatenus impediantur, ne impleant voluntatis imperium, aut agantur, contra ac ipſa velit. Atqui talis effectus non poteſt dici voluntarius in cauſſa, quia actionem illam extraneam noluit voluntas, atque eidem, ut valuit, reſtitit; non poteſt dici voluntarius in ſe, quia eundem ipſum effectum, qui in datis facultatibus ſequitur, nollet voluntas, eidemque etiam reluctatur, quantum poteſt. Reſtat ergo, ut non modo actio ipſa violenta habeatur involuntaria, ſed & effectus idem ipſe, qui ex violentia ſequitur, dum eidem non ſecus ac actioni, qua producitur, voluntas repugnat.

Hinc porro duo intelliguntur. I. quemadmodum non ſolum quod violentum eſt proprie acceptum, ut explicavimus, poſſit, quod ſecutum inde eſt, reddere involuntarium, ſed etiam quod ex naturali impreſſione fit, modo repugnet voluntati; quo modo & involuntarias diximus cogitationes quaſdam, quæ extraneorum objectorum incurſu nobis nolentibus fuerint excitatæ, atque etiam permaneant, licet naturæ inclinationi, ſaltem ut nunc eſt, minime repugnantes; qua ratione cogitationes ejuſmodi non ſolum a voluntate imperante non ſunt, quemadmodum illæ, quas toties diximus poſſe hominem de quolibet objecto habere, vel non habere, §. x., & xxi., ſed immo penitus ea repugnante habentur. Intelligitur II., tametſi violentia proxime videatur in corpus pertinere, ejus tamen effectus aliquo modo etiam in interiores facultates

 cultates

cultates redundare, quatenus ſæpe externa actione & illæ indirecte agi queunt, ac perturbari; quo ſenſu dictum eſt D. lib. 4. tit. 2., *quodcumque vi atroci fit, id metu quoque fieri videri*, ut quum non ſolum ora pallor albus inficit, verum etiam mentes perculſæ ſtupent; qui itidem metus ſive a natura, ſive a cauſſa alia productus poteſt eſſe ea ratione involuntarius, ſicut & tot alii turbulenti motus, jactationeſque interiores, quas ſæpe patimur inviti.

X L.

Conſtat itaque violentiam (quod idem de naturali, ut diximus, impreſſione intelligitur) efficere involuntarium, eaque ratione voluntario opponi, quia nec in illam, ut fingitur, influit voluntas ullo modo, alioquin proprie non eſſet violentia, nec in ſecutum effectum, immo utrique repugnat (*a*). Hinc proinde ſi actio, aut cauſſa, ex qua dicitur violentum exiſtere, fuiſſet aliquo modo intenta a voluntate, tum nec ipſa uſquequaque ſaltem ſub eo reſpectu violenta dici poſſet, tum nec effectus conſequens eſſet abſolute involuntarius: rurſus ſi actio illa non intenta, probatus tamen aliquo modo fuiſſet, qui ſequebatur, effectus, etſi ſub initium violentum quid, atque involuntarium potuiſſet intelligi, non tamen poſtea, quum cœpit voluntas effectui, aut tali actioni conſentire. Hinc ut vera violentia habeatur, itidemque proprie violentus, atque involuntarius ſit effectus in hac cauſſa, illud abſolute requiritur, ut nihil ex parte voluntatis habeatur ad illum pertinens, ſed tantum

quod

(a) *Quid requiratur, ut abſolute involuntarium ſit, quod ex violentia factum.*

quod *paſſio* dicitur, & quæ quidem ipſa ingruat repugnante voluntate.

Et vero, inquit Damaſcenus lib. 2. de fide orth. cap. 22., *paſſio eſt motus ex alio in alio, nimirum ex actione alterius efficaci*. Hinc propterea is, qui vere patitur, nihil conferre ad talem motum debet, qui in ipſo fit, & ſi conferat quidquam, immo ſi ei abſolute non repugnet, proprie paſſio non eſt, neque ſimpliciter ad violentiam pertinet, quod ita fit, atque adeo nec poteſt abſolute involuntarium dici. Suffragatur Angelicus 1. 2. q. 6. a. 5. inquiens: *Quum actio infertur ab aliquo exteriori, manente in eo, qui patitur, voluntate patiendi, non eſt ſimpliciter violentum, quia licet ille, qui patitur, non conferat agendo, confert tamen volendo pati; unde non poteſt dici involuntarium*. Requiritur igitur, ut ex parte ejus, qui extraneæ ſubeſt actioni, violentum ſaltem generatim interveniat, quod ipſe renitatur, nec ullo modo acquieſcat; quo pacto ſimplex habebitur in ipſo paſſio, & quidem contra voluntatis inclinationem, quæ nempe ſic patitur in organis, membris, facultatibuſque ſibi ſubjectis, dum contra illam majore impetu aguntur, cui reſiſtere non poteſt. Atque ea plane ratione inſignis illa mulier, ut eſt apud S. Cyprianum epiſt. 18., Bona nomine, quum a marito ad ſacrificandum traheretur, aliis tenentibus ipſius manus, conteſtata eſt, quiquid fieret eo modo, id non ab ſe, ſed ab illis factum: *Non ego feci, vos feciſtis*; quia nimirum quoad illud nulla ipſius actio, paſſio tantum erat repugnantis voluntatis; & ſimiliter de Lucretia Romana, quæ, ut fertur, violenter a Tarquinii Regis filio oppreſſa fuerat,

 eadem

eadem ipſa de cauſſa egregie, veraciterque, ut Auguſtinus refert lib. 1. de civ. Dei cap. 19., a quodam declamatum eſt: *Mirabile dictu! duo fuerunt, & adulterium unus admiſit*; ut videlicet intelligeretur non ab ipſa factum, quod ab alio in ſe commiſſum, ipſa renitente, quum nullus quantumvis magnanimus, & pudicus in poteſtate habeat quid de ſuo corpore fiat, ſed tantum quid annuat mente, vel renuat. Quæ quidem omnia adhibita proportione ad alia transferri in univerſum queunt, quæ ſive a naturali, ſive ab exteriore cauſſa producta poſſunt in homine fieri ingrata voluntate, eademque penitus renuente.

XLI.

Ex his porro omnibus hoc exiſtit magni nominis conſectarium. Quidquid violentia fit, aut naturali impreſſione quavis, ideo generatim involuntarium habetur, quia, ut ponitur, non modo nihil ad illud contulit voluntas, verum etiam & illi ipſi, ſicut etiam ejuſdem cauſſæ, ſeu actioni extraneæ, qua producebatur, reſtitit, ut potuit (*a*). Ergo quandocumque occaſione cujuslibet doloris, metus, aut alterius impreſſionis voluntas cedat, vel quid efficiat, illud plane adhuc voluntarium erit. Quum enim, ut dictum eſt §. XXVIII., voluntas, quod ſpectat ad actus ſibi proprios, atque immediate, ut ajunt, elicitos, cogi nequeat, ut ſunt velle, & nolle, & cætera inde pendentia, de quibus §. IX.; patet, ſi quid ea occaſione circa ejuſmodi a voluntate fiat, illud utpote non extortum,

(a) *Qua ratione adhuc voluntarium, quod non ex violentia, ſed occaſione doloris, metus &c. factum ab homine.*

tum, quod fieri nequit, ſed ab ipſa voluntate elicitum, adhuc voluntarium eſſe, magis, vel minus, prout tulerit natura, & gradus motus ipſius voluntatis, aut ingruens ejus determinationis cauſſa.

Enimvero, ut ajebat Epictetus apud Arian. 1. 17., *inquiet quis: qui mihi mortis proponit metum, me cogit. Profecto non quod imminet in cauſſa eſt, ſed quia tibi ſatius videtur aliquid eorum facere, quam mortem oppetere. Quare tua te opinio coegit, ideſt voluntas vicit voluntatem*. Hoc ipſum dicatur de eo, qui, dum torquetur vi, & doloribus, eorum cauſſa quid agit ex. gr. in vetitum nefas ruens; quippe actus iſte non eſt vis ipſius, ſed voluntatis, nec voluntas tunc mere patitur, ſed agit ipſa, & perinde eſt, ac ſi ex majoris, ut putat, conſideratione mali, quod ad metum revocatur, ſe ſe ad aliquid determinet. Hinc quæ metu facta etiam *majoris malitatis*, ut Ulpiani verbis utar, adhuc voluntaria ſunt, immo, ſi bene conſiderentur, magis voluntaria, quam involuntaria, quia ex efficaciore voluntatis inclinatione eſt, quod quis potius eligat hoc facere, quam aliud pati. D. Thom. 1. 2. q. 6. a. 6. Quo ſpectat S. Auguſtini ſententia lib. 1. de ſpiritu cap. 31. *Si ſubtilius advertamus, etiam quod quiſque invitus facere dicitur, ſi facit, voluntario facit; ſed quia malit aliud*, (ideſt non facere, ſi datus impulſus non adeſſet) *ideo invitus, hoc eſt nolens facere dicitur*. Quamquam hac ipſa de cauſſa, ſi hæc poſtea comparentur ad ea, quæ propria ſponte, & tranquillo animo fiunt, minus voluntaria haberi poſſint, aut ſolum ſecundum quid, §. XIII., & XIV., vel propter mentis turbationem aliquam tunc ingruentem, vel

propter

propter hærentem adhuc animo, licet minus efficacem, ad id, quod agitur, repugnantiam. Teneatur itaque, quod propoſitum, ſolum quod vi, aut naturali impreſſione fit, cui omni modo reſiſtere nititur, & porro, ut poteſt, reſiſtit voluntas, abſolute involuntarium eſſe. Cætera, quæ metu quovis, aut alia de cauſſa (modo rationem penitus non dejecerint) licet cum aliqua repugnantia fiant, ad involuntarii naturam minime pertinere; quod deſcendit ex principio antea conſtituto, quo dictum eſt voluntatem cogi non poſſe, & quidquid agit, quacumque occaſione agat, ſemper agere voluntarie, ideſt ex motu interiore, & ſuo. Eo pertinebant etiam omnes ſive Platonicorum, ſive Stoicorum ſententiæ, qui licet verbis inter ſe diſſiderent, re tamen conſentiebant nullas concitationes, ac perturbationes, quæ acciderent inferioribus animi partibus, poſſe menti, rationique, hoc eſt voluntati dominari, itaut ad aliquid adducatur neceſſario. Poteſt enim ipſa ſemper non conſentire, fixam tenere ſententiam, ſi velit, atque ita reſiſtendo regnum ſuum exercere. Talem, inquit Auguſtinus lib. 9. de civ. Dei cap. 4., deſcribit Virgilius Æneam:

Mens immota manet: lacrymæ volvuntur inanes.

XLII.

Explicatis iis, quæ ad *non voluntarii*, aut *involuntarii* cauſſas generatim pertinebant, agendum nunc eſt de cauſſis libero oppoſitis, ut propoſitum fuit §. XXIV. (*a*). Quod ut probe fiat, animadvertendum libertatem, quam diximus ſenſu intimo nos

(a) *De cauſſis libero oppoſitis, itemque ſynopſis eorum, quæ ſuperius dicta de libertate generatim.*

nos experiri, nihil aliud eſſe, niſi poteſtatem quandam volendi, vel non volendi, agendi, vel non agendi hoc, aut illud, quod ſubſit electioni, quemadmodum bona particularia ſunt, quæ ſe ſiſtunt, aut proponuntur, non neceſſario cum felicitate noſtra conjuncta, circa quæ locus patere conſilio, ac deliberationi poteſt, quod vel ipſa experientia teſtatur; atque ea ratione libertatem, ut nunc eſt, & quam perſentiſcimus, *facultatem* appellavimus *voluntatis*, qua poteſt ea velle, aut non velle, & eorum cauſſa ſe ſe adjungere actioni, vel non &c., & *rationis*, quatenus intellectus a voluntate agi, moveri, & applicari poteſt ad cogitandum, vel non cogitandum de hoc, aut illo, ſub hoc, aut illo reſpectu, & pro variis, quos voluerit, gradibus, modiſque attentionis; quo modo actus habetur intellectus, ſeu ejus uſus, ſed a voluntate imperatus. Hæc omnia ſaltem in genere, ut arbitror, ſatis liquent ex iis, quæ tradita ſunt §. XX. XXI. &c.

Adnoto hic, quod dictum eſt libertatem eſſe poteſtatem volendi, vel non volendi, agendi hoc, aut illud, quod ſubſit electioni. Namque, ut probe monet S. Joannes Damaſcenus cit. lib. de fide orthod. cap. 22., latius patet in comparatione ad objecta poteſtas volendi, ſeu optandi, quam agendi. *Dicitur enim*, inquit, *volitio tum de iis*, *quæ in noſtra poteſtate ſunt*, *tum de illis*, *quæ in ea non ſita ſunt*, *hoc eſt de iis*, *quæ fieri poſſunt*, *& de illis*, *quæ non poſſunt*. *Etenim libidini indulgere*, *aut pudicitiam colere*, *aut dormire*, *aut hujuſmodi quidpiam plerumque volumus*: *volumus quoque fortaſſe non mori*, *quod quidem fieri nequit*. Hinc data opera adjectum eſt, *quod ſubſit electioni*, quia nonniſi

de

de iis, quæ in poteſtate noſtra ſunt, poteſt eſſe conſilium, aut deliberatio maxime quoad actionem. Immo ſubjicit idem S. Pater ibid. cap. 26., *eorum* etiam, *quæ ſub actionem cadunt*, *electionem quidem ſemper in noſtra poteſtate eſſe*, *cæterum actionem ſæpe impediri certa quadam providentiæ ratione*; quo in caſu libertas ſe ſe exerere poteſt eligendo, quæ in agendo nequit haberi; quod quanam ratione, & in quibus contingere queat, infra ex eodem declarabitur. Interea ex iis illud ſaltem in præſens tenendum eſt, perperam contra libertatem, quam habemus, urgeri impotentiam eorum, quæ noſtro arbitrio non ſubjecit Deus, quod ex. gr. nequeamus volucrum inſtar vacuum aëra experiri, & cœlo frui libero, aut ut monſtra natantia ſub aquis vivere &c. Libertas enim in permiſſis tantum accipitur, & ubi circa illa habeatur, fruſtra ad eam exturbandam alia producuntur inconceſſa; quod omnino ridiculum eſt, ut idem ipſe fatetur Helvetius *de l'eſprit diſc.* 1. *ch.* 4.

XLIII.

Ex hac porro doctrina illud I. conſequitur, ſi libertas facultas voluntatis eſt, quæ volendo, aut non volendo maxime exerceatur, procul dubio ſine voluntate, ſeu inſita vi appetendi nullam poſſe libertatem intelligi (*a*). Enimvero quum *poſſe* ipſum, ut naturam libertatis ingreditur, & indicat exercitium poſſibile, aut futurum alicujus actus, ponat antea exiſtentem ipſam immanentem vim, ex qua prodire talis actus queat; profecto, quum dicimus nos libertatem, ſeu potentiam habere volendi,

(a) *Ex præhabita doctrina ſine voluntate nulla libertas.*

lendi, vel non volendi &c., neceſſario præconcipienda ipſa voluntas eſt, ſeu ea volendi vis, cui poſſit & contrarius actus reſpondere nimirum non volendi. Hinc proinde ſine voluntate nulla libertas. Rurſus iſthæc voluntas, ſeu vis inſita volendi rationalis eſſe debet, ut alibi docuimus, qualem tantum in homine agnoſcimus, quatenus nempe poſſit & finem noſſe, & ordinem mediorum ad finem, eaque comparare, & ex iis eligere, quod aptius viſum, & alia id genus, quæ nonniſi potentiæ, ſeu vi rationis participi competunt; alioquin, tali potentia ſecluſa, concipi quidem poterit ſpontaneum, ſeu inclinatio naturæ ad aliquid determinatæ, ut in brutis, cujuſmodi appetitus naturalis dicitur; non autem ea vis proprie volendi, vel non volendi, prout res, vel convenientia ejuſdem cognita fuerit ſub ratione finis, vel ſub ratione mediorum ad finem; quod nonniſi appetitus rationalis officium, & munus eſt.

Hæc facilius intelliguntur, quam demonſtrentur. Diſtinguimus & in nobis ipſis inclinationem naturæ quamdam ad aliquid, & agnoſcimus ſimul aliam vim, qua poſſumus velle ab illo alienari, idemque repudiare ex. gr. non ob utilitatem aliquam ſenſibilem, ſed ob bonum quoddam rationis. Atque hæc porro vis eſt, quæ appetitui pure naturali, & ſenſibili, qui ab objectis externis ducitur, poteſt dominari, eumque comprimere, ſi velit, & ab eo etiam continere, in quod maxime inclinatur. Hæc autem appetendi vis cum ratione conjuncta ea eſt, quam voluntatem dicimus naturis inferioribus non communem, & ſine qua affirmamus nullam intelligi libertatem poſſe, quia appetitus naturalis ducitur

citur potius, quam ducat, & libertas præconcipit vim appetendi illi ſuperiorem, eumque aptam ducere, ac regere; quo fit, ut eo ſenſu libertas non habeatur, niſi pro eadem ipſa vi illi appetitui rationali inſita ſuos proprios actus, quum voluerit, exercendi; de quo infra. Paucis hæc omnia attigit Damaſcenus toties citato libro 22. de fide orth. cap. 22., ubi inter alia probat homini libertatem competere, quia ejus appetitus rationabilis eſt, & cum ratione movetur, neque adeo ducitur appetitu naturali, quemadmodum bruta, in quibus protinus, ut rei alicujus appetitus naſcitur, impulſus quoque ad actionem exiſtit; & ideo, ſubdit cap. 26., libertate carent, quia a natura aguntur magis, quam agant, ac proinde nec naturali quidem appetitui repugnant, ſed quamprimum aliquid appetiverint, in actionem ruunt; quod contra in homine accidit, qui, quum ſit rationis particeps, naturam potius ducit, quam ab ea ducatur; quo fit, ut etiam quum aliquid appetit, vel appetitum comprimere queat, ſi velit, vel illi obſequi &c. Id quod etiam innuere viſus eſt Tullius, quando ait lib. 1. de offic. cap. 4., belluas tantum ſenſu moveri, atque ad id ſolum, quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accommodare paullulum admodum ſentientes præteritum, aut futurum; hominem contra, qui rationis particeps eſt, conſequentia cernere, principia, & cauſſas rerum videre, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorare, ſimilitudines comparare poſſe, & rebus præſentibus adjungere, atque annectere futuras &c. Ex quo nimirum, ut ego interpretor, fit, ut quum homini longe amplior, atque ſublimior cognitionum ordo

ſit

ſit propoſitus, quam ambitus ſenſibilium, indeque major exiſtere ad ipſum, ut rationalem, rerum convenientia, vel diſconvenientia poſſit, quam ex illis, quæ ſenſu tantum percipiantur; ex illarum ſerie, intuitu, & comparatione queat præſentia, & ſenſibilia æſtimare, reprobare, vel admittere ex nobiliore principio, itemque appetitui naturali moderari, quod idem eſt, ac quod diximus, eum regere voluntate.

XLIV.

Sequitur II. quoniam poteſtas volendi, vel non volendi, quam in voluntate ponimus, eamque veluti fundamentum eſſe diximus libertatis, relationem habet ad objecta, circa quæ ejuſmodi volendi, aut non volendi actus poſſunt exerceri; ſequitur, inquam, ad libertatem non ſolum requiri eam poteſtatem, quæ valeat ejuſmodi actus exerere, cujuſmodi voluntas eſt, ſed etiam requiri, quod eos poſſit exercere in relatione ad objecta, quæ ipſi proponi queunt (*a*). Quo fit, ut libertas non modo voluntatem ponat valentem eos volendi, aut nolendi actus exercere, ſed etiam ex parte objectorum poſtulet ea ita comparata eſſe, ut propoſita voluntati poſſit eadem velle ipſa, aut non velle, quod idem eſt ac ex illis eligere, quod voluerit, vel repudiare.

Et ſane ſi fingatur objectum aliquod, quod voluntas non poſſit non velle, quando ei proponatur, profecto comparate ad illud non erit libera voluntas, quia illud volet neceſſario, nec poterit ejus oppo-

(a) *Rurſus nulla libertas ratione objectorum, ſeu electionis, niſi ea talia ſint, ut ipſa poſſit voluntas velle, aut non velle &c.*

oppoſitum velle. Itaque in eo caſu habebitur quidem voluntas exercens actum volendi, ſed non poterit in ipſa concipi quoad illud poteſtas non volendi, adeoque peribit libertas ſaltem in comparatione ad ejuſmodi objectum. Ex quo propterea intelligitur, quemadmodum ipſa libertas ſola voluntas non ſit, ſeu vis ea, qua ſimpliciter poteſt velle, aut nolle, ſed ſit facultas quædam, qua poſſit velle, vel nolle cum electione comparate ad objecta, circa quæ exerceri, vel cadere poſſunt actus volendi, vel nolendi. Egregie id obſervavit clariſſimus P. Lequien in adnotationibus Damaſcenicis ad cap. 22. lib. 2. de fide orth., ubi animadvertit quoſdam *liberum arbitrium* ſic intelligere, ut, *quocumque modo voluntas trahatur ad unum aliquod appetendum, nihilo ſecius liberrima ſit ſponte volendo.* Qua in re quoque obſervat eos immerito pro ſua ſententia Patres laudare, ac præcipue illud Damaſceni teſtimonium, quod habetur lib. 3. cap. 34. *Definitum eſt a Patribus libertatem nihil aliud eſſe, præterquam voluntatem*. Etſi enim, ut optime argumentatur doctiſſimus vir, S. Joannes Damaſcenus (quod idem de aliis Patribus tenendum eſt) liberos actus a voluntate proficiſci dixerit, liberos tamen eſſe alio modo non probat, niſi *quia electione fiunt*; nec juvat, ſubdit, quod ajunt, Damaſcenum docere hominem eſſe liberum, quia rationalis eſt, hoc eſt quia motum omnem voluntatis ejus, quantumcumque neceſſarius ſit, conſideratio rationis comitatur. Namque tametſi, ut homo liber ſit, & illud ipſum requiratur, ut ratione utatur; tamen S. Pater non alio modo probat hominem eſſe liberum, qua rationalis eſt, niſi quia
utendo

utendo ratione conſultat, quumque deliberaverit, id tandem eligit, quod ſibi melius judicavit. *Quiſquis conſultat*, inquit cap. 27., *perinde conſultat, ceu rerum agendarum in ipſo poteſtas ſit, ut quod conſultando viſum melius fuerit, hoc eligat, & quum elegerit, exequatur*. Ut ergo, concludit, homo liber ſit, non ſufficit attentio ſola in id, quod vult, ſed neceſſe eſt, ut ſui compos & eligendo unum amplectatur, altero poſthabito. Quocirca c. 10. inſt. elem. docet hominem eatenus eſſe liberum, quod *arbitrio proprio* ad ea feratur, *quæ ſunt in noſtra poteſtate, quæ poſſumus adſciſcere, ut & eorum contraria*. Nihil afferri in hac cauſſa luculentius poterat, quo & vera libertatis idea evolveretur, & ſimul explicarentur, quæ ex adverſo ſtare viderentur SS. Patrum ſententiæ.

X L V.

His expoſitis, jam habemus, niſi fallor, libertatis notionem, qualem ex ſenſu intimo haurire poſſumus, ut nempe ſit facultas quædam volendi, vel non volendi inſidens voluntati comparate ad ea, quæ ejus ſubſunt electioni, ideſt poteſt ipſa velle, vel non velle (*a*). Ex quo principio intelligitur, quæ ſit *libertas exercitii* toties in ſcholis propoſita, nimirum vis, ſeu facultas, quam ex ſe habet voluntas eliciendi actus ſuos, ſcilicet volendi, aut non volendi; *ſpecificationis*, ideſt volendi hoc, aut illud, ut ſpecie differunt; & *contrarietatis*, nempe volendi hoc, aut illud, quæ contraria ſibi invicem ſint, & opponantur. Atque hæc porro erant, quæ neceſſario fuerant propoſitæ diſquiſitioni præmunienda.

(a) *Explicatior libertatis notio, ejuſdemque diſtinctio*.

Animadvertendum hic quoſdam libertatem, ut ad objecta particularia refertur, quamque proprie eo nomine intelligimus, in indifferentia quadam conſtituere. Modo abſit prava vocabuli ſignificatio, non eſt cur ab illo abhorreamus. Itaque ego eam indifferentiam poteſtatis dixero, quæ ſcilicet apta eſt in utramque partem verſari, indifferentiam quoque voluntatis, quia nulla neceſſitate ad bonum ullum particularis objecti adſtringitur, at non propenſionis; notum eſt enim originario reatu ut ad malum proclivius redditum fuit hominis ingenium, ſic illud æquilibrium non haberi, quo æqualiter erga bonum ſaltem moralis ordinis feratur vitiata natura, ac erga malum. Cæterum utcumque ejus criminis vitio ſic ſe habeat illa, non eſt tamen negandum, quod & ajebat S. Joannes Damaſcenus cit. lib. cap. 26., *in noſtra poteſtate eſſe ... ea omnia, quæ vel laudem, vel vituperationem afferunt, & ob quæ leges, & conſilia dantur, & quæcumque ad animam pertinent, & de quibus conſultamus ... Ea enim peræque in utramque partem contingere poſſunt; peræque autem contingens illud eſt, quod & ipſum poſſumus, & quod ei opponitur: ejus vero electio penes mentem noſtram eſt; hæc enim actionis principium eſt: In nobis igitur hæc ſita ſunt, quæ alterutro modo poſſunt evenire; .. horum enim penes nos libera poteſtas eſt*. Id quod etiam verum eſt, quando pravi motus contra rationem inſurgunt, atque ad malum inſtigant. Deus enim, qui pro ſua providentia non patitur tentari quemquam ſupra id, quod poteſt, ſic ſemper immutabili decreto ſuo arbitrii libertatem, quam dedit, & pro his, in quibus dedit, tuetur, ut quovis cordis motu, &

ſalo

ſalo animi per varios cogitationum æſtus fluctuante, poſſit adhuc voluntas aſſenſum cohibere ſuum, & de his, quæ appetere, vel fugere rationabiliter debet, retinere veram, & ſtabilem inconcuſſa mente ſententiam. S. Aug. lib. 7. de civ. Dei cap. 30., & 9. cap. 4.

XLVI.

Jam vero ut ad poſitam quæſtionem, quæ eſt de cauſſis libero oppoſitis, veniamus, certum eſt, ſi accipiatur liberum, prout influxum dicit voluntatis in aliquid, ſeu ejus facultatis in ſe ſpectatæ exercitium, quod volendo, vel non volendo fit, tunc id omne haberi libero adverſum, quod valet circa certam rem illum influxum intercipere, cujuſmodi eſt ignorantia voluntati prorſus extranea, itidemque invincibilis, ut dat cauſſam, vel occaſionem efficacem actui, qui ex ea fit; & violentia, aut impreſſio naturalis in datas facultates agens contra voluntatis inclinationem, ut antea explicatum eſt (*a*). Quum enim libertas in vi rationali appetendi, ſeu voluntate reſideat tanquam ipſius facultas; apertum eſt, ſublato voluntario, reſpectu ejus, quod fit, aut factum eſt, nullum quoque comparate ad eam rem, vel actionem extitiſſe libertatis propriæ exercitium. Itaque eo ſenſu oppoſitum libero habebitur quidquid opponitur voluntario, & actum reddit prorſus non voluntarium, aut involuntarium.

 Atque

(a) *Oppoſitum libero quodam ſenſu habetur, quod opponitur voluntario.*

Atque de horum plane actuum genere accipiendum eſt, quod dictum §. XXIV. quoſdam ex illis aliquando liberos non eſſe, quia non ſunt voluntarii, deficiente ſcilicet quoad ipſos quaſi libertatis fundamento, cujuſmodi voluntatis ipſius exercitium eſt. Conferantur, quæ ſupra dicta ſunt §. XLIII. ex Damaſceno, ubi oſtenſum ſine voluntate non poſſe ullam libertatem intelligi, adeoque ſublato erga aliquid omni cognitionis, ac voluntatis exercitio, ſeu influxu non poſſe concipi comparate ad illud ullum propriæ libertatis, ut facultas voluntatis eſt, uſum. Et quidem, quod ad hanc partem attinet, nulla videtur eſſe difficultas, quæ negotium faceſſere poſſit, aut mereatur aliquo modo explicari.

XLVII.

Quod ſi liberum accipiatur, non ut exercitium ſolum indicat voluntatis, quæ velit, aut nolit, ſed prout (quo modo proprie liberum intelligi conſuevit, ut ſupra §. XLIV.) voluntas in ratione ad datum objectum poteſt electione uti illud volendo, vel non volendo, aut volendo contrarium &c., tunc profecto illud omne habebitur oppoſitum libero, ſeu propriæ libertatis exercitio, quod ita figere voluntatem queat, ut ſi aliquid velit, quod propoſitum eſt, repudiare non poſſit; tunc enim comparate ad ejuſmodi objectum peribit electio (*a*). Atqui quod ita figere voluntatem poteſt, ut aliter reſpectu rei propoſitæ ſe habere nequeat, illud dicitur neceſſarium, quia neceſſe eſt ita eſſe, aut fieri, quod aliter eſſe, aut fieri non poteſt.

Ergo

(a) *Oppoſitum libero proprie dicto neceſſarium.*

Ergo hoc altero ſenſu, quo vera, & propria libertatis notio continetur, id habebitur libero adverſum, quod *neceſſarium*.

Dictum eſt, *ſi voluntas aliquid velit*, quæ conditio in hac cauſſa etiam habetur adjecta a D. Th. 1. 2. q. 10. a. 4. Quum enim, ut idem ipſe notat, voluntas quantum *ad exercitium actus* a nullo objecto ex neceſſitate moveatur (poteſt enim aliquis de quocumque objecto non cogitare, & per conſequens neque actu velle illud), propterea, ut videatur, num reapſe comparate ad aliquid voluntas ita libera ſit, ut poſſit illud velle, aut non velle, neceſſe eſt, ut ipſa ponatur in ſtatu, quo aliquid velit; alioquin, inquit D. Thomas, quemadmodum ſi proponatur quodcumque corpus coloratum, ſeu maxime viſibile oculo, poteſt quis non videre, ſi viſum avertat, quod pertinet ad exercitium actus; ita etiam penes voluntatem erit quodcumque non velle actu, ſi nolit de eo per intellectum cogitare, atque ad alia ſe convertat. Ex quo principio duo fluunt, quæ ad rem pertinent. I. quod & ſuperius innuimus, quoad exercitium actuum ſuorum voluntatem ſemper liberam eſſe; *quo primitus pertinet*, ait S. Auguſtinus lib. 5. de civ. Dei c. 10., *ipſum velle; nam ſi volumus, eſt; ſi nolumus, non eſt: non enim vellemus, ſi nollemus*. II. propterea & actus illos ipſos, quibus nos comparamus ad cogitandum de aliquo, vel ad aliquid hic & nunc volendum, aut eligendum, omnes penes ſui exercitium, & originem liberos eſſe. Quæſtio igitur eſt, utrum poſita hac determinatione voluntatis ad aliquid volendum, quidquam poſſit incidere, quod ipſa, ſi eidem proponatur, nequeat non

 velle,

velle, aut velle ejus contrarium, quo modo habebitur, quod neceſſarium dicitur.

XLVIII.

Porro autem certum eſt voluntatis objectum eſſe *bonum* (a). Fert id lex ipſa, ſeu factum Creatoris, ut extra bonum nequeat appetendo voluntas moveri; idque probat univerſi humani generis ſenſus, atque conſenſus. Conſtat enim voluntatem non ſe determinare ad aliquid, niſi ſub ratione boni, quod aut ſit, aut apprehendatur; & nos ipſi jam ſupra §. XII. id confecimus, ubi oſtendimus etiam quæ ſint, aut videantur hominum facta maxime triſtia, ab iiſdem qui fecerunt, nonniſi ſub aliqua ſpecie boni ſaltem per errorem apprehenſa, patrata fuiſſe. Hinc ut nulla potentia extra ſuum objectum, cui alligata a Creatore fuit, vagari poteſt, aut in aliud ferri, ad quod ipſa ordinata non eſt; ita neque voluntas in aliud niti poterit appetitione ſua, niſi in bonum, ad quod unice tanquam ad ſuæ inclinationis objectum determinata eſt, ut ideo cætera ex naturæ inſtituto averſetur, atque refugiat, quæ nullam prorſus boni ſpeciem præſeferant, cujuſmodi ſolum malum eſt, ſaltem cognitum ut tale.

Poſtulat id, ut etiam antea monuimus, conciliata ſibi cum ratione natura; ut nemo unquam malum velit, in quo ſibi ipſi repugnaret, ſed ſemper, & perpetuo bonum, quo conſervetur, perficiatur, delectetur cumulate. Quamobrem *nemo ſe odit*, ajebat S. Auguſtinus lib. I. de doctrina chriſtiana cap. 23., *& hinc quidem nulla cum aliqua ſecta quæſtio fuit;* immo adnotat, *neque corpus ſuum quiſquam odit: verum eſt enim, quod ait Apoſtolus Epheſ.*

(a) *Objectum appetitionis voluntatis bonum.*

Epheſ. 5. Nemo unquam carnem ſuam odio habuit. *Et quod*, ſubdit, *nonnulli dicunt malle ſe omnino eſſe ſine corpore, omnino falluntur; non enim corpus ſuum, ſed corruptiones ejus, & pondus oderunt*. Quin etiam idem ipſe Paullus, qui corpus odiſſe ſuum dicebatur, non naturam oderat corporis, ſed corruptionem, quam auferri volebat, & ipſum immortalitate donari, *habitaculum noſtrum*, ut idem ſcribit 2. Cor. 5., *quod de Cœlo eſt, ſuperindui cupientes ... Etenim qui ſumus in hac habitatione, ingemiſcimus gravati: eo quod nolumus exſpoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur mortale a vita*. Vid. S. Aug. lib. 14. de civ. Dei cap. 3. Adeo ſibi uſquequaque natura conſentit, ut ſe diligat, ſibique cupiat bonum, & omnes partes ſuas caras habeat, eoque cariores, quo perfectiores ſunt, & laudabiliores! Dixi autem eo modo conciliatam ſibi eſſe *cum ratione* naturam, quia inclinatio iſthæc Creatoris facto homini inſerta non eſt purus inſtinctus naturalis, qualis in belluis, quæ cæco modo, & velut impetu quodam moventur in id, quod ſibi congruit, ſed propenſio eſt cum ratione conjuncta, ita ut videntes, ſcientes, prudenteſque nobis ipſi bonum velimus, quod noverimus convenire, in idque nos agamus, ac moveamur ſub ratione finis, & cum ordine mediorum ad finem.

XLIX.

Ex hoc porro principio tria ad rem noſtram exiſtunt corollaria (*a*). I. ſequitur rationem, per quam objectum aliquod poſſit voluntatem movere ad ſui appetitionem, non eſſe, niſi ſpeciem boni,

 quam

(a) *Sola ratio boni movet voluntatem, & quomodo &c.*

quam habet, vel oſtentat. II. ubi plene, ideſt omni ex parte in objecto boni ratio, aut ſpecies non ſit, ibi non haberi perfectam, completamque rationem, cur voluntas in illud moveri debeat, ſeu illud appetere. III. ubi plena ſit, & habeatur ratio boni, ibi haberi integram, & abſolutam cauſſam, cur in illud moveri debeat, idemque velle.

Singula ex ſuis partibus demonſtranda ſunt. I. enim objectum voluntatis, ut hæc dicit appetitionem, non eſt, niſi bonum. Ergo nulla eſſe poteſt ratio, cur objectum aliquod valeat ad ſui proſecutionem movere voluntatem, niſi quia exhibet ipſi rationem aliquam ſui objecti, in quod tendit, ſeu boni. Sublata hujuſmodi ratione non eſſet, cur ſe moveret voluntas ad illud, immo nec poſſet, quum eo modo ferretur extra objectum ſuum. Hinc etiam quum nulla affertur ratio propriæ appetitionis, ſed tantum dicitur, *id volo, quia ita placet*, in hoc ipſo quoque ratio determinationis elucet, nimirum, quia tanquam bonum apprehenditur tunc agere, ſicut libuerit, ut in proverbio eſt: *te tua, me delectant mea*. II. ubi deeſt in objecto ex aliqua parte ratio boni, ibi non habetur completa, & abſoluta ratio, cur voluntas in illud moveatur, in quo poteſt aliquid recognoſcere, quod non ſit ſuæ appetitionis objectum, immo potius habere queat cauſſam averſationis. Atqui ubi deeſt aliquid in objecto ad perfectionem boni, ibi aliquid adeſt, quod non eſt appetitionis objectum, nimirum defectus boni, quod potius eſt objectum averſationis, ſemel ac nonniſi in bonum tendit appetendo voluntas, atque adeo ſub hoc reſpectu illud induere poteſt rationem mali. Ergo ubi in objecto

deſit

deſit aliqua ratio boni, ibi non habetur perfecta, & abſoluta cauſſa, cur in illud vi inclinationis ſuæ in bonum debeat voluntas tendere, quia ſemper figere conſiderationem poteſt in ea parte, qua non eſt bonum, atque ita prorſus illud repudiare. Rem declaremus exemplo, quod afſert S. Thomas laudato loco. Objectum viſus eſt color. Ratio ergo, ob quam objectum aliquod viſui propoſitum videatur, eſt, quia coloratum eſt. Fac illud ex parte coloratum eſſe, ex parte non, objectum illud, ut in ſe totum accipitur, non ex neceſſitate viſus tunc videretur; poſſet enim oculus intendere in ipſum, qua parte non eſt coloratum, & ſic ipſum non videret; alia res eſt, ſi uſquequaque coloratum eſſet, tunc enim ſubjectum viſui non poſſet non videri. Haud aliter in propoſita ſpecie dicendum. Ubi quidquam boni deeſt in objecto, non neceſſario voluntas probat illud ut bonum, quia poteſt ſe per intellectum in alia parte defigere, qua deficit a bono, & ſic non velle illud, quia ſub eo reſpectu non bonum. Ex quo patet, ubi objectum aliquod in parte deficiat a bono, non conſtituere abſolutam rationem cauſſæ, cur voluntas in illud moveatur, ſeu appetat; quia non appetit neceſſario, niſi quod ſibi videtur bonum. III. demum ubi perfecta habetur ratio boni in aliquo objecto, ut illud ex nulla parte videri poſſit non bonum, ſed omnino ex ſui natura bonum ſit, & adpareat, tunc plena, & neceſſaria cauſſa habetur, cur voluntas in illud moveatur. Quum enim ipſa naturaliter tendat in bonum tanquam in ſui objectum, nec ab hoc impetu ſibi temperare queat ex ipſa Creatoris lege,
ſemel

ſemel ac videat objectum aliquod, quod uſquequaque ſit bonum, & ſecundum omnem conſiderationem bonum, tunc habet plenam, & perfectam rationem objecti ſui, & ſe ipſam continere nequit, quominus in illud tendat, quia non poteſt ſe reclinare in contrarium ab objecto, cui eam alligavit Deus, quemadmodum color ipſe, quia uſquequaque color, ſubjectus viſui non poteſt non videri.

L.

His poſitis, illud igitur ex ſe, & neceſſario ad ſui proſecutionem movebit voluntatem, eamque defiget, itaut ipſum non poſſit non velle (quando aliquid velit) quod plenam, perfectamque rationem habeat boni, quod ſit univerſaliter bonum, & ſecundum omnem conſiderationem. Quum enim in tali objecto nihil poſſit mali cognoſcere, nullum defectum boni, in quem tantum intuens poſſit ſe ſe ipſam in adverſum reclinare, atque adeo illud rejicere, conſequens fit tunc voluntatem in objectum propoſitum moveri neceſſario, nec poſſe illud repudiare, quia nequit ſe avertere a vero, & eſſentiali objecto ſuo, nec poteſt contrarium eligere, aut velle, quia hoc eſſet eligere, aut velle malum ſecundum ſe cognitum ut tale, quod nec eſt, nec poteſt eſſe voluntatis objectum, in quod tendat, ſed tantum quod averſetur, atque refugiat, §. XV.

L I.

Ut itaque videatur, quid ſit, quod tantam vim habeat, ut neceſſario ad ſui proſecutionem voluntatem rapiat, quando aliquid velit, quærendum

(a) *Illud determinat neceſſario voluntatem ad ſui appetitionem, quod uſquequaque bonum.*

dum eſt quid illud ſit ſummum, & liquidum adeo bonum, ut omni malo, & defectu remoto ſolum perfectum ſit, ita ut quo demum cumque modo accipiatur, non poſſit videri non bonum (*a*). Tunc enim voluntas ut ſuo objecto alligata ex neceſſitate in illud tendet, ſi aliquid velit, quippe non poterit oppoſitum velle. Hujuſmodi porro illud eſt, quod generali felicitatis, ſeu beatitudinis idea comprehenditur, quum ea omnia complectatur, quæcumque ſub ratione boni venire poſſint, & veniant, in eaque nihil mancum, imperfectum nihil occurrere queat, quod a bono deficiens, aut non bonum videri poſſit; neque enim ulla alia huic verbo, quum felicitatem, aut beatitudinem dicimus, ſubjecta notio eſt, niſi, ſecretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio. Ergo ſola felicitas, ut quæ unum, perfectum, & ſummum bonum eſt, poterit uſquequaque voluntati repræſentare rationem objecti ſui, adeoque, quum aliquid velit, non poterit ipſam non velle, ſeu appetere, aut in oppoſitum moveri, quum non poſſit quid velle, quod objecto ſuo ſit contrarium.

Atque hinc porro eſt, quod Academicus ille Cicero, quum de pluribus dubitaret, volens tamen in Hortenſio dialogo a re, de qua nullus ambigeret, ſumere ſuæ diſputationis exordium, *beati certe*, inquit, *omnes eſſe volumus*. Eſt enim felicitas perfectum, planeque ſufficiens bonum, ut quæ omnia optanda complectitur, & cui illa non ſufficit,

(a) *Sola felicitas, ſeu beatitudo tale bonum eſt, quod uſquequaque bonum videri queat, atque adeo poſſit neceſſario voluntatem ad ſui appetitionem adducere.*

cit, quid ſufficiet? Hinc fit, ut quidquid appetat homo deliberate, ejus cauſſa appetat, quia aut ipſam ſectatur, aut ejus, quæ hinc inde collucent, ſtricturas; &, quod accuratius obſerves, beatum eſſe tam magnum eſt, & bonum, ut hoc & boni velint, & mali; nec mirum eſt, quod boni propterea ſint boni, ſed illud eſt mirum, quod etiam mali propterea ſint mali, ut ſint beati. Nam quiſquis libidinibus deditus luxuria, ſtupriſque corrumpitur, in hoc malo quærit beatitudinem, & ſe miſerum putat, quum ad ſuæ concupiſcentiæ voluptatem non pervenit; & quiſquis avaritiæ facibus inardeſcit, ad hoc congregat quocumque modo divitias, ut beatus ſit; quicumque molitur inimicorum ſanguinem fundere, quicumque deſiderat iniquam dominationem, quiſquis affectat crudelitatem ſuam explere, quiſquis alienis cladibus paſcitur, in omnibus ſceleribus beatitudinem quærit; licet in eo imprudentes ſint, & errent, quia de malo volunt beati fieri. Vid. S. Auguſt. in pſal. 118. ſerm. 1. & alibi.

LII.

En itaque quid neceſſario voluntatem moveat, atque determinet ad ſui appetitionem, felicitas (*a*), quam ideo non poteſt non velle, ſi aliquid velit, aut velle contrarium, quod eſt infelicitas, ſeu malum cognitum ut malum, quod nequit eſſe appetitionis objectum, ut dictum eſt, ſed potius odii, atque averſationis. Ex quo proinde patet, quemadmodum, ut ſupra explicavimus, voluntas ad aliorum proſecutionem bonorum, quæ particularia ſunt, atque adeo ſemper aliquid mali habent adjunctum

(a) *Dictorum concluſio.*

junctum, &, ſi non aliud, ſaltem ejus perfecti, & ſummi boni defectum, neceſſario non trahatur; quum nullum eorum exhibere perfecte poſſit rationem ſui objecti, atque adeo, qua parte non bona ſunt, queant a voluntate repudiari.

Objiciet hic quiſpiam fieri poſſe, ut intellectus quidquam particulare pro data circumſtantia repræſentare queat ceu unicum, & ſummum bonum; qua in hypotheſi ad illud neceſſario determinabitur voluntas. Sed huic difficultati, ut puto, hoc modo occurritur. Intellectus non poteſt determinari neceſſario, niſi *a tali objecto*, ut loquitur D. Thomas, *quod eſt ſemper, & ex neceſſitate verum*. Nam ſi contingens ſit, & falſum eſſe queat, poterit ſemper non acquieſcere, & locum majori inquiſitioni dare, quouſque pateat veritas. Quæſtio itaque erit, num intellectus queat tantam reperire boni rationem in aliquo objecto particulari, ut in data circumſtantia illud haberi poſſit tanquam unicum, & ſummum bonum. Atqui hoc implicat contradictionem ex parte objecti ipſius, ut poſſit evidenter, & neceſſario apprehendi ut tale bonum, quod finitum eſt, quod circumſcriptum, quod deficit natura ſua a perfecto bono. Ergo ex eo capite repugnat, ut intellectus ſit neceſſario determinatus, ut illud apprehendat tanquam unicum, & ſummum bonum, quod ex ſe tale non eſt. Si itaque hoc putet, id ex nulla neceſſitate fiet, ſed potius quia quum poſſet ad eam partem attendere, qua deficiebat a bono perfecto, maluit ſe ſe in alia tantum defigere, qua videbatur bonum; hinc hujuſmodi judicium liberum in origine, neque adeo determinatum eſt, maxime ſi conjungatur cum na-

turali

turali appetitione, quam habet homo, ſummi boni. Quod additur de circumſtantia, nihil facit ad rem. Quippe circumſtantia quævis non poteſt mutare naturam objecti, ut quod ex omni parte bonum non eſt, tale fiat; poteſt quidem magis movere voluntatem, ut acquieſcat, ſed non neceſſario. Cedo exemplum. Quid præſtantius inter hæc particularia bona ipſamet vita? Et tamen, inquit Baco de Verulamio lib. 7. de dignit., & augm. ſcientiarum, *mori velle non tantum fortis, aut miſer, aut prudens, ſed etiam faſtidioſus poteſt*. Id quod haud raro uſus ipſe rerum, & experientia probavit, quum quidam aliquando pro inani gloria mortalem vitam contemſerint, alii pro officio virtutis, ſummique boni aſſecutione. Ex quibus patet, excepto ſummo illo, ſummeque vero, & perfecto bono, nihil poſſe neceſſario ad ſui proſecutionem mentem, & voluntatem figere, ac permovere. Neque hæc repugnant cum illis, quæ diximus ex D. Thoma §. xx., *ex neceſſitate movere voluntatem etiam illa, quæ ordinantur ad finem ultimum, ſine quibus finis haberi non poteſt, ſicut eſſe, & vivere, & hujuſmodi*. Namque hæc ideo voluntas ex neceſſitate vult, quia ſine illis ipſa ſui objecto, ideſt felicitate frui non poteſt; eſt enim ſibi, cui appetit illud bonum, nec appeteret, niſi ſibi bonum, quod profecto præconcipit fruentis exiſtentiam, & vitam &c., ſed vitam, & exiſtentiam, qualis, quæcumque ſit, requiritur ad fruitionem ſummi boni, cujuſmodi ve a vita eſt, vita beata. *Non enim qui ſe diligit, aliud eſſe vult, quam beatus*. De civ. Dei lib. 10. c. 3.

LIII.

LIII.

Ex iis porro omnibus obvium fuerit, quod ad clauſulam hujuſce partis attinet, omnes hujus libertatis hoſtes refellere (*a*), & eos inter præcipue celebrem Anglum Philoſophum Hume, qui in ſuo libro, quem inſcripſit: *Eſſais philoſophiques ſur l'entendement humain*, *eſſay* 8. *ſur la liberté*, *& la neceſſité*, omnino contendit, quæcumque ab homine fiant, neceſſario fieri, nihilque ineptius, aut falſius ea, de qua toties agitur, libertate. Ait enim eadem motiva ſemper, & perpetuo eaſdem determinationes produxiſſe, ut hiſtoria docet, neque naturam ab hoc ordine ſuo deflexiſſe: Homines a Polybio, & Tacito deſcriptos ſimiles iis eſſe, qui nunc, ut idem nunc ignis, aër, & alia elementa, quæ olim ab Ariſtotele, & Hippocrate examinata: proinde *conjunctionem hanc conſtantem*, *& inductionem habitualem eventuum*, ex qua generales regulæ exiſtunt, quibus intelligantur hominum motiva per eorum agendi rationem, & viciſſim eorum agendi ratio explicetur per eorumdem motiva, ſatis probare in omnibus neceſſitatem rigidiſſime acceptam hominibus incumbere, cur agant, vel non agant quidquam, hoc, vel illo modo, parem illi, qua corpus impingens in alterum neceſſario impreſſionem facit, & motum. Sed enim hæc, ut dixi, & alia id genus ex jacto principio refelluntur.

LIV.

I. namque hæc omnia id quidem oſtendent omnes hominum determinationes ex aliquo certe motivo profluxiſſe, quod haberet rationem veri, aut apparentis boni. At interim demonſtrabunt ne ejuſmodi

(a) *Refutantur quædam adverſariorum argumenta*.

modi motiva, ut in particularibus objectis, aut rebus obſervantur, tantam habuiſſe vim, ut neceſſario ad ſui proſecutionem voluntatem adducerent? Profecto illa ut in particularibus verſabantur, non poterant eam perfecti boni rationem oſtendere, ut ex altera parte conſiderata non exhiberent rationem aliquam mali, vel defectus boni, cujus cauſſa illa ipſa ratio repudiare poſſet, & voluntas. In hac porro facultate repudiandi, aut acquieſcendi libertas ſita eſt, quæ non ex ipſa determinatione facta æſtimari debet, ſed ex eo, quod fieri, aut non fieri potuit a voluntate. II. proinde omnia facta, quæ referuntur in datis circumſtantiis, poſſunt quidem hiſtoriam exhibere generis humani, quod nimirum conſueverint homines in iis, illiſve rerum adjunctis ita ſe gerere, & ob tales cauſſas; at nunquam oſtendent ita illos ſe ſe geſſiſſe neceſſario vi ejuſmodi cauſſarum, ut aliter non poſſent ſe ipſos regere, reſque adminiſtrare ſuas. III. nec tanta eventuum ſimilium in iiſdem circumſtantiis inductio, aut conjunctio penes homines eſt, ut certa omnino generalium cognitionum principia valeat ſuppeditare. Notum eſt enim leges non ferri, niſi pro iis, quæ *ut plurimum* contingunt, quod idem dicitur de ſanctione pœnarum, præmiorumque, de regulis politicis, de conjecturis futurorum. Ergo experientia ipſa demonſtrat in motivis particularibus, utpote non neceſſariis, ſed contingentibus tantum eam ineſſe vim non poſſe, ut infallibiliter, & neceſſario hominem determinent. Cauſſa, quæ Catonem ſollicitavit ad mortem ſibi inferendam, Marcum Regulum ad idem non adduxit. Quod de duobus dicitur, poteſt in

ſimili

ſimili cauſſa de aliis affirmari. Nec eſt, cur quis admodum laboret, ut noſcat in iiſdem adjunctis varietatem ingenii humani: *Hominum mores tibi noſſe volenti ſufficit una domus*. IV. abs re prorſus comparatur impulſus hominis ad agendum ex peculiari motivo cum eo impulſu, quo corpora ſe ſe invicem pellunt extrinſecus acta. In his enim nulla propria vis, qua ſe ſe agant; contra in homine, qui ipſum ſe movet, & poteſt ex vario, & multiplici unius, ejuſdemque rei particularis intuitu ſic ſe diverſimode habere, ut placuerit eandem ſub hoc, aut illo aſpectu reſpicere.

L V.

Nec movet, quod ille addit, falſam experientiæ ſpeciem nobis illudere, dum nos liberos credimus, quum hæc idea indifferentis ſtatus hinc ſit, quod, dum volitio nos ex una parte determinat, producat adhuc imaginem ſui propriam, quæ appellatur *velleitas* ex parte oppoſita factæ electionis, licet tunc, quum vellemus alia occaſione, id ipſum exiſteret ex alio motivo nos determinante. Namque fateor quidem actum illum voluntatis poſſe contrarium repræſentare in his, quæ non ſunt neceſſario determinata; ſed illud ipſum probat ejus poſſibilitatem, atque adeo libertatem hominis, utcumque oppoſitus actus habeatur tantum inſtar cujuſdam velleitatis, ſeu motus initialis, & imperfecti. Cur enim non poſſumus ne per imaginem quidem felicitati noſtræ, ſeu bono contrarium aliquid velle? Quia nimirum id impoſſibile eſt, & repugnat cum naturali inclinatione, & niſu ipſius voluntatis, qua ſibi ipſi vult bonum, ut ſui objectum. Ergo ex adverſo quum volentes aliquod particulare objectum

ſentimus nos habere poſſe velleitatem quandam contrarii, id argumento eſt nobis hoc vere poſſibile eſſe, quia in contrario eſt etiam aliqua ſpecies boni, quod poſſet nos ad ſe ipſum allicere, & inclinare; quia ut nullum liquidum, & perfectum bonum in objecto particulari, & finito, ſic nullum in eo plenum, & abſolutum malum, quod neceſſario nos ab ipſius proſecutione avertat, atque deterreat.

Concludam hoc, quidquid eſt negotii, quod certe maximum eſt, ipſo animi teſtimonio, quod fallax eſſe non poteſt, aut haberi, quum ex animo ſit, quod homo ſit animal rationale, ſenſus, & ſcientiæ capaciſſimum. Conſiſte in medio, anima (liceat mihi ad rem hanc verba uſurpare, quibus Tertullianus in perſimili cauſſa uſus eſt libro de animæ teſtimonio), ſed non eam te advoco, quæ ſcholis formata, bibliothecis exercitata, academiis, & porticibus Atticis paſta ſapientiam ructas. Te ſimplicem, & rudem, & impolitam, & idioticam compello, qualem te habent, qui te ſolam habent, illam ipſam de compito, de trivio, de textrino totam. Imperitia tua mihi opus eſt, quoniam aliquantulæ peritiæ nemo credit. Ea poſtulo, quæ tecum homini infers, quæ aut ex temetipſa, aut ex quocumque auctore tuo ſentire didiciſti. Dic teſtimonium, ſi ita ſcis, quum aliquid velis particularis boni, utrum ſentias te neceſſitate ad illud volendum adſtrictam, ut nequeas illud non velle, aut idem ipſum reſpuere, ut contrarium velis, in quo adhuc eſt, ſi bene conſideres, alicujus boni veſtigium? Negas? Et quidem ex omnium ſenſu negas; quippe nullus eſt, ſi ſibi ipſi credat, qui dum

ali-

aliquid vult, aut facit, non ſentiat ſe poſſe velle, aut facere contrarium, quin ea ſit neceſſitate conſtrictus, qua ſibi bonum vult, ideſt generatim felicitatem. Quid hoc? niſi quia particularia illam boni plenitudinem habere nequeunt (& id vides, & probas) quæ ſola pertinet ad felicitatem, ideſt ad perfectum bonum? *Hæc porro teſtimonia animæ, quanto vera, tanto ſimplicia: quanto ſimplicia, tanto vulgaria: quanto vulgaria, tanto communia: quanto communia, tanto naturalia: quanto naturalia, tanto divina. Non puto cuiquam frivolum, & frigidum videri poſſe, ſi recogitet naturæ majeſtatem, ex qua cenſetur auctoritas animæ: quantum dederis magiſtræ, tantum adjudicabis diſcipulæ. Magiſtra natura, anima diſcipula. Quidquid aut illa edocuit, aut iſta perdidicit, a Deo traditum eſt, magiſtro ſcilicet magiſtræ .... Neque Deus, neque natura mentitur. Ut & naturæ, & Deo credas, crede animæ. Ita fiet, ut & tibi credas.*

PARS II.

DE ACTIBUS HUMANIS,

Conſideratis in ordine morali.

HACTENUS de humanis actibus dictum eſt, ſolum ut ſunt quid ab homine factum, qua homo eſt, ſeu ex prævia cognitione per determinationem voluntatis ipſius; quod proinde voluntarium homini dicitur, ut ſecernatur ab eo, quod non voluntarie factum quaſi extra genus eſt actuum humanorum, aut factum involuntarie pugnat contra ipſum principium agendi humano modo, ideſt voluntatem; qua occaſione etiam diſtinximus id, quod voluntarie ab homine factum, ab eo, quod non libere, prout in data ſpecie aliter ſe habere non potuit voluntas, quam ferret lex ipſa naturæ facto quodam Creatoris determinata. Sed, ut patet, ea diſſerendi ratione non attigimus, ſaltem præcipue, & ex inſtituto, actum humanum, niſi ut quid phyſicum, quod ab homine ex propriarum uſu facultatum factum eſt; hominem vero non conſideravimus, niſi ut agentem humano modo, ideſt vere influentem in id, quod fecit, prout homo eſt; nihil autem peculiariter diximus de iis, quibus & actus ipſe, & homo agens in alio velut ordine conſtituuntur, qui a ſtatu phyſico longe diſtinguitur, & quid aliud habet præter id, quod eſt voluntarie tantum agere, aut libere, qualis eſt ordo moralis, de quo nunc agere animus eſt.

Atque

Atque hic diſtinctionem fecimus, ut per ſe liquet, inter actum humanum, & moralem non alio fine, niſi ut majoris perſpicuitatis gratia, inſpectis diverſis relationibus, quas una res, eademque habere poteſt, facilius, & diſtinctius tenerentur, quæ ad explicandam actuum humanorum naturam, & affectiones pertinerent. Interim, quod ad eorum intrinſecam moralitatem, vel imputationem attinebit, opportunius ſuo loco declarabitur.

II.

Ut autem rem a capite ordiamur, certum eſt omnes homines, quibus cor aliquid ſapit, præter id, quod phyſicum eſt in actu, in eoque genere bonum, vel malum, quid aliud agnoſcere, ideſt bonum, vel malum, quod in actu non intelligitur, niſi prout rectus concipitur, aut non rectus, ſeu pravus; & in homine, præter id, quod eſt voluntarie agere, & libere, quid aliud agnoſcere, quod eſt agere recte, vel ſecus (*a*). Quo fit, ut actui etiam ſecundum bonitatem, vel ſui eſſentiam phyſicam perfecto quidquam tribuatur aliud bonitatis, quia rectus eſt, vel mali, quia non rectus; homini vero, qui ex libera voluntate egit, præter id, quod egit, ut homo eſt, ſeu eo modo propria voluntate, tribuatur etiam, quod bene egerit, vel male, ut egit recte, vel ſecus. Ergo præter bonum, vel malum phyſicum actionis, quod determinatur ipſa quodammodo rei, ſeu actus natura, præter bonum, vel malum phyſicum hominis in agendo, prout egit ita, uti par erat, quo rem, vel

(a) *Diſtinctio boni, vel mali phyſici, & moralis, quod pendet ex quadam rectitudine, vel rectitudinis defectu &c.*

vel propoſitum compleret ſuum; ex communi judicio habetur aliud bonum, vel malum diſtinctum ſeu in actu, ſeu in homine, quod ipſa rectitudine actus, vel rectitudine agendi definitur, aut e converſo.

Sic actus eſt bonus phyſice, quando habet quidquid ſibi debetur ad plenitudinem, & perfectionem ſuæ naturæ, ut completus, & abſolutus in eo ordine intelligatur; ens enim, & bonum in phyſicis convertuntur; malus autem phyſice, quum ipſi quid deeſt ad ejus perfectam rationem pertinens, puta ſi deficiat ei vel determinata quantitas, vel debitus locus, vel aliquid ejuſmodi. D. Thom. 1. 2. q. 18. ar. 1. Idipſum dicatur de homine comparate ad actum tantum phyſicum, ut nempe ipſe in eo ordine bene egerit, vel male, prout tantum attulit ex. gr. perſpicientiæ, cognitionis, virium, &c., quantum oportebat ad opus, uti decretum erat, complendum, aut contra. At longe profecto alterius eſt ordinis bonum, vel malum, quod in actu, vel in homine agnoſcitur, prout generatim rectum quid factum dicitur, & recte, aut ſecus. Sic ex. gr. dum laudatur alicujus in agendo dexteritas, ars, ſolertia, aliquando quod ita factum ſub alio aſpectu vituperatur, quia non factum recte, aut quia non rectum, quod factum. Atqui hoc non pertinet ad phyſicum actus, quia concipi poteſt aliquid ita factum, quod in eo ordine abſolutum ſit, & fini, cujus gratia ſuſceptum eſt, exacte reſpondeat, improbetur tamen, quia non rectum, aut non recte factum. Ergo ex communi conſenſu præter id, quod phyſicum in actu, vel in agente eſt, agnoſcendum eſt quid aliud,

quo

quo intelligatur actus recte, ſeu bene factus, & bonus, vel ex adverſo. Atque hoc porro eſt, quod adeo ſuo ipſius conceptu nos afficit, ut nihil fere cogitantes de extraneis quibuſque operis, aut perſonæ adjunctis nobis ipſi temperare nequeamus, quin illud ipſum laudemus, aut accuſemus, quod ita legimus, aut audimus ſecundum quamdam juſtitiæ regulam factum, aut contra. Qua de re conſulatur S. Auguſtinus lib. de ſpir. & lit. cap. 27. Multa ejuſmodi boni, vel mali exempla præſto ſunt in hiſtoriis, multa quotidiano uſu probantur, multa item occurrunt in theatris ipſis, ad quæ fidenter provocat J. J. Roſſeau *Emil. t. 3. profeſ. de foy du Vicaire &c.*, ut intelligatur bonum illud, vel malum, quod ſolent homines in actibus, & in agentibus ipſis approbare, vel reprehendere, non eſſe quid fictitium, aut vanam ſpeciem &c., ſed aliquid reapſe in natura exiſtens, nixumque *ideis juſtitiæ, & honeſtatis*, quas ipſe vult, & probat apud omnes gentes cujuſque indolis, cultus, & morum diffuſas, ſicut & manantes inde notiones boni, & mali. Hoc porro bonum, vel malum illud ipſum eſt, quod nos intelligimus per ordinem quemdam rectitudinis, vel pravitatis terminari, quem ſcilicet animo informatum habemus ab ipſa natura, ut ex dicendis patebit.

III.

Jamvero rectitudo iſthæc non poteſt intelligi ex ipſo phyſico actionis prodire, neque ex eo tantum, quod homo aliquid egerit ex facultatibus ſuis, alioquin non ſecerneretur ab ipſo, quod dicitur phyſicum actus, vel agentis (*a*); quod tamen communi

(a) *Principium aliquod rectitudinis ab omnibus agnitum.*

judicio fit, dum ut rectum laudatur, vel reprehenditur ut non rectum, quod ita geſtum. Naturæ enim ſenſus reclamat, ut quæ laudatur ex. gr. decipientis aſtutia in opere, quod complevit, eadem ipſa ponatur in eo ordine rectitudinis, quaſi recte fuerit geſtum, aut recte, in quo quis damno injuſto alterum affecit, aut doli aliquid annexuit rei ſuæ; quod de infinitis aliis exemplis affirmari poteſt. Ergo rectitudo hæc ſive actus, ſive agentis, vi cujus actus fit bonus, vel malus ejus defectu, & homo dicitur bene, vel non bene egiſſe, debet ex alio quodam principio repeti, quod nec ipſe tantum actus eſt, nec ipſum agens ſolum, nec ab utroque ſecundum ſe proficiſcitur.

Ut clarius, quoad fieri poteſt, quod dicimus, intelligatur, animadvertendum, dum homines concipiunt aliquid boni, prout quidquam rectum eſt, vel non rectum, quod tamen per ſe non eſt phyſicum actus, vel agentis, concipere bonum aliquod vel malum, quod tantum ſe habet in ordine quodam relationis. Sic proportiones omnes æqualitatis, proximitatis, directionis &c. non in phyſicis tantum, ſed & in numeris, aliiſque abſtractis conceptionibus, nonniſi ex relatione quadam terminorum, qui ſe ſe invicem reſpiciunt, exiſtunt, atque ita ex diverſo rem comparandi modo ad datum principium exiſtit ex. gr. in matheſi proportio arithmetica, aut geometrica, vel utriuſque defectus, prout alterutro modo res a ſuo principio deficere intelligitur. Haud aliter in actionibus poſſumus dicere: dum rectum quid, vel non rectum in iis, præter id, quod phyſicum eſt, intelligitur, non aliud concipitur niſi commenſus quidam in actu, vel in homine

mine ad certum principium, vi cujus percipitur illud rectum, ſeu bonum, quod ei coæquatum, non rectum, ſeu malum, quod ab illo deficit. Quo fit, ut bonum illud, vel malum non habeatur, aut exiſtat, niſi in dato ordine relationis, proindeque nec ab actu ipſo, nec ab homine ſecundum ſe procedat, ſed ex relatione actus, & agentis ad aliud principium. Hinc quod æquum eſt, dum metiris, illud idem rectum eſt, ſive juſtum, dum ad alterius generis, ſeu directionis regulam comparas. Ex quo illud ſequitur, quod & antea notavimus, quemadmodum corporeæ relationes, ex quibus quidquam percipitur æquale, vel ſecus, non ſunt purum nihil, quod eſſe nequit cujuſque conceptionis, aut cognitionis objectum; haud aliter relationes, quas intelligimus actuum, aut agentis ad aliquid, ex quibus fit, ut quidquam rectum, vel non rectum dicatur, non eſſe quid imaginarium, aut fallax, ſed vere, & proprie in rerum natura exiſtens, atque determinatum. Sic in quovis ſtatu culto, & inculto, politico, & incivili omnes homines judicant aliquid rectum eſſe, aut pravum, ut quibuſdam regulis congruit, vel non congruit. Quodnam autem, & quale illud principium ſit, ex quo in univerſum homines judicent quid in moribus rectum, vel non, ſeu bonum, vel malum in dato ordine relationis, poſtea explicabitur. Tantum hic eſſe quæſtio poteſt de modo, quo mens ejuſmodi convenientiam, ſeu proportionem actionum quarumcumque, vel agentis ad illud principium cognoſcat, quod idem de proportionis defectu intelligitur. Clariſſimus Auctor Hutchinſon in ſuo opere gallice converſo:

Recher-

Recherches ſur l'origine des idées touchant la beauté &c., videtur id repetere ex quodam animi ſenſu, quo ille de ejuſmodi rectitudine, aut pravitate dijudicet, quemadmodum aliorum ſenſuum miniſterio de phyſicis cernit rerum differentiis; Burlamachius *Principes du droit naturel ſeconde par. ch.* 3. hoc educit ex naturali inſtinctu, ſeu inclinatione, qua velut nutu quodam ferimur ad quædam probanda ut bona, & repudianda contraria; Carteſius in ſuis epiſtolis ad Reginam Chriſtinam ex adperceptione quadam alicujus perfectionis in nobis ipſis exiſtentis; VVolfius in ſua Pſychologia ex adperceptione perfectionis, ſed quæ in objecto reſideat. At D. Auguſtinus, qui aut ſimul congregavit omnia, aut præſtantius cæteris ſenſit, id omne repetit ex luce quadam incorporea, qua mens noſtra quodammodo irradiatur, ut de his omnibus recte judicare poſſimus; qui certe interioris hominis ſenſus longe præſtantior eſt ſenſu corporis, ab eoque diſtinctus, *quo* nimirum *juſta, & injuſta ſentimus, juſta per intelligibilem ſpeciem, injuſta per ejus privationem*; ut enim acies oculi corporalis currit per ſpecies corporales, & nuſquam tenebras videt, niſi ubi cœperit non videre, ſic etiam ſpecies intelligibiles mens quidem noſtra intelligendo conſpicit, ſed ubi deficiunt, nonniſi per privationem luminis condiſcit; de civ. Dei lib. 11. c. 27., & lib. 12. c. 7. Cæterum utcumque ſe ſe habeat iſte cognoſcendi modus, nihil ad rem; ſatis eſt enim, quod reapſe aliquid ſentiatur tanquam rectum, vel non, atque in eo communis ſuffragetur conſenſio, ut in illo ipſo ſenſus intelligatur rationalis naturæ.

IV.

Ex dictis porro ſequitur, quum communi omnium conſenſu admittatur aliquod bonum, vel malum ſive in actu, ſive in agente ipſo, prout intelligitur in utroque aliquod rectum ex cujus exiſtentia, aut defectu concipitur tale bonum, vel malum, nec illud, qnod eo ſenſu dicitur rectum, repeti poſſit ex phyſico actus, vel hominis ſecundum ſe (*a*); reſtat, ut ex eodem ipſo communi judicio admitti debeat aliquod principium externum, ab actu, & ab agente diſtinctum, ex cujus relatione intelligatur conſequens in actu, & in agente rectitudo, vel pravitas, atque ideo illud, de quo loquimur, bonum, vel malum, prout actus illi principio congruit, vel non congruit, quod idem de agente ipſo ſubaudiendum.

Toties appellavi in hac cauſſa ad omnium conſenſum, atque ejus quidem indicia quædam jam attuli. Sed quoniam præcipue de ſylveſtribus populis ſolet quæſtio moveri, quod ad rem facti attinet, haud abs re fuerit clariſſimi P. Laffiteau, *Moeurs des Sauvages de l' Amerique t.* 1., & Auctoris librorum, *Ceremonies, & coutumes religieuſes de tous les peuples du monde part.* 2. *pag.* 237., teſtimonia referre. Ajunt itaque laudatis in locis, quotquot Americam peragrarunt, diverſa de illis populis tuliſſe judicia, ſed æque falſa, quibuſdam eos belluarum inſtar habentibus, quibus nullus religionis ſenſus ineſſet, nulla honeſtatis, aut virtutis idea; aliis, inter quos Hontan, eos in hiſce capitibus

(a) *Ex communi judicio admittendum eſt aliquod principium, ex cujus relatione intelligatur actus, vel agentis rectitudo &c.*

pitibus metaphyſicis noſtris ſubtiliores quodammodo prædicantibus. Falſi utrique: Nec ſubtiles admodum, nec penitus rudes illi parum de religione differunt; ſed tamen, ut olim veteres, aliquam ejus notitiam habent, enſque ipſis ſuperius, licet confuſe, agnoſcunt, quod prodeſſe, aut nocere queat, quibuſdam ritibus humano generi conciliandum; *nec ſcimus*, inquiunt, *an*, *qua late patet orbis*, *adhuc ſocietas inventa fuerit hominum*, *quæ non aliqua habuerit religionis principia;* & conſequenter notiones aliquas recti, aut non recti, ſeu virtutis, aut vitii in ordine ad aliquod principium exterius ipſo præſtantius homine, ex quo nimirum cæteræ juſti, honeſtique rationes fluunt. Qui contra dixerunt, ſubdunt, prima rerum fronte decepti ſunt; amor enim vulgandi itineris hiſtorias, ut longe peregrinantium mos eſt, eos non raro in id adduxit, ut abſque neceſſariis linguarum ſubſidiis, abſque maturo examine externorum rituum, abſque conſuetudine ad id operis omnino requiſita cum earum gentium ſacerdotibus, & miniſtris, de rebus non probe exploratis præcipitem ſententiam ferrent. Ita quidem prædicti Scriptores. Sed hæc adhuc prætermittamus; nam quum de cultiorum populorum circa generales ſaltem juſti, rectique notiones conſenſu non dubitetur, quid præterea quærimus? An feros Æthiopes, an Cafros ſtupidos, aliaſque incertis ſedibus vagantium turmas hominum advocabimus, quo in eorum exempla, mores, fœdum vitæ genus intueamur? Quid juvat, inquit Roſſeau cit. loco, ſcepticum Montaigne improbo labore collegiſſe morem alicubi obtinentem notionibus juſtitiæ adverſum? An omnes naturæ propenſiones eva-

nuiſſe

nuiſſe putandæ erunt, quia jus alicubi depravationi, & ſceleri datum? An quia triſte ſæculum aliquando nova monſtra vidit, continuo dicendum antiquum periiſſe genus? Sic quædam conſuetudines incertæ prorſus, & arbitrariæ a locorum cauſſis plerumque nobis ignotis derivatæ argumentum evertere non poſſunt, quod duximus ex conſenſu populorum, qui quum in aliis diſſideant, tamen in agnoſcenda recti cujuſdam, juſtique principii veritate ſibi omnes concinunt. Te, te ipſum appello, Montaigne, ſincerum, ſi placet, & veracem, ut vis audire. Ubinam gentium crimen eſt dictorum, conventorumque conſtantia, & fides? Ubinam in vitio ponitur clementia, munificus animus, & generoſus? An eſt, ubi vir frugi vituperetur, celebretur improbus? Tanta ſcilicet eſt vis probitatis, atque virtutis, ut omnis, vel pene omnis ejus laude moveatur humana natura, nec uſque adeo ſit turpitudine vitioſa, ut totum ejus ſenſum amiſerit!

V.

Omnium porro in adſerenda re aliqua conſenſus vox naturæ eſt, quum id ex condicto in tanta, tamque multiplici ingeniorum diſſimilitudine fieri non potuerit; aliunde nemo omnes, omnes neminem fallant (*a*). Vox naturæ ipſa nec fruſtranea eſſe poteſt, nec falſa; alioquin de primis ipſis cujuſque rei, aut diſciplinæ principiis dubitandum eſſet, quæ non fiunt, niſi ejus lumine, nota. Si itaque omnium conſenſione tenetur principium aliquod, quod nec ipſe actus eſt, nec homo ſimpliciter agens, ex cujus relatione intelligitur alicujus actus

(a) *Ex conſenſu communi demonſtratur tale rectitudinis principium exiſtere in natura.*

actus, vel agentis rectitudo, aut pravitas; ſeu, quod eodem recidit, bonum, vel malum a phyſico actionis, & hominis diſtinctum, conſequens eſt vere illud externum principium exiſtere in rerum natura, nec poſſe in controverſiam a quoquam adduci contra mirabilem adeo, concordemque generis humani ſententiam, quin ille naturæ repugnet, ſeque ipſum fugiat, & aſpernetur.

Præclare in hanc rem laudatus toties P. Gerdil *Diſſert. dell' origine del ſenſo morale propoſ.* 9. Naturæ niſus in aliquid exiſtentiam probat, & veritatem objecti ſui, quo ſenſu dicitur eam nil fruſtra moliri. Texit aranea telam; exiſtit ergo, quæ capienda ſit, præda. An quæ in minimis eſt falli neſcia natura, hominibus invidit, ut in conſtanti ejus, atque uniformi ſenſu fallerentur? Nihil abſurdius: pereundum eſſet nobis, ſi a principio ejus vox non audiretur. An tunc ſolum adſciſcendus ciborum uſus, quando experimentis comperta, & demonſtrata eorum natura, atque utilitas fuerit? Sed ajunt, quod olim Tertulliano objiciebant in pari cauſſa ſui temporis increduli, nimirum quod de eo recti, juſtique principio dicitur, non niſi ſapientum, & politicorum quorundam arte, quo cæteris dominarentur, introductum fuiſſe, confirmatum autem receptæ educationis vi, & ipſo publicatarum literarum uſu, minime vero *doctrinam eſſe naturæ congenitæ, & ingenitæ conſcientiæ tacita commiſſa*. At enim quis credat paucos ejuſmodi, qui eſſe poterant comparati cum reliqua multitudine, catos, & verſipelles homines id valuiſſe cæteris ſuadere, cujus nullam haberent animis anticipatam ideam, atque ita alte mentibus infigere, ut illud

in

in tanta ſtudiorum, & temporum varietate duraret? Maxime quum nulla fingi queat hominum ars, quæ naturam poſſit in univerſum invertere, iſque ſit quaſi lege ſtatutus ordo rerum, ut hominum commenta deleat dies, naturæ vero judicia confirmet. *Certe*, ajebat in ſuo argumento ad intimum naturæ ſenſum provocans Tertullianus libro de animæ teſtimonio, *certe prior anima, quam litera, & prior ſermo, quam liber, & prior ſenſus, quam ſtilus, & prior homo ipſe, quam Philoſophus, & Poëta*. Itaque ex ipſo eſt communis naturæ ſenſu, quod admitti illud principium ut vere exiſtens debeat, ad quod ut referuntur actiones hominum, bonæ judicentur, vel malæ. Quod naturæ inſertum, extitit, antequam fictus Saturnus hominibus juſtitiam daret, & quod omnibus commune, obtinuit, priuſquam inventor, & diſtributor literarum Mercurius naſceretur, quia prior fabulis veritas, quam illæ poſtea adumbraverunt.

VI.

Quum itaque rectitudo illa, ut ſummam nunc rei conficiamus, qua fit, ut actus dicatur bonus, vel malus ex ejus defectu (quod ipſum de agente intelligitur), non aliunde habeatur, niſi ex relatione quadam tum actus, tum agentis ipſius ad principium quoddam ab actu ipſo, & ab agente diſtinctum (*a*); conſequens fit, ut dignoſcatur, num actus rectus fuerit necne, atque adeo num homo bene ſe ſe in agendo geſſerit, an non, deberi, quod factum eſt, cum eo principio contendi, cui proinde ſi quaquaverſus reſpondeat, rectum, ideſt enim

(a) *Actus bonus, vel malus &c., ut ei principio congruit, vel non congruit.*

enim bonum habebitur, ſin minus, malum in eo ordine relationis.

Et vero illud eſt rectum, quod cum ſui principio, ſeu regula commenſuratum eidem perſecte reſpondet; non rectum vero, ſeu malum, quod ab eodem quaqua ex parte deflectit, quia tale non poteſt ut abſolute rectum haberi; qua de re adhuc alibi. Interim hoc tenendum, rectum, ſeu bonum in eo relationis ordine non arbitrio popularis auræ, ſed ipſa natura intima, & neceſſaria conſtitui. *Omnia ne*, ajebat Epictetus apud Arian. lib. 2. cap. 11., *recta eſſe exiſtimas pro eo, ac cuique viſa fuerint? Atqui fieri poteſt, ut pugnantia inter ſe ſint recta? Itaque ut aliquid recte ſe habeat, ſatis non eſt ita alicui viſum eſſe, quum ne in gravibus quidem librandis, menſurandiſque rebus nudis viſis ſimus contenti, ſed in omnibus regulam quamdam adhibeamus. An ergo in his, de quibus loquimur, regula nulla erit eminentior, quam quod nobis ita aliquid videatur? Sed quì fieri poteſt, ut certa norma nulla ſit, vel perveſtigari non poſſit, qua in vita humana nihil eſt magis neceſſarium?*

VII.

At principium illud, ex quo rectitudo exiſtit, vel pravitas pro ſua ſeu actus, ſeu agentis ad ipſum relatione, ut ab homine non eſt conſtitutum, ſed ipſi fixum, inſertumque naturæ, ſic ut exiſtat, ab ejuſdem voluntate non pendet; rurſumque ab ejuſdem placito vim non ſortitur, quam habet, indicandi hoc rectum eſſe, vel non, quippe ea eſt eorum, quæ ſe ſe invicem reſpiciunt, natura, ut ante omnem comparationem, quæ ab homine fiat, talia ſint, qualia neceſſum eſt exiſtere vi natu-

naturalis relationis ſuæ (a). Hinc propterea rectitudo, vel pravitas actus, aut agentis quævis, etiam antequam ulla ab homine ad illud principium comparatio fiat, jam ſui natura determinata eſt, neque adeo mutari poteſt, aut minui, quod ad ipſam attinet in ſe conſideratam, quemadmodum nec mutari, aut minui poteſt veritas exiſtentis relationis. Veritas enim eſt, per quam immutata ſunt, quæ ſunt, aut fuerunt, aut futura ſunt.

Et ſane quum homo actum, vel agendi modum confert cum eo principio, in id tantum nititur, ut cognoſcat, quomodo actus, vel agendi ratio ad illud ſe habeat, vel habuerit, non ipſe ejus rectitudinem, aut pravitatem conſtituit. Hinc ante omnem hominum inſtitutionem, conventionem, aut legem eſt aliquod rectum, vel non rectum, ſeu juſtum, aut injuſtum natura, prout illi rectitudinis principio ex ſe, & vi ſua exiſtenti congruit, aut repugnat. Egregie in hanc rem Dominus de Monteſquieu *de l'eſprit des loix liv.* 1. *ch.* 1. his fere verbis: *Antequam leges ab entibus intelligentibus conderentur, erant relationes juſtitiæ poſſibiles, ſiquidem leges nonniſi his relationibus nituntur. Qui ergo diceret nihil juſti, aut injuſti fuiſſe natura, priuſquam ejuſmodi ſancirentur leges, perinde affirmare poſſet, antequam circulus deſcriberetur, omnes ejus radios non fuiſſe æquales*. Magnifica plane, & digna notari ſententia. Quum enim antequam quidquam fiat, illud ipſum fuerit neceſſario poſſibile, aliunde vero ſtatus ipſe poſſibilitatis non ſit merum

H nihil,

(a) *Bonitas, vel perverſitas actus &c. ex neceſſaria relatione ad ejuſmodi principium determinatur, quantum eſt ex rei ipſius natura.*

nihil, ſed quid vere, & eſſentialiter ſuo modo exiſtens; conſequens eſt, ſi quid recti, aut pravi factum eſt, illud ipſum jam tale fuiſſe vi conceptus ſui, antequam fieret, ideſt in ſtatu intelligibili, prout concipi ejus relatio poterat ad datum principium exacta, vel eidem repugnans. Quo argumento nihil aptius inveniri poſſe putavit memorati libri Interpres anonymus ad refutandum Carneadem, qui quum omnia ſenſu, & fluxa corporis utilitate metiretur, nihil præterea arbitratus eſt, quo hominum judicia, & facta regi oporteret, nihil juſtum, aut injuſtum natura; quem proinde ſenſibus obſequentem facile alii, præſertim Macchiavellus, Hobbes, Spinoſa, Bayle ſecuti ſunt. Hinc improbæ eorum voces, quas jam a quibuſdam, ſed obſcuri nominis acceperant: *Nihil injuſtum, quod utile*; quod erat Euphemii dictum apud Thucididem, cui perſimile alterum: *Id æquius, quod validius*.

VIII.

Aliunde vero non eſt in hominis poteſtate tollere relationem, quam actus, & idem ipſe ad ejuſmodi principium naturaliter habent; quum utraque ad illud ipſum ſint nata, & apta conferri (*a*); quod demonſtrat firmam, fixamque analogiam, & relationem inter ea natura ipſa conſtitutam, quum ea, quæ inter ſe naturalem relationem non habeant in dato ordine, ne quidem poſſint in illo hominum intelligentia comparari, ut patere poteſt exemplo numeri, & lineæ, quæ, quia proportionem natura invicem non habent, perperam inter ſe mutuo contuleris. Ex quo propterea ſequitur,

(a) *Naturalis, & immutabilis actuum ſtatus, ut ex ſe ad illud principium referuntur.*

quitur, ut eorum invicem relatio natura ipſa conſtituta eſt, nec eadem poteſt ab homine auferri, ſic fruſtra a quibuſdam hæc eſſe conficta, quæ & olim novimus invecta a Manichæis: modo nihil cogitetur de eo juſti principio, nihil timeatur, nulla ad ipſum actus comparatio fiat, ſeu nihil de ejus pravitate, aut malitia quæratur, perinde eſſe, quidquid patraveris, ac ſi nihil perverſi egeris, aut mali. Optimum plane conſilium, ut bonus fias, ſi imperterrite improbus eſſe didiceris!

Tale dicitur olim fuiſſe Manichæorum doctrina, quam ex eorum ſententia Auguſtino propoſuit Julianus: nimirum arbitrabantur illi prorſus a culpa immunes quotquot tranquilla conſcientia peccaſſent nihil de actionis pravitate ſolliciti, aut dubitantes. Horruit perverſum dogma Auguſtinus ſibi antea inauditum, vixque de Manichæis ipſis credendum. Quare lib. 4. contra Julianum cap. 8. inquit: *Quid autem ad nos pertinet, quia Manichæos dicere affirmas, ſi quis homicidium conſcientia formidante commiſerit, reus eſt, quia timuit; ſi autem aliquod facinus exultante perpetrarit audacia, velut credens ſe ex fide facere, quod male fecit, evaſit culpam; quod quidem nunquam audivi dicere Manichæos. Sed quid ad nos, ſive dicant, ſive etiam ipſis calumnieris, quum hoc catholica fides non dicat, quam tenemus &c.?* Quin etiam eodem in luto Abaelardum hæſiſſe teſtis eſt S. Bernardus in Capitulis hæreſum num. 11., quem eo uſque notat audaciæ progreſſum, ut Judæos ipſos, qui Chriſtum perſequebantur, *ſimplices* appellaret, eaque de cauſſa ab omni culpa in tanto facinore judicaret vacuos. Videlicet quæque ſit hominum ſe ſe invicem decipientium

ars, & fallacia nunquam efficere poterunt, ut rectum ſit, & bonum, quod cum ſuæ directionis principio pugnat. Ut enim rectum, & bonum æterno vero conſtat vi immanentis rei ad datum principium relationis, ita pravum, & malum, nonniſi ſtabili rei ejuſdem cum eo recti principio oppoſitione definitur. Hinc nullum homini jus, aut arbitrium eſt, ut immutetur, quod ſic fuerit natura, quæ ſanctio, & veluti vox divinæ mentis eſt, conſtitutum. Quare, ut optime argumentabatur in ſimili cauſſa acutiſſimus Joannes Baptiſta Vicus libro de univerſi juris principio, & fine uno quemadmodum falſæ vulgi perſuaſiones, quibus putant ſolem bipedalem, ſtellas exigua lumina, nihil quicquam demutant ingentem ſyderum magnitudinem, quam Aſtronomia invictis rationibus demonſtrat; ita nihil, quod humani arbitrii ſit, poteſt relationem, de qua agimus, mutare, atque efficere, ut rectum ex ſe ſit, quod revera cum principio rectitudinis pugnat, ſive de eo cogitare voluerit homo, ſeu non cogitare, quum & illud principium ex ſe ſubſiſtat, & naturalis ſit operum ad illud relatio, eo ipſo, quod ordinem ad ſe invicem habeant, quod probat deſtinationem naturæ, ut ad illud ipſum exigi debeant, ejuſque rationi conformari. Verum de his adhuc infra.

I X.

Sed principium illud, ex quo diximus exiſtere, aut cognoſci actuum rectitudinem, vel pravitatem, ut ad illud referuntur, eique congruunt, vel non, debet omnino rectum in ſe eſſe, futurum alioquin, ut, ſi tale non ſit, nec rectum dici queat, quod ei uſquequaque reſpondet, aut continuo pravum,

quod

quod diſcrepat: rurſus debet eſſe immutabile; namque quod inconſtans, variumque eſt, non poteſt certum recti, juſtique criterium exhibere (*a*). Quum igitur ex omnium conſenſu, atque adeo certiſſimo naturæ judicio quidam actus habeantur ſemper, & ubique recti, vel pravi, nec ea rectitudo, aut pravitas exiſtat, niſi vi relationis, quam habent ad illud principium ab iiſdem diſtinctum; conſequens eſt ex eodem omnium ſenſu, atque adeo naturæ ipſius teſtimonio tale principium omnino rectum in ſe eſſe, & immutabile, ut nempe ejus vi, aut ſenſu certo, & immobiliter judicetur de actuum natura.

Atque hoc porro eſt, quod Tullius in legibus ipſis deſiderabat, ut certæ, & ſtabiles eodem ſemper modo de rebus loquerentur, non quemadmodum nonnulli, qui ſæpe modo hoc, modo illud affirmant, ut tulerit animi impetus, quo quaſi vento incitantur. Et vero ſi legis, aut ejus principii, de quo agimus, officium eſt monſtrare quid rectum ſit revera, ſeu bonum, quid malum, atque repugnans; qui fiat, ut id non debeat ipſum demonſtrando, indicandoque obtinere? Atque hinc porro fit, ut natura ipſa quaſi per illud recti principium integre, incorrupteque judicante quædam apud omnes in virtute poſuerit, quemadmodum in vitiis turpia. Sic pudor, & juſtitiæ ſoror incorrupta fides, nudaque veritas hominibus placent univerſis, diſplicent iis repugnantia, ut ideo qui frugi non ſunt, neque ex ullo virtutis capite commenda-

(a) *Principium illud, ad quod referuntur, vel comparantur actus, ex ſe debet eſſe rectum, & immutabile.*

mendabiles, adhuc tamen ejus quærant adumbratam imaginem, & etiam tum, quum maxime fallunt, & improbi ſunt, id agant, ut viri boni eſſe videantur. Hinc ſine pretio, & lucro nemo ſua ſponte iniquus, & ſine mendacii præmio falſus teſtis non adeſt. *Malitia*, ajebat Salluſtius orat. 2. de Rep. ordin., *præmiis exercetur, ubi ea demſeris, nemo omnium gratuito malus eſt*. Hæc porro quid aliud innuunt, niſi revera exiſtere principium illud recti immutabile, & conſtans, quod poteſtatem ſuam, imperiumque vel in animos improborum exercet, ut propterea de æquo, & bono, eorundemque contrariis recte, ac perpetuo, uti par eſt, ſentirent omnes, niſi rationis judicium ſingularibus cauſſis diſtraheretur? Non enim ſi quidam aliter judicent, ex ejus fit mobilitate principii, ſed quia flexibilis, ac devius eorum animus facile patitur ſe huc, illucque trahi vel perturbationibus, vel mala conſuetudine, vel exemplo ad vitia conſentientis multitudinis, quippe etiam recti apud nos locum ſæpe tenet error, ubi publicus factus eſt. Huc etiam referri poſſunt quædam, quæ plerumque ignorantur, cauſſæ locorum, quibus efficitur, ut homines aliquando diverſa de eodem ſentiant; & quoniam id ſine appoſitione exempli lentius diſputaretur, res facto aliquo illuſtranda eſt. Furtum permittebatur Spartæ, dum fures ad metalla damnabantur Athenis. Quid ita? Reſpondet Helvetius *de l'eſprit diſc. 2. ch. 13.*, quia quum Lacedæmone aurum, & argentum nullius ferme eſſent pretii, furta nonniſi ad minuta quædam, & exigua contrahebantur: unde intererat admodum Reipublicæ ea permiſſione cives animoſiores reddere, atque vigilantiores.

Repo-

Reponit alter Scriptor anonymus cujuſdam dialogi, quem initialibus alphabeti literis inſcripſit, quia Spartæ quum omnia publici juris eſſent, atque communia, furtum non aliud erat, niſi avaritiæ pœna. Nil ultra moror. Si hæc ita ſunt, ut dicuntur, en quemadmodum peculiares quædam locorum, & regiminis cauſſæ potuerint in rerum judicia influere, atque ita apud aliquos honeſtare, quod alibi injuſtum haberetur. Cæterum, ut dixi, ſemotis iis, aliiſque id genus cauſſis, quibus ſæpe homines in tranſverſum aguntur, nemo eſt, qui non plaudat juſtitiæ, honeſtati &c., refutetque contraria. Quid enim ſi apud Græcorum gentem, ut opponit Helvetius cit. loco, omnium excultiſſimam magni habitus eſt Plato, etſi licentius viveret, & Apollinis oraculo celebratus ſummis efferebatur laudibus Socrates, qui tamen Alcibiadem flagitioſe deperibat, immo & iidem ipſi Græci, quum multa inhoneſta patrarent, & turpia, nihilominus domi, foriſque celebres omnium vocibus commendati ſunt? An hiſce de cauſſis laudati, approbati, celebres facti, quod ſe ſe flagitiis, atque propudiis inquinarent? Non puto: neque enim ullus unquam (quod ſciam) apotheoſim cujuſquam celebravit, ea tantum de cauſſa, quia inhoneſtus eſſet, & impius; quare id ad inſignia aliqua eorumdem opera vera, vel credita æquius transferendum eſt. Vel ipſa numina, inquit noſtræ ætatis Incredulus, quæ olim Paganiſmus, ideſt perverſa fingendi libido excogitavit, pœnas in terris dediſſent ſcelerum, quæ ipſis tribuebantur, ſi habitum de iiſdem fuiſſet judicium. Fuit quidem, ſubdit, eo modo vitium, dum flagitioſi demon-

ſtrabantur Dii, ſacra quadam auctoritate armatum, ſed fruſtra deſcendebat ab alto: inſtinctus moralis illud ab hominum cordibus repellebat. Dum nefanda Jovis celebrarentur facinora, commendabatur continentia Xenocratis: caſta Lucretia adorabat Venerem impudicam: intrepidus Romanus Pavori litabat:... contemtibiliora numina a præſtantibus culta viris fuere. Videlicet ſancta, timendaque naturæ vox altius inſonabat ipſa voce Deorum, dumque complebat terras, crimina videbatur cum crimінoſis pellere in cœlum. Hæc nimirum, etſi per emphaſim dicta, probant tamen, quod factum, ideſt in ipſa hominum conditione omnium corruptiſſima, quaqua ratione honeſtarentur vitia, nihilominus principium illud, de quo loquimur, rectitudinis, atque honeſtatis ſemper immotum permanſiſſe, vimque exercuiſſe ſuam, ut aliquo modo arceret ab hominum mentibus, quæ ſuperſtitio tribuebat Diis.

X.

Principium porro illud rectum, & immutabile, quod ab omnibus generatim agnoſci facto ipſo probavimus, cujus nempe ratione exiſtit rectitudo, aut pravitas actuum humanorum, illud, inquam, ex ſe vim habere debet regulæ, ad quam actus exigi oporteat (*a*). Quum enim, ut antea dictum eſt, nihil rectum ſit, aut pravum, niſi prout cum dato aliquo principio congruit, vel non congruit; aliunde vero quum ejuſmodi principium debeat eſſe rectum, & immutabile, quo valeat certo, & omni tempore juſtæ directionis criterium exhibere;

(a) *Principium illud rectum, & immutabile haberi debet ut agendorum regula.*

bere; conſequens fit, quoniam in natura agnoſcitur principium illud, ex cujus veritate, atque immutabili directione intelliguntur actus quidam ſemper, & ubique recti, ſeu boni, alii vero mali; conſequens, inquam, eſt, principium ejuſmodi jure appellari regulam actuum humanorum, ex cujus nempe ratione ii boni, aut mali certiſſime exiſtant, atque ut tales debeant haberi.

Enimvero, ut hoc etiam obiter confirmemus, quod dicitur cujuſque rei, aut operis *regula*, procul dubio ex ſe rectum eſſe debet, atque in eo rectitudinis ordine immutabile, alioquin

. . . . Si prava eſt regula prima,
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua ſi ex parte claudicat hilum:
Omnia mendoſe fieri, atque obſtipa neceſſum eſt,
Prava, cubantia, prona &c.

Lucretius de nat. rer. lib. 4. v. 515. Atqui hæc duo illi generatim principio, ex quo omnes homines vel inſcientes, & impoliti de quorundam actuum honeſtate, vel pravitate judicant, competere demonſtravimus, ideſt rectitudinem, atque immutabilitatem. Ergo jure prorſus, atque ex conſenſione omnium principium illud, qualecumque ſit (de quo infra), rectum, & immutabile regula nominabitur actuum humanorum.

XI.

Ex eo autem, quod homo in agendo ab ejus principii, ſeu regulæ ratione deficiat, ſequitur tum in ipſo, tum in actu ſuo defectus perfectionis, qui ipſi debetur ex ordine naturæ (*a*). Quum enim ita

(a) *Eſt contra ordinem naturæ eam in agendo regulam non ſequi.*

ita comparatus ſit homo, ut poſſit recte agere, ac veluti nutu ſuo eo ipſo, quod ſui perfectionem amat, honeſtatem, juſtitiamque appetat, ut proinde, niſi cauſſa ſingularis interveniat, perpetuo contraria refugiat, & iidem ipſi, qui improbe agunt, velint probi, juſtique videri; neceſſario ſequitur, ſi quid tale fiat, in quo ab ejus principii, ſeu regulæ norma deficiat, illud eſſe contra ipſius ordinem naturæ, qua homo ſuam expetit, ac diligit perfectionem; ex quo & illud fluit, eam in agendo regulam non ſequi, nihil aliud eſſe, niſi agere contra præſtitutum ordinem naturæ.

Præclare in hanc rem D. Thomas 1. 2. q. 71. ar. 2. Id omne eſt contra naturam cujuſque rei, quod repugnat potiſſimum formæ, ſeu principio, vi cujus in data ſpecie, ſeu ordine conſtituitur. Quum autem homo in ſua ſpecie, ſeu ordine proprio conſtituatur per animam rationalem, conſequens fit, quidquid eſt contra ordinem rationis, proprie eſſe contra naturam hominis, in quantum eſt homo; *Bonum enim hominis eſt ſecundum rationem eſſe, & malum hominis eſt præter rationem eſſe*, ut dicit Auctor librorum de divinis nominibus. Porro autem omne vitium, turpe, pravum eo ipſo, quod tale eſt, contra rationis ordinem eſſe, hinc patet I. quod quiſque ex ratione ipſa ſuam perfectionem appetat, unde vellemus completos eſſe in bonitate, cujuſque ordinis ea bonitas ſit. Atqui quod generatim vitium dicitur, reddit hominem cum ſuo opere malum, neque ipſum per ſe, quantum eſt ex ratione, appetit homo, ſed potius refugit, nec illud eligit, niſi quando perturbatio aliqua incidit, qua præterlapſa non

ſolum

ſolum horam durare non poteſt idem probans, ſed maxime infectum eſſe vellet, quod actum eſt. Ergo &c. II. quia, ut inquit S. Auguſtinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 1., *omne vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam eſt .... Vitio enim dehoneſtatur natura laudabilis*. Quum enim, ut ipſe Tullius affirmavit lib. 2. de invent. *virtus ſit habitus in modum naturæ rationi conſentaneus*, quia nimirum recte, & ex ordine agere ipſa monſtrat, & præcipit recta ratio; quì fiat, ut non dehoneſtetur natura vitio, quo fit perturbatio rationis, & ordinis? Sicut ergo quum vitium oculorum dicitur cæcitas, id oſtenditur, quod ad naturam oculorum pertinet viſus, & quum vitium aurium dicitur ſurditas, ad earum naturam pertinere demonſtratur auditus; ita quum vitium nominatur hominis, ad ejus perfectionem ſpectare quidquam intelligitur, quod ei deeſt ex conditione propriæ naturæ, cujuſmodi virtus eſt, juſtitia eſt, atque id, quod univerſe dicimus rectum. III. Tandem id oſtendi poteſt analogia quadam a phyſicis rebus ad hominum operationes, & conſilia translata, quam Seneca, & Tullius vehementiſſime probaverunt. Prior enim animadvertit epiſt. 120. ex ipſa rerum exiſtentium, atque factarum inſtituta inter ſe collatione obvium intellectui fuiſſe de honeſto, & bono animi judicare: *Noveramus*, inquit, *corporis ſanitatem; ex hac cogitavimus eſſe aliquam & animi: noveramus corporis vires; ex his collegimus eſſe & animi robur: aliqua benigne facta, aliqua humana, aliqua fortia nos obſtupefecerant; hæc cœpimus tanquam perfecta mirari*. Ita nimirum ex ordine rerum naturali intellectus utpote harmoniæ, aptæque diſtri-

butioni

butioni amiciſſima facultas nullo fere negotio potuit ad excellentiorem affectuum, morumque animi compoſitionem aſſurgere, eandemque veluti delineare. Tullius vero libro de officiis primo ab iis, quæ adſpectu ſentiuntur, eorumdemque pulchritudine, venuſtate, convenientia partium voluit haud ægre traducta ad animum ſimilitudine potuiſſe rationem multo etiam magis pulchritudinem, conſtantiam, ordinem in conſiliis, factiſque cognoſcere, atque mirari, ſimulque ea de cauſſa cavere, ne quid indecore, effœminateve incideret, tum in omnibus & opinionibus, & factis ne quid libidinoſe aut fieret, aut cogitaretur. Quum igitur ea ſit hominis indoles ſane præclara, ut ad ordinem comparatus ſit, eumque ſolus ex omnibus animantibus ſentiat, & probet tum in ſenſibilibus rebus, tum magis adhuc in moribus; an putabimus ejuſmodi ſenſum, quem *non parvam naturæ vim* Romanus Scriptor appellat, fruſtra homini inſertum, aut non alio ſpectare, niſi ut infra ſe poſita admiretur, nihil vero curet eorum, quæ ad ipſum pertinent, quæque nobiliorem exhibent ordinis ideam in æquabili animi temperie, in motuum moderatione, in recti, juſtique conſtantia, ex quibus efficitur, atque conflatur honeſtum, quod etiamſi nobilitatum non ſit, nec ab ullo laudetur, tamen laudabile eſt ipſa natura? Itaque amor ordinis, quem ingenitum homini perſentimus, qui videlicet noſcit quid deceat, in factis, dictiſque qui ſit modus, & quem eſſe ipſum auctor naturæ juſſerit, & qua parte humana locatus ſit in re, ſatis demonſtrat illum propter ejuſmodi formam ordinis factum, quem excolendo virtutum officia ſervaret, ac tueretur, non

fictum

ſictum ad vitia, quæ perturbationem afferunt, animi diſtractionem, & inconſtantiam; quippe & diſtrahuntur in contrarias partes ipſæ impotentium cupiditates, ut ideo quum huic ſis obſecutus, alteri tibi ſit repugnandum. Nec dicatur, quod nonnullos affirmare non puduit, vitium aliquando poſſe ad ordinis virtutem pertinere, ut quum ſine illo alterius generis bonum nequit comparari. Namque ecquodnam erit ejuſmodi bonum, quod ſine flagitio letho pejore non valeas aſſequi? Abſit, ut ſit bonum naturæ, quod non eſt honeſte parabile, aut ut verum bonum habeatur, quod culpa premit comes, aut bonum dicatur, cujus cauſſa proprie factus ſit homo, in quo appetendo non omnes conſentiunt, immo quod ii, qui naturæ bonitate vincuntur, diris devovent, atque contemnunt. Quod præſtituit homini bonum natura, tale ſemper eſt, honeſtum, æquabile, temperatum, probatum omnibus, & nunquam impar ſibi.

XII.

Porro autem ordo naturæ ad ſui cuſtodiam nos omnino obligare intelligitur (*a*). Teſtis eſt ipſe intimus ſenſus pro ea prorſus liquida voluptate, qua afficimur, quum aliquid recte, & ex ejus formula geſtum eſt, voluptate eo profecto majore, quo magnificentius quidquam, aut grandius eſt factum. Teſtis idem ſenſus, quo intus reprehendimur, & eo quidem acrius, quo turpius, aut libidinoſius aliquid perpetratum eſt; quod propterea abditum vellemus aliis, ne vituperaremur, ſed interim nobis ipſi diſſimulare non poſſumus, quum de eo cogitamus, etiamſi nihil ab hominibus metuendum nobis immineat.

(a) *Natura ipſa nos obligat ad ejus regulæ cuſtodiam.*

mineat. Quo fit, ut ſi ordo naturæ nos ad ſui cuſtodiam adſtringit, teneamur certe ad eam ſequendam recti regulam immutabilem, quam ſcilicet nobis natura ipſa inſevit, atque propoſuit; futurum alioqui, ut ſi adverſus eam peccemus quidquam, ipſa nos redarguat, & pœnas luamus ipſas, quas a nobis exigit, atque hoc ipſo tempore ſuo repoſcit modo violata, & contemta natura.

Et ſane dubitari profecto nequit, quin rationem habeant pœnæ (aliarum certe prænuntiæ) interiores conſcientiæ morſus, quibus continuo anguntur improbi, excrucianturque. Id vel remotiſſima agnovit antiquitas. *Nolite putare* (ajebat Tullius orat. pro Roſcio Amerino, audiente Senatu univerſo, veterum ad rem appellans, atque explicans fidem), *Nolite putare, quemadmodum in fabulis ſæpenumero videtis, eos, qui aliquid impie, ſcelerateque commiſerint, agitari, & perterreri furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, & ſuus error maxime vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit, ſuæ malæ cogitationes, conſcientiaque animi terrent: Hæ ſunt impiis aſſiduæ, domeſticæque furiæ &c.* Neque id tantum privatis accidit, ne forte putaretur eos externo duntaxat, atque adventitio Reipublicæ timore pulſari. Senſit id genus ſupplicii Nero, ſenſit & Titus Cæſar, ut auctor eſt Svetonius, quos nempe Imperii faſtigium ab hominum metu liberabat; quin & hoc ipſum ſenſit ad talia minime credulus Chilo Philoſophus, cui jamjam morituro (quo tempore dicebat ipſum ſe certe non fallere), nihil aliud ab ſe commiſſum ægritudinem pariebat, *Niſi profecto illud unum*, cujus tunc animum ſubibat occulta recordatio. Aul. Gellius Noct.

Attic.

Attic. 1. 3. Et vero ſi, ut demonſtravit Auctor libri, *Theorie des ſentimens agréables &c.*, natura certas rebus leges imponens earumdem uſum quibuſdam finibus terminavit, ut ſicut temperato voluptas reſponderet, ſic immodico, atque perverſo earum uſui colligatus conſtanti fœdere dolor; quid ni hoc idem quoque dicamus ab ipſa natura, ſeu potius auctore naturæ præſtitutum, ut quemadmodum pro bene actis conſolatio tacita animum reficeret, ita ex adverſo improbos ſui ipſorum ulciſcerentur mores, atque interior coqueret cura, & male haberet, ipſa veluti miniſtra naturæ conſcientia repoſcente pœnas, quod modum exceſſerint rationis lineas prætergreſſi? Ut ideo mirari ſubeat effectum adeo naturalem, atque communem, quo vel ipſa afficitur malitia, atque ita *maximam*, ut ajebat Attalus, *& illa partem bibit veneni ſui*, a Tolando inter vana terriculamenta recenſitum fuiſſe, ac veluti aniles fabulas. Vos, vos adverſus improbos voco caſtiſſimos viros, quorum ut integri mores, ſic intemerata fides, & teſtimonium omni exceptione majus! Noſtis, quæ cura vos torſerit, quum non ſatis prudentibus, aut incurioſis quid excidit mali. Nunc dicite, quæ ſit intime animum uſquequaque affluens recte factorum ſuavitas, dum ipſa aliorum præclara opera adeo vos recreant, ut virtus etiam in hoſte poſita delectet! Vos dicite, qui ſint in ipſa conſcientia pulcherrimi fructus, quos in incommodis, maximiſque rebus innocentia tranquillat, fides ſolatur, & in ingraveſcente, & quaſi exacta ætate bene anteactæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio beat! Verum hæc cum in aliis mirari debent, tum ipſi non ſentiunt libidi-

noſi,

noſi, avari, facinoroſi, quos tanquam gravi morbo affectos, & ſenſus ſtupore perculſos veræ voluptatis guſtu carere neceſſe eſt. Interim eo mirifice lætantur boni, quorum ſanctiſſima vox: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*. 2. Corinth. 1.

XIII.

Jam vero regula, quæ ex ſe recta eſt, atque immutabilis, & ad quam ſequendam nos obligat ſtimulis ſuis ipſa natura, eſt veri nominis lex (*a*). Nihil enim aliud ad veram deſideratur legem, niſi ut recta ſit, quo ſcilicet verum exhibeat delectum rerum, quæ præſtandæ ſunt: immutabilis, qua præſente tuto quis poſſit ſemper de agendis, fugiendiſque, uti par eſt, judicare: ſimulque habens vim obligandi, quæ eſt præcipua legis conditio, & ſine qua vix, ac ne vix quidem intelligi poteſt lex. Quum igitur has omnes conditiones habeat principium illud, de quo diximus & rectum agnoſci ab omnibus, & immutabile, quod ſemper, & ubique vim habet demonſtrandi quid æquum ſit, & bonum, quid non, itidemque poteſtatem habere obligandi, quam ex ipſa novimus conſcientia veluti adminiſtra, atque indice naturæ; conſequens eſt illud vere principium rationem, & ordinem legis obtinere pro iis omnibus, ad quæ paratum, & conſtitutum eſt ab ipſa natura, nimirum pro nobis ipſis, actibuſque noſtris, uti par eſt, ad recti, bonique ordinem dirigendis, informandiſque.

Lex enim ſive a legendo, vel deligendo ſit dicta, quod delectum habeat, & proponat rerum, ut Tullio viſum eſt, ſive a ligando, quod obligationem

tionem

(a) *Ea regula eſt veri nominis lex*.

tionem inducat, ſicut aliis, ac potiſſimum D. Thomæ placuit; illud profecto certum eſt, quum hæc omnia in eo, de quo loquimur, principio agnoſcantur, ut & ipſum ſit rectum per ſe, atque immutabilis rectitudinis fons, & aliunde vim habeat natura obligandi, non poſſe eidem veræ legis dignitatem, poteſtatemque abrogari. Atque hoc porro idem eſt naturale principium recti, & juſti, quod tanquam veri nominis legem in Ethnicis ipſis notaverat Apoſtolus Rom. 2. Neque enim de alia, quam gentes non habebant, ſcripta lege loqui poterat Paullus, ſed de ea tantum, quæ cordibus ipſorum inſculpta opus oſtenderet æternæ ſanctionis, *teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus*. Lex, inquit Auguſtinus, quam ut animis quodammodo impreſſam æternæ veritatis ſignaculo nulla unquam delere poteſt iniquitas, quum nullum vitium ita contra naturam ſit, ut ejus deleat etiam extrema veſtigia, lib. 9. de Civ. Dei cap. 9. Neque hic mihi quiſpiam iterum obtrudat varietatem innumerabilium conſuetudinum, quaſi vero per ſe ipſam nulla juſtitia, & lex ſit, ſemel ac cuique genti mos ſuus juſtus videtur. Arceo enim ab hac cauſſa profanum, & corruptum vulgus, quod judicem, aut aſſertorem in hoc argumento nequidem voluit, aut ſuſtinuit Hobbeſius: *Iniquum eſt enim*, ſcribit in ſuis elementis de Cive cap. 2. n. 1., *naturæ leges ab eorum conſenſu recipere, qui eas violant ſæpius, quam obſervant*. Quamquam, ſi rem ſtudioſius inquiramus, haud difficile fuerit ejus varietatis cauſſam agnoſcere, aut etiam minuere argumenti auctoritatem. Quid enim ſi illi non at-

 ten-

tenderunt ad prima juſtitiæ principia, quæ hominum cordibus inſunt? An inde conſequens fuerit naturalis legis virtutem gentili eorum diverſitate variari? Et porro ſi ad unum illud reſpexiſſent, ne multa commemorem, ut ajebat Auguſtinus lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 14., *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; profecto intellexiſſent ea una ſententia, quum refertur ad dilectionem Dei, *omnia flagitia* mori debere, quum ad proximi, *omnia facinora*. Quamquam & in hac cauſſa cavendum eſt, ne forte invidioſa ejus varietatis commemoratio fiat. Turca quidam, ait Dominus de Bielfed, *Inſtitutions Politiques t.* 1., quum a Galliis digreſſus Germaniam peteret diverſos offendens utriuſque gentis mores, quid cauſſæ eſſet ſciſcitatus, cur quod juſtum citra, non item trans Rhenum foret, hoc ſibi habuit a Conſulto juris reſponſum; aliud nempe eſſe de juſtitia quærere, aliud de arte politices, quæ ſemper quidem componenda cum juſtitia eſt, ſed varia eſſe poteſt pro diverſo regimine, aut conditione populorum, quorum utilitas plerumque a multiplicibus cauſſis, nec profecto ſimilibus pendet, & ſæpe commutatis temporibus & ipſa mutatur, quo ſenſu familiare illud eſt: *Alia tempora, aliæ curæ*. Ex qua nimirum reſponſione ſequitur non continuo omnem conſuetudinum varietatem, quæ pro adjunctorum, & caſuum diverſitate obtinere poteſt, juſtitiæ nocere, ſed quæ ejuſdem adverſatur principiis, quod diligentius cavendum; cæterum ut in corporibus magnæ diſſimilitudines ſunt, manente interim ſpeciei, atque membrorum integritate, ita, quod ad regimen politicum attinet in populis obtinens, varias quoque

eſſe poſſe, quaſi dixero, juris formulas, quin tamen naturalis legis robur, ac vis ipſa mutetur. Sic multi cœlum terræ miſcent, dum ſæpe uſus quoſdam tanquam juſtitiæ adverſos imprudenter exaggerant, qui ex ſe indifferentes ſunt, nec ullo modo naturæ legi repugnant. Quod ad abſurdas revera conſuetudines pertinet, jam ſupra dilutum eſt §. IV.

XIV.

En itaque, ut tandem concludamus, in quo proprie conſiſtat *ordo moralis*, de quo initio propoſuimus (*a*). Nimirum nititur ille, ut generatim de eo diſputamus, lege quadam naturæ, quæ ab hominis arbitrio non pendet, ſed ipſi dicta eſt, ut eam in ſuis actionibus propoſitam habeat, & ſervet; futurum alioquin, ut non recte agat ab ejus norma deficiens, neque adeo rectum, ſeu bonum ſit, quod efficiat, in eo ordine relationis. Atque hoc eſt, quod diximus legem illam certum agendi modum, rationemque præſcribere, ad eamque agentem, ſiquidem operetur humano modo, prorſus obligare. Lex, quæ ipſo actu, qui ab homine fiat, anterior eſt, & ad quam actio quævis, etiam ante omnem, quæ ab homine inſtituatur, comparationem, ratione ſui vel in ipſo poſſibilitatis ordine relationem habet naturalem, & neceſſariam, ut ideo nequeat ille exiſtentes inde convenientiæ, aut repugnantiæ ideas pervertere, ac mutare pro arbitratu ſuo, ſed tales omnino in ſe eſſe debeant, quales exiſtunt ex ipſa natura relationis. Aliud eſt, quod ad imputationem pertinet, quæ ipſi agenti fiat, de qua inferius ſuo loco. Interim & quod ſpectat ad indifferentia actuum

 obje-

(a) *Concluſio dictorum, & quid ordo moralis &c.*

objecta quoque obtinet lex; namque ea etiam ratione illa indifferentia dicuntur, quia ei legi ex ſe non repugnant, & aliunde ſemper recti, vel mali ſunt actus, qui circa illa aſſumuntur, prout debitus agendi modus, & finis ex parte agentis acceſſerit, vel non; quod & alibi magis declarabitur. Ex quibus omnibus patet, quemadmodum vi ejus legis, ſeu relationis naturalis actuum, & agentis ipſius ad legem, exiſtat tum in ipſo, tum in actionibus ſuis, quod diximus eſſe bonum, vel malum morale.

Hic quædam obſervanda ſunt. I. dum ordinem moralem dicimus vi legis exiſtentem, quæ in natura ſita eſt, non aliam revelatam excludimus, quæ, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 19. ar. 4., eſt *lumen quoddam ſuperadditum naturæ*, quo nimirum inter alia tutius, facilius, cumulatius homo poſſet legere in literis, quæ noluiſſet in corde; nec ſingulares reliquas legitima latas poteſtate, quæ vim ſuam obtinent etiam ab ea recti, juſtique regula, cujus illæ emanationes ſunt, vel applicationes ejus variæ, ut tulerit procuratio communis boni, vel etiam determinationes ejuſdem pro emergentibus caſibus accuratiores. Immo hæc omnia comprehendimus generali ea naturæ lege, quam juſtum eſt, ut cuncta ſint ſuo modo ordinatiſſima, & reſpondeant finibus, quos naturæ in univerſum, & ſingulis pro ſui conditione, & ſtatu præſtituit Deus. Neque eſt, ut hoc etiam moneam, quod aliquis propterea de ejuſmodi legum multitudine quæratur; quæ cum neceſſariæ eſſe potuerunt pro aucto hominum numero, multiplicatis eo modo, ita dixerim, particularibus juſti, & injuſti objectis, tum etiam aptiſſimæ ad tutiorem, pleniorem que eorumdem

rumdem ordinem, & tutelam. Hanc quoque oeconomiam in legibus ſuis, ut inquiunt, poſitivis ferendis ſervavit Deus ipſe, *ut pro captu, & profectibus mundi tum naſcentis, poſt medii, tandem adulti, & perfecti leges ſuas poneret, aliaſque aliis quodammodo diſtribueret perfectis perfecta recondens*, ſicut Origeni dialog. contra Marc., cui conſenſit & Theodoretus lib. 5. Hæretic. fabul., animadverſum eſt. Qua in re & illud ſummopere retinendum de eo generali jure nos hic tantum loqui, tum ne longius a propoſito abduceremur particularia ſecuti, tum vero præſertim, quia illud jus ad omnes pertineret, & legislatores æque, ac populos complecteretur univerſos. Neque enim putandum, quod innuere quidam viſi ſunt, non aliam admittendam eſſe juſtitiam, aut probitatem, niſi *relativam*, ut dixerunt, ad cujuſque populi mores, & regiminis formam, cætera puras eſſe ſpecies Platoniſmi, aut caſſum quiddam, & inani vocis ſono decoratum; namque & illi mores, & ea gubernationis forma cum præſtantiore adhuc componi debuerunt principio, quod eſt univerſalis lex ipſa naturæ; quæ quidem dirigendi vis & antiquior eſt omni particulari jure, ut quæ ad naturam pertinens hominis extitit, antequam privatæ, aut majores ſocietates crearentur, & etiam, priuſquam latæ ab his leges eſſent, illa jam perdomuerat, quod rationi adverſabatur, maculoſum nefas. Reliqua, ut dixi, ejus potius legis appendices ſunt, & conſectaria, ſed quæ ex illa generaliore juſtitia fluunt. II. eo ordine morali, quem propoſuimus ad actus dirigendos, illos tantum concludi juſſimus, qui fiunt humano modo, & libere; neque enim ulla pro aliis lex eſt, qui aut ſunt

indeliberati, aut extra agentis poteſtatem. Qua de cauſſa receptum eſt, ut, quoniam mores ex ejuſmodi actibus ita voluntarie, & libere ab homine aſſumtis fiunt, qui pro actibus, ut decet, informandis, componendiſque ordo eſſet præſtitutus, idem & *moralis* diceretur. III. etſi non de omnibus actibus egerimus, ad quos dirigendos ea ſpectat lex, ſed de quibuſdam tantum, qui apud omnes tales ſunt, & habentur, ideſt, prout ei legi congruunt, vel non congrunt, boni, aut mali; id tamen non alia mente eſt factum, niſi ut in eo generatim admittendo juſti principio conſenſum omnium demonſtraremus; cæterum nihil impedit in reliquis ejus juris conſectariis ab aliis peccari potuiſſe negligentia, perturbatione, conſuetudine, aut ſimilibus cauſſis; quamquam quod ab illis in eo principio non cernitur, alii vident &c., quod ſatis eſt, ut dicatur legem naturæ ad omnes actus pertingere, qui & capaces directionis ſunt, & poſſunt ad id juris quoquo modo referri.

X V.

Reſtat nunc igitur, ut inquiramus, in quonam ponenda, vel ex qua potius cauſſa ducenda ſit ejus, de qua loquimur, naturalis legis origo (*a*). Cui quæſtioni illud neceſſario præmuniendum legem ejuſmodi eſſe non poſſe ſolum hominis intellectum in ſe ipſo duntaxat conſideratum. Namque, ut dictum eſt, ea lex ex ſe omnino recta eſt, & immutabilis; talis porro abſolute nequit eſſe hominis intellectus, qui & fallax eſſe poteſt, & falſus, quod non ſemel experimento compertum eſt. Aliunde vero, uti

(a) *Ejuſmodi lex non eſt ſolus hominis intellectus in ſe ipſo nude conſideratus.*

uti etiam ſupra probavimus, ea lex vim obligandi habet, quod ex ipſo hauſimus ſenſu, & effectu naturæ intimo; difficile autem intelligitur, quomodo id poſſit ex ſe ſolus intellectus, qui non eſt, niſi ipſius hominis facultas, & quaſi pars, quum aliunde verbum *debere*, quod obligationem ſonat, non habeat niſi inter duos locum. Quum autem, quod de uno homine ſingulari dicitur, id proportione quadam de omnibus in pari cauſſa queat affirmari, ſi eos tantum ex nativæ virtutis indole æſtimaverimus; conſequens eſt quid aliud omnino præter nudum intellectum ejuſmodi legem eſſe, quæ videlicet recte, ac immobiliter dirigere humanos actus queat, atque ad ſui cuſtodiam homines & ſingulos adſtringere, & ſimul univerſos.

Nimirum hic non agimus de voluntate, quæ ex ſe cæca facultas eſt, nec poteſt inſtar normæ produci. Res ad intellectum contrahitur, qui ut cognoſcens facultas facem quodammodo voluntati in actionibus ſuis præferre poteſt. Atque id quidem concedimus in ordine phyſico, immo & in morali eum, ſemel ac veritatem viderit, ducem ſe præbere poſſe voluntati. At alia res eſt, quod ipſe ſit ea veritas, quæ recte ſemper, & immutabiliter de rebus judicet, ac præcipue de recto, & juſto, quod eſt moralis inquiſitionis objectum. Burlamachius quidem contendit intellectum hominis eſſe naturaliter rectum, quod ſi aliter eſſet, inquit, Pyrrhoniſmus induceretur in genus omne officiorum, *Princip. du droit naturel* 1. *par. ch.* 1. §. 7. Id ipſum quoque docuit Helvetius affirmans, *De l'eſprit diſc.* 1. *ch.* 2. 3. 4. *&c.* omnes homines *ſpiritum*, ut ipſe ait, habere *eſſentialiter rectum*, nec niſi accidentarias

prorſus eſſe naturæ cauſſas errorum. At, ut hoc mittamus, quod ſanius adhuc explicandum eſſet, profecto, ut ut quis ſe torqueret, ne inde quidem ſequeretur, intellectum hominis habendum eſſe pro ea, de qua ſermo eſt, lege, quando in ſe ipſo tantum conſideretur. Unde enim rectitudo iſthæc intellectus æſtimari poſſet, niſi ex veritate, ſeu norma, cui conformis ſit, ut idcirco, quum diceretur rectus moraliter, talis intelligi non poſſet, niſi per comparationem ad regulam morum, cui in agendorum, fugiendorumque judicio perfecte reſponderet? Pyrrhoniſmus autem nullus metuendus eſt, quando lex aliqua naturæ inſerta ſit, aut ita in aperto, vel proximo conſtituta, ut facile ſentiatur, aut cognoſci ab omnibus queat, quod attinet ad generalia ipſius capita, ex quibus reliquæ pendent juſti, rectique notiones. Omitto, quæ de ingenii humani eadem ſæpe in re mutabilitate dici poſſent, niſi certis quibuſdam legibus firmaretur. Tantum urgeo, quod de obligatione poſitum eſt. Quum enim ea ſit vinculum quoddam, quo neceſſitate, ſcilicet morali, ad aliquid adſtringimur; an ea proprie obligatio dicenda eſſet, quam quiſque in ſe adverſus neminem reciperet, & qua ſe ipſum exuere pro arbitrio poſſet? Nam quod de convenientia quadam naturæ afferri ſolet, prorſus elumbe eſt. Vel enim ea convenientia vere ſubſiſtit, tumque naſci debet ex aliqua relatione naturæ, ſed quæ, ut ſit, ab hominis facultate non pendeat; vel convenientia eſt, quam ſibi intellectus effingat, tumque arbitraria eſt prorſus, &, ſi rem penitius inſpicias, ad aliud tandem non revocatur, niſi ad id, quod placet, quodque iterum tam variabile eſt, quam diverſi

verſi, ac multiplices eſſe queunt aſpectus, quibus res una, eademque particularis conſiderari poteſt. Hoc, quod de ſingulari ex. gr. homine dicitur, poſſet ex æquo hominibus aptari univerſis, in quibus eadem facultas ſine lege ulla conciperetur; niſi quod ex condicto fortaſſe poſſent ſibi invicem jura dare quædam proprio phyſico ſtatui, ut putarent, accommodata; quo tamen in caſu obligatio ſemper ad alterum eſſet, qua quiſque devinciretur, & ſaltem ſocietatis reſpectu, quam conſtituiſſent; nam tunc *ſingulus quiſque homo, ut in ſermone una litera, ita quaſi elementum eſſet civitatis, & regni, quantalibet terrarum occupatione latiſſimi*, neque adeo carere quis ea relatione poſſet, qua ſe ſe in liberis actionibus, ut ponitur, erga alterum obligaſſet. Vid. S. Auguſtinus lib. 4. de civ. Dei cap. 3.

XVI.

Jam vero extra hominis intellectum nihil eſt, quod ſciamus, a quo recte, & immutabiliter in juſti, rectique judicio dirigi homo queat, ut nempe & recte operetur ipſe, & bonum omnino ſit, quod operatur, niſi ſolus Deus, qui eſt ipſa ſapientia, & immutabilis veritas. Rurſus nihil eſt, quod omnes, & ſingulos homines poſſit obligare, niſi ſolus ille, cui competit natura ſua jus omne in omnia, ut qui omnium conditor eſt, & conſervator. Conſtant hæc ex dictis, atque ex ipſa ſummi, ac præpotentis Dei notione, quæ omnium animis anticipata eſt. Ergo in Deo tantum agnoſcenda, ab eoque ſupremo Domino tanquam a cauſſa repetenda eſt ea univerſalis lex, qua omnes actus recte,

(a) *A ſolo Deo repetenda ejuſmodi lex, & vis, quam habet obligandi.*

recte, atque indefectibiliter regi queant, & omnes homines ad ejus cuſtodiam adſtringi, quæque naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna non alia ſit Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac, ſed & omnes gentes, & omni tempore una, eademque contineat, utpotequæ eſt ab uno communi quaſi magiſtro lata, & Imperatore omnium Deo.

Non eſt, cur quis admodum laboret, ut hoc demonſtretur. Univerſalis effectus, ajebat Grotius in lib. de verit. Relig. Chriſt., univerſalem requirit cauſſam. Quum autem in eo habeatur univerſalis effectus, quod omnes ſentiant, & conſentiant quid juſtum, aut injuſtum eſſe ex vi, & intelligentia naturæ quadam; conſequens ſit eam impreſſionem, aut inclinationem naturæ, aut lucem &c., qua talia dijudicent, nonniſi ab eo repetendam, qui naturæ auctor univerſæ quiddam indiderit hominum animis, unde illa noſſe poſſent, aut perſentire, quæ ipſis inſtar legis eſſe voluit, qua regerentur. In hoc capite omnis conſenſit antiquitas. Deus ſemper agnitus legis hujus, quam naturæ dicimus, inventor, diſceptator, lator, ut ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Vel idem ipſe, qui, ut ſcribebat Prudentius in Apotheoſi, in idolio recubans inter mille ſacra, ridiculoſque Deos ſale, ceſpite, thure venerans non putabat eſſe Deum ſummum, & ſolum ſuper omnia, quamvis Saturnis, Junonibus, & Citheræis, portentiſque aliis fumantes aras conſecraret;

Attamen in Cælum quoties ſuſpexit, in uno
Conſtituit jus omne Deo, cui ſerviat ingens
Virtutum ratio variis inſtructa miniſtris.

Hinc

Hinc etſi Ethnici olim varios haberent Deorum ordines, quorum alios cum aliis comparatos agnoſcerent vel *ſuperos*, vel *inferos*, vel *medioxumos*, atque omnes in proprio velut ordine tanquam Legumlatores, & Dominos venerarentur; nihilominus ſemper unum putaverunt eſſe, ſaltem plerique, ut divinitatis, ſic & legum omnium municipem, quibus non homines tantum, ſed etiam ipſi obligarentur Dii. Qua de re paſſim veteres chriſtianæ religionis vindices adverſus Gentiles, ac Tertullianus præcipue in ſuo Apologetico cap. 17. Ex quibus nimirum omnibus efficitur, quemadmodum nemo ſanus poteſt adverſus conſenſionem hominum in admittenda aliqua naturæ lege prudenter reſiſtere, ſic nec poſſe quemquam illam non repetere a ſolo Deo, cui ſummum imperium ratione omnia cogendi, aut vetandi ſemper attributum eſt, & ultima ea mens, *ex qua*, ut Ethnicorum more loquebatur Cicero lib. 2. de legibus, *illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte laudata eſt.*

XVII.

Colligantur itaque, quæ hactenus dicta ſunt, omnia, nimirum ex una parte ineſſe hominibus ſenſum quemdam naturæ, ſeu vim cognoſcendi rectum, & honeſtum aliquod, cujus cauſſa in univerſum judicant omnes de quorumdam actuum bonitate, vel malitia; ex alia hanc vim, ſeu judicandi criterium non poſſe, niſi a cauſſa aliqua univerſali proficiſci, qua univerſa regatur hominum natura (*a*); tumque conſtabit revera agnoſcendam eſſe aliquam legem, quam humano generi inſeverit naturæ auctor Deus, & ad quam proinde actus ſuos

in

(a) *Dictorum concluſio.*

in univerſum exigere debeant omnes, ut recti ſint, ſeu boni; futurum alioquin, ut mali habeantur, qui cum propriæ legis, ac directionis principio non conveniant.

Aliis rationibus hoc, quod eſt omnium dictorum ſumma, nempe aliquam naturæ legem datam hominibus, alii demonſtrant. Burlamachius cit. libro par. 2. c. 2. §. 4. id probat ex ipſa hominis indole ad recipiendam legem aptiſſima, & ſine qua inutiles, immo etiam noxiæ evaderent excellentiores ipſius facultates. Ut enim, inquit, certa ex. gr. oculi ſtructura oſtendit hominem factum ad videndum lumen, quod etiam de aliis membris dicitur per comparationem ad propria objecta; ſic etiam ex quo nobiliores hominis facultates, quales ſunt mens, & voluntas, ita effectæ ſunt, ut capaces ſint regulæ, ad quam dirigantur, atque ea polleat homo poteſtate, qua ſe ipſum valeat, & actus ſuos ad quoddam recti, juſtique principium comparare; ſequitur ex hac ipſa analogia, & proportione naturæ in eum finem aliquam reapſe legem homini præſtitutam, qua ſe ipſum regat, uti par eſt, & rationalem naturam decet; maxime quum, ſubdit, ſine ea directionis norma fruſtraneæ prorſus, immo etiam exitioſæ fierent, quæ ſummopere laudantur in homine, facultates. Cui enim uſui ratio, conſiderandi, deliberandique vis, ac poteſtas ſe ſe in certum finem dirigendi, ſi una tantum dominatrix cæca libido eſſet in homine, cui tanquam bruto inſtinctui parendum? Eo modo locus pateret ampliſſimus abuſui propriarum facultatum, qui certe eo ſolet eſſe nocentior, quo illæ ſunt præſtantiores, magiſque valere poſſunt ad depravationem, ad vitia, ad cujuſque generis mala, ut

patet

patet, quum inter homines data libertas odiis, reſolutaque legum frenis ira ruens talia audet, qualia ne quidem auderent belluæ, niſi in diſpar genus. Monteſquieu *lib.* 1. *de l'eſprit des loix ch.* 1. id evincit ex comparatione quadam a phyſico mundi ordine aſſumta, atque ad intellectualem, & moralem traducta. Si enim certis legibus hanc rerum univerſitatem temperatam videmus, quæ ſe ſe conſtanter produnt in motibus corporum, in animantium actibus, atque in organica ipſius hominis ſtructura, partium ordine, & compage; putandum ne mundum intellectualem, & moralem, qui amplior, & præſtantior eſt altero, atque ad nobiliſſimum pertinet omnium animantium, ita a Deo fuiſſe neglectum, ut nullas pro ipſo ſtatuerit leges, quibus regeretur? Maxime quum, ut probe notavit Heineccius lib. 1. elem. jur. nat., & gent. cap. 1. §. 10., miſerrimus fuiſſet homo ita ſibi relictus, ut tantum incerto, & vago arbitratu ſuo gubernaretur nullo directus afflatu, ac ductu divino, quod alienum, inquit, ab omni ratione eſt, atque de optimo, ſummoque Deo cogitare nefas. Aliam indicavit viam, qua hoc ipſum efficeretur clariſſimus P. Franciſcus Adami in aurea, quam Religioſis Juvenibus ſuis propoſuit, ſtudii Philoſophici, & Theologici methodo. Scilicet ſcribit ille pag. 18. *ex ipſa hominis libertate ſequi neceſſitatem legis, quam æternus, & ſapientiſſimus Proviſor imprimere quodammodo debuerit mentibus hominum, ut in verum, ſincerumque bonum ſuos actus dirigerent, & ab inani, & fallaci pedem retraherent*. Nobiliſſimum certe docendi genus, ut quod ex fine, ad quem natura omnes ferimur, ideſt felicitatem, aſſumtum naturam

turam propius attingit humanam, atque ita non ſolum occurrit Schmauſſio, qui hominem *ſine lege creatum* affirmat, ſed & Helvetio, qui cum inſtinctu eandem confundit animalibus communi, quibus tamen non idem, ac homini eſt propoſitus finis, atque felicitas. Alii tandem, ut ejus divinæ legis hominibus datæ exiſtentiam, & veritatem oſtenderent, ad conſtantiſſimam, ipſique coævam mundo traditionem humani generis confugerunt, qua ſemper retentum etiam ſub involucris fabularum initio homines non alios habuiſſe Reges, quam Deos, adeoque omnem ipſorum gubernationis formam non niſi *Theocraticam* fuiſſe, quod & innuit Roſſeau *Contr. ſocial. liv.* 4. *ch.* 8. Ex quo videlicet ſequitur antiquiſſimam omnium, & præſtantiſſimam legum, qua omnes gubernantur, qualis certe eſt, quæ dicitur naturæ, cæterarum fundamentum, & radix, a Deo tantum repetendam eſſe, qui eam hominibus dederit; eamdemque propterea neque hominum ingeniis excogitatam, neque ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regat imperandi, prohibendique ſapientia, qualis prudentiſſimorum omnium olim ſententia fuit, cujus quidem argumenta ex remotiſſima antiquitate petita adeo accurate collegit, atque expendit in ſuis de traditione principiorum naturalium libris vir undecumque doctiſſimus Pater Anſaldi, ut nihil præterea in hoc rerum genere videatur deſiderandum. Atque hæc porro placuit ex præſtantiſſimis viris adferre, tum ut magis confirmarentur, atque illuſtrarentur, quæ hactenus de ea naturæ lege pro ordine morali diximus, tum ut aliæ etiam indicarentur viæ, quibus id ipſum poſſet effici, quod propoſitum.

XVIII.

Ex iis porro omnibus illud I. conſtat ſolam hominis in agendo, & actuum ſuorum legem in ordine morum a Deo præſtitutam unam eſſe veritatem (*a*). Quum enim lex a Deo data ſit, ipſa lex ejus veritas eſt, ut idcirco quidquid ei non congruit, nec verum, nec ſincerum haberi poſſit, ſed omnino ſit falſum, idemque prorſus ſit dicere rectum, aut bonum in genere morum, ac verum, indeque propterea, quod tale non eſt, ſecundum ſe neque rectum dici, neque bonum queat. Ex quo nimirum efficitur, quod & ipſe ajebat Leibnitius, *uti proportionum, & æqualitatum, ita & æquitatis, & convenientiæ regulas æternis rationibus conſtare*. Quum autem Deus negare ſe ipſum nequeat, neque adeo ordinem ſapientiæ ſuæ, ex hoc ipſo ſequitur nec rectum ex ſe, neque bonum, quod attinet ad actus naturam, ullo prætextu dici apud Deum poſſe, quod cum ipſius æterna lege quo demum cumque modo repugnat; id quod ſolet etiam dici intrinſece malum ob immutabilem, quam habet cum ejuſmodi lege oppoſitionem, qua fit, ut nullo unquam cujuſque alterius boni, aut finis obtentu honeſtari queat.

Præclare id docuit Tertullianus lib. de ſpect. his verbis. *Non poteſt aliud eſſe, quod vere quidem eſt bonum, ſeu malum. Omnia penes veritatem Dei fixa ſunt. Ethnici, quos penes nulla eſt veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis Deus, malum, ac bonum pro arbitrio, ac libidine interpretantur, alibi bonum, quod alibi malum, & alibi malum, quod alibi bonum.*

(a) *Lex juſti, & boni moralis a Deo data ſola veritas.*

bonum. Cujus quidem rei ratio ex immutabili æternæ legis veritate petitur, cui, ut ajebat Tullius lib. 3. de Rep. apud Lactantium lib. 6. cap. 8., nec obrogari fas eſt, neque derogari aliquid licet, neque eadem tota abrogari poteſt. Hinc fruſtra adverſus eam legem quis cujuſque generis præſcriptionem obtruderet. Lex enim illa veritas eſt: *Veritati autem nemo præſcribere poteſt: non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegia regionum*. Conſuetudo quævis adverſus eam nihil juvat: *Quodcumque adverſus veritatem ſapit, hoc eſt hæreſis*, ſeu falſum, *etiam vetus conſuetudo*. Tertul. de velandis virginibus; &, ut habetur etiam in jure Canonico ex Cypriano, *conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt*. Exceptionibus quidem his ſubeſſe poſſunt hominum leges, quia ab hominibus ſunt, neque de cœlo ruunt; qua de cauſſa & mutari, & corrigi ab iiſdem queunt. Sic Lycurgi leges a Lacedæmoniis emendatæ fuerunt, & *Vos* (ſcribebat Tertullianus in Apologetico ad Alexandrum Severum, & Antoninum filium Romani Imperii Antiſtites) *nonne quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis totam illam veterem, & ſqualentem ſilvam legum novis principalium reſcriptorum, & edictorum ſecuribus ruſtatis, & cæditis?* At æterna Dei veritas experimentis non eget: viciſſitudinibus non obumbratur: virgo eſt corrumpi neſcia: & tamdiu immobilis manet, quamdiu, qui æternum vivit, *Antiquus dierum* ſedet. Ex quibus omnibus patet, quemadmodum nihil urgeri adverſus illam legem queat, quo aut ejus minuatur auctoritas, aut quod in illam commiſſum ſecundum ſe honeſtum fieri poſſit.

XIX.

XIX.

Conſtat II., quod maxime ad rem noſtram attinet, quid ſit ſecundum veritatem vivere, & quid ſecundum mendacium; quæ quidem non raro in Scripturis, & Patribus occurrit diſtinctio (*a*). Vivere ſecundum veritatem nihil eſt aliud, niſi ex lege Dei vivere, ad quam factus eſt homo, quæ ipſa veritas eſt; vivere autem ſecundum mendacium eſt ſecundum proprium appetitum, & arbitrium vivere, propter quod homo creatus non eſt. Hinc ut prius rectum, & bonum, utpote quod Dei ordinationi reſpondet; ita alterum malum, quia repugnans ordini, quem præſtituit Deus. Prius bonum, quia verum, ideſt juſto, & legitimo ordini congruens; alterum malum, quia falſum, ideſt ab æternæ veritatis ſanctione diſcordans.

Egregie in hanc rem S. Auguſtinus de civ. Dei lib. 14. cap. 4. Quum vivit homo ſecundum veritatem, non vivit ſecundum ſe ipſum, ſed ſecundum Deum. Deus eſt enim, qui dixit, Joan. 14., *Ego ſum veritas*. Quum vero vivit ſecundum ſe ipſum, hoc eſt ſecundum hominem, non ſecundum Deum, profecto ſecundum mendacium vivit: non quia homo ipſe mendacium eſt, quum ſit ejus auctor, & creator Deus, qui non eſt utique auctor, creatorque mendacii, ſed quia homo ita factus eſt rectus, ut non ſecundum ſeipſum, ſed ſecundum eum, a quo factus eſt, viveret; ideſt illius potius, quam ſuam faceret voluntatem: non autem ita vivere, quemadmodum eſt factus, ut viveret, hoc eſt mendacium. Beatus quippe vult eſſe, etiam

 non

(a) *Quid ſecundum veritatem vivere, quid ſecundum mendacium.*

non ſic vivendo, ut poſſit eſſe. Quid eſt iſta voluntate mendacius? Unde non fruſtra dici poteſt, omne peccatum eſſe mendacium. Non enim fit peccatum, niſi ea voluntate, qua volumus, ut bene ſit nobis, vel nolumus, ut male ſit nobis. Ergo mendacium eſt, quod quum fiat, ut bene ſit nobis, hinc potius male eſt nobis; vel quum fiat, ut melius ſit nobis, hinc potius pejus eſt nobis. Unde hoc, niſi quia de Deo poteſt bene eſſe homini, quem delinquendo deſerit, non de ſe ipſo, ſecundum quem vivendo delinquit? Quo refertur & illud, quod antea notaverat S. Doctor de Principe tenebrarum, ideo ipſum mendacii patrem appellari, quia *in veritate non ſtetit*, Joan. 8., ideſt creatus a Deo non ſecundum Deum, ſed ſecundum ſe ipſum vivere voluit, & ideo non de Dei veritate, ſed de ſuo mendacium locutus eſt. Eo ſpectat etiam Paulli teſtimonium Rom. 3. *Si autem veritas Dei in meo mendacio abundavit*. Meum dixit mendacium, veritatem Dei: ut nimirum ſignificaret hominem, quum derelinquit Deum, ejuſque legem, non veritatem ſectari, ſed vere, & proprie mendacium, dum ſequitur id, quod verum non eſt, ſed omni modo deficiens, & falſum.

X X.

Conſtat III. Deum, qui legem homini ſtatuit, ut eam ſequeretur, atque ita ſecundum veritatem viveret, ejus certe notitiam illi exhibuiſſe, aut ſic parabilem conſtituiſſe, ut eam ſibi comparare poſſet, quod attinet ad præcipua ſaltem, & generalia juris naturæ principia, indeque proxime manantes concluſiones. Hoc enim omnino ad legis rationem pertinebat, ut manifeſtata eſſet aliquo modo;

ſutu-

futurum alioquin, ut fruſtranea lex, & nulla ipſius obligatio haberetur, quæ ex abſolutæ cognitionis defectu non poſſet impleri (*a*). Manifeſtata eſt autem per lumen quoddam affuſum rationali naturæ, quo quaſi divinæ mentis radio vel quædam in animis ſignarentur æterni ordinis, ac veri notiones, vel ita in aperto ponerentur, ut eaſdem intellectus, ſemel ac attenderet, non poſſet non videre. Talia ſunt ex. cauſſa: *Deum colendum, a quo exiſtentiam, & vitam accepimus: Alteri non faciendum, qui communem habet nobiſcum naturam, quod nollemus ipſi*, & alia id genus: Principia ſcilicet fœcundiſſima, a quibus, quantum aſſequi ratione poſſumus, univerſa officiorum moralium ratio, ſerieſque pendet, & aliunde quæ omnibus probata ſunt, ac debent eſſe, ut quæ vel communis intelligentia in animis inchoavit, vel ſatis, quantum ad cujuſque officium pertineret, ſi velit attendere, patefecit.

Hæc principia, de quibus diximus, conſueverunt appellari *principia ſynderesis*, quod aut animo inſerta ſint, aut proxime adjacentia rationi, unde & a quibuſdam dicuntur menti hærere inſtar habituum, ab aliis non ita quidem, ſed quaſi ipſi affinia, & proxima, quæque ideo ſic eidem obvia ſunt, ut, quemadmodum accidit in rebus maxime conſpicuis, ad ea reſpicientes non tam credamus ipſa animo videre, quam videamus: quo fit, ut illius generis controverſia nihil immutet naturam rei, quæ in utraque ſententia eadem manet. Idem Lockius,

 qui

(a) *Ea lex, & veritas juſti, & boni moralis manifeſtata eſt hominibus per quaſdam naturæ notiones tanquam cognoſcendorum, agendorumque principia &c.*

qui ideas innatas ſuſtulit, quum ventum ad hæc principia eſt, ita rationi pervia dixit eſſe, ut innoxie ab homine ſano ignorari non poſſint. Deus, inquit, homines non reliquit ſine teſtimonio ſui. Inſtructi, ut ſunt, facultatibus percipiendi, ſentiendi, ratiocinandi, næ manifeſte iniquiſſimi forent, ſi quererentur ſibi non ſatis eſſe præſidii, quo ſuum auctorem noſcerent, & quæ ad ipſos pertinent, quantum eſt opus, quo ad finem tendant ſuum (ut per rationem licet), cujus gratia exiſtunt, in eamque felicitatem moveantur, quæ naturæ propoſita eſt. Ignorant quidem hæc fortaſſe nonnulli, ſed quos adeo ſtrenua exercet inertia, ut pari jure ignorare queant alias etiam ex illuſtrioribus, atque evidentioribus veritatibus, quod ad eas conſiderandas animum nunquam appulerint. Vid. *Abregé de l'eſſai de Monſieur Locke ſur l'entendement humain &c. liv.* 4. *ch.* 10. Haud aliter diſputat Auctor libri, *Lettres juives tom.* 5. *lettr.* 181. *Lumen*, ajens, *naturæ a Deo tributum ſufficit, ut cognoſcatur, quod utile, & honeſtum. Si hæc non ſatis apte diſcernuntur a quibuſdam, attentionis defectui, aut præjudicatis opinionibus eſt imputandum. Fruſtra*, ſubdit ille, *hujuſmodi lumen inutile diceretur, quia multæ adhuc gentes, etſi ratione polleant, ſolo tamen quodammodo inſtinctu reguntur. Idem enim de ratione, ſeu intellectu hominum affirmandum, quod de libero eorumdem arbitrio. Poſſunt quippe ratione, ſi velint, uti, quin tamen ipſis ulla immineat violenta neceſſitas. Atque ex hoc porro libero rationis uſu exiſtit, qui tam ſæpe in hominibus cernitur, diverſus, ac varius ſapientiæ, prudentiæ, virtutiſque gradus*. Hæc quum ita ſint, non magnopere quærendum, ut dixi, num ea prin-

cipia

cipia habitus inſtar ſint, vel quid aliud. Quum iidem ipſi, qui innatis habitibus adverſantur, aut ideis, eas tamen notiones adeo in luce poſitas velint, ut nequeant ignorari ſine piaculo, quid adhuc rei immoramur? An ut ſibi quis poſtulet explicari, dum cogitat, aut videt aliquid, quo modo hoc ipſum videat, aut cogitet? Tantum hic paucis docebo, ut conſtet, & quam late pateat eorum, quæ ſupra conſtituimus exempli cauſſa, duorum principiorum veritas. Illud eſt enim, ut animadvertit Monteſquieu *de l' eſprit des loix liv.* 1. *ch.* 1., naturæ effatum omnem inſtitutionem hominum antevertens: *Entia intelligentia, quæ beneficium ab altero acceperint, gratum eidem animum afferre oportere:* (Faceſſat hinc aliquantiſper Helvetius, qui facti gratiam non naturæ obligationem, ſed tantum ſocietatis officium eſſe voluit in miſerorum ſubſidium invectum, quo augeretur beneficorum numerus, *de l'eſprit diſc.* 2. *ch.* 2.) Quid porro hoc? Nonne ex eo principio generatim, & nullo monitore quiſque ſtatim, qui ratione utatur, intelliget Deo obſequentiſſima grati animi officia adhibenda eſſe, a quo nimirum habet, & quidquid eſt, & quod ſpiret, & placeat, ſi placet? Venio ad alterum. An non congeneratum quodammodo naturæ illud principium eſt: *Alteri non faciendum, quod tibi fieri nolis*, ſi homines conſideres cognatione naturæ, & quaſi originis communione conjunctos? Quid ergo in alios facinora? *Nullus eſt enim*, ajebat S. Auguſtinus lib. de decem chordis cap. 10., *nullus eſt, qui faciat alteri injuriam, niſi qui fieri nolit ſibi, & in hoc tranſgreditur naturæ legem, quam non ſinitur ignorare, dum id facit, quod non vult*

 pati,

pati. Furtum ſi faciam, id facio, quod pati nolo: ſi parentibus meis honorem non deferam, quando volo, ut mihi deferatur a filiis meis, id facio, quod pati nolo: ſi occidam, ſi accedam ad uxorem alterius, & nolo, ut mea uxor tale quid faciat, ſi concupiſco uxorem proximi mei nolens, ut concupiſcatur mea; id facio, quod pati nolo. Colligantur etiam, ſi placet, quæ ſparſim habet Roſſeau in ſuis libris, *Emile, ou de l'education*, tumque patebit vel ipſius teſtimomonio, quam ſint naturæ conſona, quæ erga alios vocantur *juſtitiæ*, *humanitatis*, *& miſericordiæ* officia ex ipſo eodem amore, quo nos ipſos proſequimur natura. *Primus*, inquit ille *liv.* 2. *pag.* 207., *naturæ motus in propriam conſervationem ſpectat, atque felicitatem*. Hinc facilis ad alia progreſſio eſt: ex ſenſu juſtitiæ, quæ debetur nobis, poteſt & alter juſtitiæ ſenſus exiſtere, quam aliis debeamus ipſi. Deinde *ex amore propriæ conſervationis amor eorum proxime naſcitur, quæ conſervare nos poſſint*, *liv.* 4. *pag.* 161. Hinc quem benevolum ſenſum quiſque concipere debet pro ſpecie ſua, id tantum reputans animo, quemadmodum ſine aliorum ſubſidio vivere nequiverit infans, & vix, ac ne vix quidem, ut tantillum loquar, adultus? Tandem, ut alia prætercam ſuſcepti operis modum cogitans, *ex amore eorum, quæ conſervare nos poſſunt, & deploratio*, inquit, *exiſtit malorum, quibus perceili poſſumus, ac turbari; liv.* 4. *pag.* 203. Hinc contriſtari pro afflicto, ut liberetur, timere periclitanti, ne pereat, & generatim virtus miſericordiæ exiſtit, cujus gratiſſima vox mortalibus: *Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco*. Ex quibus omnibus patet, ut ex uno, aut altero juris naturalis principio cætera

manare

manare queant, & quæ ad Deum, & quæ ad alios referuntur, ac pertinent, ut ſola poſſunt ratione inveſtigari, atque cognoſci.

XXI.

Intellectus itaque, ſeu ratio hominis, non qualiſcumque, ſed iis, aliiſque id genus principiis, atque notionibus a Deo quocumque modo informata eſt propria, ac naturalis ejuſdem hominis lex, ad quam ut exiguntur actus, boni; ſecus, mali habentur in ordine morum (*a*). Ex quo & illud dici conſuevit, quemadmodum lex æterna Dei ut in divina mente exiſtens prima quidem, ſed remota actuum humanorum regula eſt, ita rationem hominis ejus legis ordine a Deo informatam ſecundam, ſeu proximam eorumdem actuum legem appellandam eſſe; quia nimirum ab illa eſt lege æterna, ex qua accipit ratio hominis, ut ſit recta; ab illa aſſumit, unde immutabiliter judicet de actuum honeſtate, aut turpitudine; ab illa tandem habet, ut obligationem inducat, atque ita homines valeat ad ſui proſecutionem adſtringere; qui tres ſunt veræ, ac legitimæ legis, ut ſupra memoravimus, characteres.

Audiatur hac de re S. Thomas 1. 2. q. 19. ar. 4. *In Pſalmo* 4. *dicitur*; multi dicunt, quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine: *Quaſi diceret, lumen rationis, quod in nobis eſt, intantum poteſt nobis oſtendere bona, & noſtram voluntatem regulare, inquantum eſt lumen vultus tui, ideſt a vultu tuo derivatum.* Ex

 quo

(a) *Intellectus, ſeu ratio hominis, ut legis principiis informata, eſt proxima actuum humanorum lex.*

quo principio colligit S. Doctor (quod præ oculis ſemper habendum eſt , & conſentit cum eo, quod ſupra ex S. Auguſtino laudavimus de æternæ legis veritate §. XIX.) , rectitudinem actus, & voluntatis humanæ magis pendere *a ratione Dei*, ſeu a lege increata, quam a creata, ideſt a recta ratione; quia hæc ipſa, ut habeat vim legis, id obtinet a lege æterna, cui conformis eſt. *In omnibus autem cauſſis ordinatis*, ſubjicit cit. loco †, *effectus plus pendet a cauſſa prima, quam a cauſſa ſecunda, quia hæc non agit, niſi in virtute primæ cauſſæ*. Hinc ſemota ejuſmodi lege, ut diximus, ne quidem ratio, ſe ſola inſpecta, rationem habere poſſet normæ, ſeu legis, quemadmodum ſine artis alicujus principiis fruſtra cujuſque vel acutiſſimi ingenium ejus artis regula diceretur. Eo pertinet illud Auguſtini, quod de æterna rerum omnium veritate dictum lib. de vera religione cap. 30. cuncta, quæ hactenus docuimus, mirum in modum illuſtrat: *Lex*, inquit, *omnium artium quum ſit omnino incommutabilis, mens vero humana, cui talem legem videre conceſſum eſt, mutabilitatem pati poſſit erroris, ſatis apparet ſupra mentem noſtram eſſe legem, quæ veritas dicitur. Nec jam illud ambigendum eſt incommutabilem naturam, quæ ſupra rationalem animam ſit, Deum eſſe, & ibi eſſe primam vitam, & primam eſſentiam, ubi eſt prima ſapientia. Nam hæc eſt illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium recte dicitur, & ars omnipotentis artificis*.

XXII.

XXII.

Hinc porro quædam ſequuntur (*a*). I. ſicut in ordine phyſico voluntas in homine dominans principium eſt, eo quod omnes ejus reliquæ facultates ipſius imperio natura ſubjiciantur, ut explicavimus 1. parte §. IX., & X., ita a contrario in ordine morali dominans in homine principium eſſe debere rectam rationem, cui voluntas ſubſerviat ipſa ex Dei jubentis præſcripto neceſſe eſt; quia non proprium arbitrium homini datum a Deo tanquam lex, ſed ratio, ut ponitur, divini ordinis cognitione informata, quæque ideo valeat in agendis, fugiendiſque hominem dirigere, quod non poſſet cæca voluntas.

Atque hoc modo refellitur eorum agendi ratio, qui, omnia quæcumque ad mores pertineant, revocant ad ſuum arbitrium, ſuiſque tantum res eſſe, aut ſtare volunt judiciis, aut quocumque tempeſtas, vel fanaticus error tulerit, illuc deferuntur hoſpites, & ſubſiſtunt; quod profecto nec ſapit veritatis amorem, nec ullo modo decet prudentis viri integritatem, & fidem. Id vero multo magis affirmandum de illis eſt, qui infimum ſenſum paſſim in rationis locum ſubſtituunt, ex eoque judicant, quod recta ratione penſandum. Qua de re D. Thomas 2. 2. qu. 25. art. 7. *Principale in homine eſt mens rationalis, ſecundarium autem eſt natura ſenſitiva, & corporalis; quorum primum Apoſtolus nominat* interiorem hominem, *ſecundum* exteriorem, *ut patet* 2. *ad Cor.* 4. *Boni autem æſtimant principale in ſe ipſis rationalem naturam, ſive interiorem hominem; unde ſecundum hoc æſtimant ſe eſſe, quod ſunt*, (atque ita quoque de

cæte-

cæteris rebus ſentiunt). *Mali autem æſtimant principale in ſe ipſis naturam ſenſitivam, & corporalem, ſcilicet exteriorem hominem; unde non recte cognoſcunt ſe ipſos*, (neque adeo etiam quæ vere ad ipſos pertinent, uti par eſt, ab aliis dijudicant). Atque hinc profecto prima mali lues, quæ tantopere olim, vel ipſis Apoſtolorum temporibus, ut ex Paullo diſcimus, caſtiſſima morum dogmata ab iiſdem propoſita vexavit tanquam prudentiæ carnis, quæ tamen, eodem Paullo judice, *mors eſt*, inimica. Et ſane ſi optima, omnibus conſentientibus, ea lex eſt, quæ minimum relinquit arbitrio judicis, optimus vero judex ille, qui minimum ſibi; qui fiat, ut talis haberi debeat communicata rationi Dei lex, ideſt enim omnium imperfectiſſima, quæ huc, illucve trahi pro animi ſententia poſſit, aut talem mereatur judicem, qui ſe ſe ipſum, & voluntatem ſuam eidem anteferat, quod vel in ipſis humanis legibus tum incivile, tum iniquum omni modo haberetur?

XXIII.

Sequitur II. ſi ratio non habet vim legis, niſi ut eſt divinæ, æternæque legi conformis, a qua id obtinet, ut recta ſit, & immutabiliter rectum, quod judicat, cum virtute, poteſtateque obligandi, ne quidquam contra ipſam fiat; ſequitur, inquam, quæ legi Dei quocumque modo adverſetur, aut ab eadem diſcrepet humana ratio, tum virtutem legis amittere, tum etiam ex ſe vim proprie dictam dirigendi hominum actus (a). Id enim omne

(a) *Hinc rurſus ratio humana diſcrepans a Dei lege, non eſt vera lex, nec bonum ex ſe, quod ſecundum eam factum.*

omne tribuitur legi, ſed ut vera lex eſt, non legis corruptio, utcumque aſſumtus, aut imbutus error pro lege accipiatur. Hinc poterit quidem tunc opus exercitum ex falſa legis idea excuſari, quando fortaſſe fuerit error abſolute involuntarius (*Leges enim dant veniam ex neceſſitate, & involuntate delinquenti*, Tertull. in Apologet., quod infra etiam ſuo loco expendetur); at nunquam effici inde poterit, ut vere ſit bonum, quod in legem etiam inſcienter commiſſum eſt. Id enim non bonum, quod non rectum, atque hoc non rectum, quod cum ſua regula non coæquatum, cujuſmodi ſola ratio non eſt, ſed ratio conformis legi Dei. Referantur huc, quæ ſuperius dicta ex D. Thoma, in cauſſis ordinatis effectum plus pendere *a cauſſa prima*, quam *a ſecunda*, adeoque rectitudinem actus magis ab æterna Dei lege pendere, quam a ratione, utcumque ponatur recta. Sed de hoc etiam alibi.

XXIV.

Sequitur III. ſi ratio, ſeu intellectus humanus eatenus lex eſt agendorum, quatenus divinæ legi conformis, ergo quod rectæ rationi adverſabitur facinus, aut crimen, illud idem adverſabitur legi Dei, quæ per rationem rectam innoteſcit, atque manifeſtata eſt (a). Neque enim peccari poteſt contra principium proxime dirigens, quin ſimul agatur contra illud, a quo proximum ipſum dirigitur, & cui iſtud uſquequaque debet congruere. Hinc D. Thomas 1. 2. qu. 71. art. 2. *Quidquid eſt contra rationem artificiati eſt etiam contra naturam artis,*

qua

(a) *Hinc etiam non poteſt peccari contra rationem rectam, quin adverſus Dei legem peccetur.*

qua artificiatum producitur. Lex autem æterna comparatur ad ordinem rationis humanæ, ſicut ars ad artificiatum. Unde ejuſdem rationis eſt, quod vitium, & peccatum ſit contra ordinem rationis humanæ, & quod ſit contra legem æternam. Quare etſi Philoſophi ex. gr. ſoleant peccatum tantum conſiderare, ut rectæ rationi opponitur, non tamen excludunt alterum, quem habet, ad æternam Dei legem, cui adverſatur, reſpectum; ſed ſolum, quod muneris ſui eſt, agentes rationem, ejuſque ordinem ſcrutantur, illis interim relinquentes cætera, quorum eſt ex inſtituto tractare de lege Dei.

Obiter hic moneo eadem cauſſa, qua fit, ut agi contra rectam rationem non poſſit, quin ſimul contra legem Dei agatur, ex qua nempe habet ratio, ut ſit recta, vimque exerceat legis; eadem, inquam, cauſſa effici, ut qui adverſus rectam rationem peccat, non duplex peccatum admittat, alterum contra ordinem rationis, alterum contra legis æternæ præſcriptum. Quum enim hæc ordinata invicem ſint, ſic ut alterum profluat ex altero, nimirum ratio humana non habeat vim legis, niſi quatenus pendet a lege æterna Dei; conſequens fit hinc non duplicem legem exiſtere, quæ peccando offendatur, ſed unam, eandemque, quæ in Deo, atque a Deo eſt, ſed per rationem rectam manifeſtata, ac propoſita. Ubi autem una tantum lex, ſeu præceptum, & per conſequens una obligatio, ex ejus violatione proprie nequit duplex peccatum exiſtere, licet accidere poſſit, ut augeatur, vel minuatur ejus gravitas pro majore, vel minore perſpicientia, aut opinione mali, quod in putatam legem admiſſum eſt, aut etiam nova ei-

dem

dem crimini ſpecies accedat malitiæ, prout illa agentis mentem ſubiit, aut operi ineſſe credita eſt, qua de re etiam infra.

XXV.

Ex his porro omnibus, quæ hactenus diximus, hoc exiſtit, quod cujuſque alterius inquiſitionis de actibus humanis, ut ad legem comparantur, caput, & fundamentum eſt (*a*). Nimirum actus humani quivis eatenus boni, vel mali cenſentur in ordine morum, quatenus ſunt recti, aut pravi. Recti porro, vel pravi ſunt, & habentur, ut cum lege vere congruunt, aut non congruunt. Quum autem recta ratio ea ſit, quæ Dei legem, ſeu primam morum regulam nobis exhibeat, ac manifeſtet, ut antea explicatum; ex eodem principio conſequens fit actus humanos omnes rectos eſſe, vel pravos, ſeu bonos, aut malos, prout ordini congruunt rectæ rationis, aut eidem repugnant. Porro autem quum nihil vere dici poſſit certæ legi, ſeu regulæ congruere, niſi ejus præſcripto uſquequaque reſpondeat, aliunde, ut quidquam non congruens dicatur, ſatis ſit, ut in aliqua ſui parte a lege deficiat; jam inde etiam ex hoc ipſo neceſſario ſequetur, ut actus humani vere moraliter boni ſint, & dicantur, debere rectæ rationis ordini ab omni parte congruere; futurum alioquin, ut ſi in aliquo capite a legis commenſuratione deficiant, habeantur, & ſint ſimpliciter mali.

Hæc

(a) *Corollarium generale: ad bonitatem actuum humanorum requiſita omni ex parte cum rectà ratione congruentia, ad malitiam quilibet defectus ſufficit.*

Hæc ex hucuſque dictis, ut arbitror, ſatis perſpicua ſunt, ex quibus nempe intelligitur, quam illud ſit verum, & maxime in morum doctrina, quod ex auctore librorum de divinis nominibus aſſumtum axiomatis loco ſemper, & ubique habet D. Thomas, & præcipue 1. 2. q. 18. ar. 4., ubi de actionum bonitate, vel malitia agit: *Quilibet ſingularis defectus cauſſat malum; bonum autem cauſſatur ex integra cauſſa*. Enimvero quum actio quævis, ut bona ſimpliciter ſit, debeat legi tanquam regulæ conformari, qui fiat, ut aut bonum dicatur, quod deficit, aut non malum, quod regulæ ſuæ non reſpondet? Id aliqua ſimilitudine adductus illuſtro. Sicut enim, quæ ſolet approbationem movere, pulchritudo corporis non in hujus tantum, aut alterius membri configuratione ſita eſt, ſed ex omnium partium apta diſtributione, atque inter ſe cum quodam lepore convenientium conſenſu efflroreſcit; haud aliter quod in actu decorum dicitur, ſeu bonum ad omnem honeſtatem pertinens, non ex unius, aut alterius, ita dixerim, ejuſdem partis compoſitione exiſtit, ſed ex omnium, quæ ad ipſum ſpectant, ordine, conſtantia, moderatione; ut ideo quod eo modo ad legem perfecte exactum non ſit, nec pulchrum dici poſſit, nec bonum, ſed mancum, turpe, vitioſum. Ex quo illud etiam intelligitur, quod obvium cuique, quemadmodum ad bonum quid amplius requiratur, quam ad malum, quod cum in his patet, quæ a natura fiunt, vel ab arte, tum vero in moribus longe eſt manifeſtius.

XXVI.

Quum igitur, ut actus aliquis moraliter bonus dicatur, & ſit, ab omni debeat ſui parte legi congruere (partem actus dico, ut antea, quidquid ad ipſum aliqua ratione pertinet); videndum eſt & quid in actu notari queat tanquam ad ipſum ſpectans; & quo modo illud idem debeat ad legem comparari (*a*). Et quidem principio ſtatuitur, quoniam actio quævis circa certam rem eſt, in qua ut in ſui materia verſatur, ad ejus naturam *objectum*, quod dicitur, primario pertinere. Quum enim actio quævis humana non ſit niſi motus quidam voluntatis, qui certe non poteſt, niſi in aliquid ferri; patet profecto illud ipſum, circa quod fertur, actus quaſi materiam, & terminum conſtituere, ut quod proxime objectum eſt voluntatis. Hinc propterea quod primario, & proxime intentum a voluntate, illud idem objectum eſt actus humani, ut circa ipſum occupatur, & eſt.

Dixi *quod primario, & proxime intentum a voluntate*, quia nihil vetat illud idem, quod objectum immediatum eſt actus, ad aliquid aliud voluntate referri; qua de cauſſa etiam 1. part. §. XII. obſervavimus ex actibus humanis (quod idem de objectis eorumdem dicitur, ut a voluntate in agendo intenduntur), alios ad alios ordinem habere tanquam media ad finem. Sed interim hoc non efficit, quominus per ſe, & primario natura actus ex objecti ratione terminetur; quippe quod, etſi ad aliud referatur, ipſum tamen ſit, quod præſentem actum afficit, atque determinat, ut talis ex. gr. in ſe

(a) *Quod primario pertinet ad actus humani naturam, objectum.*

ſe ipſo conſideratus ſit , & non alius . Atque eo plane ſenſu D. Thomas 1. 2. q. 1. ar. 3. *Idem actus numero*, inquit, *ſecundum quod ſemel egreditur ab agente , non ordinatur , niſi ad unum finem proximum* (dixerat autem, quod voluntati proxime eſt finis, objectum eſſe actus ipſius) ; *ſed poteſt tamen ordinari ad plures fines remotos, quorum unus eſt finis alterius, ... Sicut hoc ipſum, quod eſt* occidere hominem, *quod eſt idem ſecundum ſpeciem naturæ, poteſt ordinari ſicut in finem ad conſervationem juſtitiæ, & ad ſatisfaciendum iræ &c.*

XXVII.

Jam vero certum omnino etiam eſt ex objecto, in quod fertur actus per ſe, eundem primario ſortiri, quod ex. gr. ſit talis actus in ſui natura, & non alius, quemadmodum conſtat exemplo propoſito *occiſionis hominis*, quæ nimirum actio ita ſuo objecto determinatur, ut & occiſio tantum ſecundum ſe ſit, & ut occiſio ſit hominis, non verbi gratia feræ (*a*). Hæc porro determinatio actus, quæ ex proprio objecto fit, ut talis ſit in dato genere, & non alius, ea, inquam, eſt, quæ in ſcholis *ſpecies* actus dici conſuevit . Ex quo patet, quemadmodum ad naturam actus pertineat ejuſdem objectum, & quidem primario, ac proxime, ſemel atque ex eodem habet actus propriam, & determinatam in ſuo genere particulari naturam.

Res ex D. Thoma ibid. q. 18. ar. 2. illuſtrari poteſt motus exemplo, ſi quidem actus quilibet humanus, ut diximus, nonniſi motio quædam in aliquid voluntatis eſt . Porro autem quemadmodum motus

(a) *Quomodo actus dicatur ſpeciem primario ſumere ex objecto .*

motus omnis tendens in aliquem terminum ſpeciem ſumit ab eo termino, velut a forma quadam, quæ ipſum determinat, ut ſit is, vel ille motus, prout in hoc, aut illud progreſſio facta eſt, & non alius; ita etiam actus pro objecti, in quod proxime tendit, ratione determinabitur tanquam a forma quadam, ut talis actus ſit, & non alterius generis, ſeu naturæ. Namque & illud eſt receptum, ut quæ in aliquo genere, puta actionis, communia eſſe poſſent, atque indeterminata, illa nonniſi per particularem quamdam, quam habere poſſunt ex aliquo capite, formam a cæteris ſecernantur, qua ratione quoque dictum eſt: *Quod commune eſt, non diſcernit*. Eo modo intelligitur quo pacto actus proprie, & primario diſtinguatur, & in ſua veluti ſpecie conſtituatur ab eo, in quod proxime fertur, cujuſmodi objectum eſt.

XXVIII.

His poſitis, extra omnem controverſiam eſt ex objectis, in quæ fertur voluntas, & quibus terminari, ac figi proxime actus humani natura poteſt, quædam, ut comparantur per ſe ad rectam rationem, bona moraliter eſſe, quædam mala, prout ejuſdem ordini congruunt, vel non congruunt (*a*). (Id, quod etiam dicitur de objectis ex ſe indifferentibus; quippe & iſthæc ipſa indifferentia objectorum non eſt, niſi ex quadam indeterminatione rationis ad illa, quatenus nec ea prohibet, aut præcipit; ſed permittit tantum, ut e re fuerit, cum opportunis adjunctis aſſumere). Enimvero ſi rem,

 uti

(a) *Quemadmodum ex objectis actuum quædam bona, quædam mala, alia ex ſe indifferentia &c.*

uti par eſt, ratione conſideremus, profecto apparebit ex ſe bonum eſſe ex. gr. depoſitum reddere, fidem ſervare, honorem deferre parentibus &c., in quibus elucet ordo ipſe, ſenſuſque naturæ; contra malum eſſe credita ſibi negare, injuria parentes afficere, & quæ iis ſimilia, in quibus nutu ſuo aperte ſe ſe explicat probroſa quædam æqualitatis, & juris alieni violatio. Ex quibus propterea illud exiſtit, quoniam per ſe, & primario, ut demonſtravimus, actus ſpeciem ſuam, ideſt differentiam inter ſe ex reſpondentibus ſibi objectis aſſumunt, eoſdem etiam per ſe, & primario ex ipſis ſpeciem habere moralem, ideſt diſtinctionem in eo ordine boni, vel mali, prout eadem objecta convenire cum recta ratione intelliguntur, vel non. Hinc ea prima ordinis moralis lex: nimirum ut bonus ſit actus in genere morum, oportebit, ut ejuſdem objectum cum recta ratione congruat, aut ſaltem non repugnet; futurum alioquin, ut ex ejus capitis defectu fiat, & habeatur malus.

Talis eſt ſumma doctrinæ, quam de bonitate, vel malitia objecti habet Angelicus 1. 2. q. 18., ſcilicet *in actibus bonum, vel malum* (morale) *non intelligitur, niſi per comparationem ad rationem*. Igitur & quæ ex objectis actuum exiſtet *differentia boni, & mali* non habebitur, niſi per comparationem eorumdem ad rationem ipſam. Atqui objectum per ſe non comparatur ad rationem, niſi *ſecundum quod eſt ei conveniens, vel non conveniens*. Ergo ex convenientia illa, vel non convenientia objecti per ſe ad rationem exiſtet in actu bonum illud, vel malum, quod in objecto concipitur, & eſt. Quum autem actus per ſe, & primario ſpeciem ſuam ab objectis

repe-

repetant, circa quæ verſantur; per ſe quoque, & primario, ut ad rationem ſunt, ex iiſdem ſpeciem, ſeu differentiam boni, vel mali deſument. Ex quibus concludit poſtea ejuſdem quæſtionis art. 8., ſi objectum actus includat aliquid, quod convenit ordini rationis, actum eſſe bonum ſecundum ſuam ſpeciem, *ſicut dare eleemoſynam indigenti*; ſi autem quidquam includat, quod repugnet ordini rationis, actum eſſe malum ſecundum ſpeciem, *ſicut furari, quod eſt tollere aliena*. Ex qua doctrina duo conſequuntur. I. objectum quodvis, ut materiale ſimpliciter, nihil conferre ad ordinem moralem, quia illud ex ſe nihil habet, niſi quod phyſicum, neque adeo ullam poſſe in actibus differentiam inducere, niſi phyſicam prorſus, prout inter ſe objecta diſcernuntur; quod convenit cum iis, quæ initio hujus ſecundæ partis de ordine phyſico diſputata ſunt. II. proinde quum objecta actuum aliquid conferunt ad ordinem moralem, id non efficere, niſi ſub eo reſpectu, in quo verſantur ad rationis ordinem, prout nempe licet ea per rectam rationem attingere, vel non licet, ut permiſſa ſunt, vel prohibita, quod ex morum lege æſtimandum. Utrumque ſimul caput luculentius declaremus. Quod ut fiat, advertendum, etſi omnia, quæ condidit Deus, & in rerum natura conſtituit, ſint bona, immo etiam valde bona, non tamen omnia homini tanquam libera, & licita Deum permiſiſſe. Vel ipſa eſca, inquit Auguſtinus, in qua primum peccatum commiſſum fuit, non quidem ex ſe mala, aut noxia erat (neque enim quidquam mali Deus in illo tantæ felicitatis loco creaſſet, atque plantaſſet), ſed mala, & noxia erat, quia prohibita, ut in eo

præcepto parentum obedientia commendaretur. Hinc quum peccat homo, non deficit *ad mala*, *ſed male*, *ideſt non ad malas naturas*, *ſed ideo male*, *quia contra ordinem naturarum*. *Neque enim auri vitium eſt avaritia*, *ſed hominis perverſe amantis aurum juſtitia derelicta*, *quæ incomparabiliter auro debuit anteponi*; *nec luxuria eſt vitium pulchrorum*, *ſuaviumque corporum*, *ſed animæ perverſe amantis corporeas voluptates &c.* Et unde *perverſe*, niſi quia homo ea attingit, quæ prohibuit Deus, vel eo modo, quem vetuit æterna, aut temporali ſanctione ſua? De civ. Dei lib. 12. cap. 8., & lib. 14. cap. 12. Audiatur etiam ea de re Tertullianus in libro de ſpectaculis. *Non hoc ſolum reſpiciendum eſt*, *a quo omnia ſint inſtituta*, *ſed a quo converſa*. *Ita enim apparebit cui uſui ſint inſtituta*, *ſi appareat cui non* ... *Omnes ſpecies malorum*, *quæ etiam Ethnici ut indubitata & prohibent*, *& defendunt*, *ex operibus Dei conſtant*. *Vis homicidium ferro*, *veneno*, *magicis devinctionibus perfici? Tam ferrum Dei res eſt*, *quam herbæ*, *quam Angeli*. *Numquid tamen in hominis necem auctor iſta providit? Atquin omnem homicidii ſpeciem uno*, *& principali præcepto interimit:* Non occides. *Proinde aurum*, *æs*, *argentum*, *ebur*, *lignum*, *& quæcumque fabricandis idolis materia captatur*, *quis in ſæculo poſuit*, *niſi ſæculi auctor Deus? Numquid tamen ut hæc adverſus ipſum adorentur? Atquin ſumma offenſa penes illum idololatria*. *Quid non Dei eſt*, *quod Deum offendit? Sed quum offendit*, *Dei eſſe deſiit*, *& quum deſiit*, *offendit*. *Ipſe homo omnium flagitiorum auctor non tantum opus Dei*, *verum etiam imago eſt: & tamen & corpore*, *& ſpiritu deſciit a ſuo inſtitutore &c.* Ex quibus omnibus

nibus ſatis arbitror intelligi & quemadmodum quæ phyſica in ſe ſunt, ſeu materialiter, ut ajunt, conſiderantur, nihil per ſe ſola ad ordinem moralem confluant; & aliunde, quemadmodum hic ordo moralis concipi poſſit comparate ad res ipſas, ut ſe habent ad ordinem rationis; eo quod earum quaſdam abſolute prohibuerit Deus homini attingere, aut attingere hoc aut illo modo, quaſdam permiſerit: quæ duo fuerant propoſitis exemplis illuſtranda.

XXIX.

Ad actum etiam pertinent, quod ſecundo loco obſervandum, *circumſtantiæ*, quæ ſunt adjuncta quædam, quibus ipſe actus afficitur (*a*). Quum enim actio quævis in ſingularibus verſetur, non poteſt ſine certis reſpectibus eſſe vel ad agentem, vel ad locum, vel ad tempus, aliaſve res, ad quas refertur, vel quomodocumque ordinem habet; ex quibus iccirco reſpectibus exiſtunt ea, quæ *operi adjuncta* nominamus. Hinc de iis quoque videndum, an, & quemadmodum poſſint & ipſa non ſolum phyſice actum afficere, ac determinare, ſed etiam moraliter, ſicuti ſupra de objecto eſt animadverſum.

Obiter hic adnotamus ſeptem generatim circumſtantias numerari, quæ poſſunt in actus influere (Dixi *quæ poſſunt influere*, quia non ſemper omnes influunt, ſaltem eo modo, ut quid ſingulare ex ſe afferant actui ſive in natura, ſive in moribus, qua de re mox dicetur). Eæ porro ſunt, quæ a Theologis eo verſiculo comprehenſæ (*Quis*, *quid*,

 ubi,

(a) *An ad actus etiam moralis naturam pertineant circumſtantiæ &c.*

ubi, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*) ſi bene expendantur, in idem recidunt cum illis, quas cenſent Jureconſulti ex Claudio Saturnino Digeſt. lib. 48. tit. 19. leg. 16. de pœnis, *cauſſam* ſcilicet, *perſonam*, *locum*, *tempus*, *qualitatem*, *quantitatem*, & *eventum*; quod propoſitis mox exemplis patebit. Nunc, quod in præſens attinet, teneatur, quod de circumſtantiis generatim in actum aliquo modo influentibus docuit S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 3. & 4., earum videlicet accuratam inveſtigationem ad Theologum ſummopere pertinere, tum quia ſine illis non poteſt tuto judicari, num actus convenientem proportionem habeat ad finem, quem reſpicere debet, necne, quum illud, niſi per commenſurationem quandam, quæ fiat per debitas circumſtantias, nequeat intelligi; tum quia quod dicitur bonum, vel malum in actu, melius, & pejus, etiam ex circumſtantiis exiſtit, atque ex earum conditione ſæpe variatur, diverſumque fit; ac tandem etiam propterea quod quum in moribus ſaltem actus non conſideretur, niſi ut voluntarius eſt, aut involuntarius, profecto & ad hanc inveſtigationem circumſtantiæ pertinent, de quibus haberi cognitio, aut ignorantia poteſt in actu ipſo, quod omnino ad rationem voluntarii quoque, aut involuntarii refertur. Quæ autem ex memoratis circumſtantiis principaliores ſint, paucis declarat ibidem Angelicus ar. 5., nimirum ex parte voluntatis agentis circumſtantiam potiorem omnibus eſſe *finem*, quo voluntas ad agendum adducitur, quum ex fine ſit, tanquam ex cauſſa impellente, unde actus humanus exiſtat, & fiat; ex parte autem actus ipſius præcipuam eſſe inter cæteras circumſtantiam *quid*

(non

(non prout *objectum* ſonat, quomodo abs re prorſus circumſtantia diceretur, ſed ut ſignificat aliquam conditionem objecti, puta, quod aqua fuerit calida, vel frigida, qua quis perfuſus eſt), quum ea proxime attingat ipſam actus ſubſtantiam, reliqua vero eandem tantum quodammodo extrinſecus circumdent.

XXX.

Porro autem, ut ad rem accedamus, apertum eſt, quemadmodum, etſi ſubſtantia hominis ex. gr. eadem in omnibus hominibus ſit, quod attinet ad conſtitutionem ipſius naturæ, tamen ea poteſt ex variis adjunctis formæ, coloris, temperaturæ corporis variari, aliiſque id genus; haud aliter in actibus ipſis poſſe contingere, ut licet ex. cauſſa duo in idem objectum conveniant, attamen ſecundum circumſtantias, quibus afficiuntur, quaſi per quædam adjuncta varientur, & differant (*a*). Quum autem iſthæc ipſa variatio vel ſecundum genus intelligi queat, ut quum quæ afficiunt actum, reipſa inter ſe differunt, & natura; vel ſecundum gradus, ut quando eadem etſi conveniant inter ſe, tamen magis, vel minus in actum influere deprehenduntur; ex hoc ipſo planum fit, quemadmodum varietas & ex genere, & ex gradibus in actum induci per circumſtantias queat, ut illæ diverſæ inter ſe revera fuerint, aut tantum in eodem genere invicem diſtantes penes magis, aut minus. Priores appellantur variantes ſpeciem, ideſt genus morale actuum; poſteriores tantum in eadem ſpe-

 cie,

(a) *Quomodo in naturam actus moralem influant circumſtantiæ & penes ſpeciem boni, vel mali, & penes horum gradus.*

cie, ſeu genere augentes, vel minuentes eorumdem moralitatem. Ex quibus propterea fit, ut, ſicuti actus, eo quod objectum, in quo verſatur, habeat diverſam relationem ad ordinem rationis, ut ſupra explicatum, intelligitur ſpeciem quandam, ſeu differentiam boni, vel mali moralis inde ſortiri; ſic ex eadem cauſſa, prout circumſtantiæ operi adjunctæ, atque in illud vere influentes, ut morale eſt, ſingularem habebunt convenientiam, aut repugnantiam cum rationis ordine, inde conſequens fiet, eamdem quoque moralitatem, ſeu bonitatem actus, aut malitiam variari vel penes ſpeciem, ſeu genus, vel penes gradus poſſe, ut tulerit earumdem circumſtantiarum ad rectam rationem vel in genere morum, vel in gradibus ſuis comparata natura.

Hæc quidem pleraque omnia depromta ſunt ex D. Thoma cit. loco q. 18. ar. 3., circa quæ adhuc juverit obſervare circumſtantias quaſdam quandoque tranſire in conditionem principalem objecti, qua nimirum ipſum afficitur, atque determinatur; quandoque autem eidem tantum adjacere, ut quid minus principale. Scilicet eo fit, ut quando circumſtantia principalem conſtituit conditionem objecti, tum ea quoque ut illud afficiens ſit etiam primario, & principaliter volita, quando objectum intenditur a voluntate, ut quum quis alterum abluere volens, non aquam utcumque vult, ſed ferventem, atque ea ratione bonitas, vel malitia, atque ejuſdem ſpecies, vel gradus erit etiam primario, & præcipue in actu intentus; contra ſe habet res, quando circumſtantia tantum concomitanter objectum reſpicit, vel quaſi quoddam accidens; tunc enim ut principaliter non intenta, non poterit

terit eſſe id, quod primariò, & per ſe moralitatem, aut ejus gradum, & ſpeciem conſtituat, ſed tantum quod ſecundario, & ex conſequenti, ut quæ indirecte tantum volita eſt. Id quod deſcendit ex eo principio, quod jam conſtituimus prima hujus operis parte, atque alibi etiam confirmabitur, nihil poſſe in actum ut moralem confluere nec penes ſpeciem, nec penes gradum, niſi prout in eumdem confluit ut humanum, atque adeo niſi prout illud idem apprehenſum eſt a voluntate, aut apprehendi potuit, & debuit vel in ſe, vel in cauſſa; qua de re videantur, quæ I. parte §. V. VI. VII. & XVII. dicta ſunt &c.

XXXI.

Porro autem illud etiam manifeſtum eſt, aliquando circumſtantias, ut ad rationis ordinem referuntur, quidquam habere, quod eidem conſentaneum ſit, vel repugnans, quod item quandoque diverſum eſt in genere moralitatis ab eo, quod objecto competit ratione ſui ad eum ordinem comparato, rurſus & quod aliquando magis, vel minus convenire, aut repugnare intelligitur, prout inter ſe adjuncta ipſa in eo ordine conferuntur pro majore, vel minore, quam habent ad rectam rationem analogia, vel repugnantia (*a*). Patet id ex communi hominum ſenſu, qui, ut de boni, vel mali moralis ſpecie judicent, non id ſolum conſulunt, quod factum, ſed etiam ipſi operi adnexa perpendunt, in quibus quidquam factum eſt; atque id quidem & in privatis judiciis, & in publicis locum habet, &

(a) *Circumſtantiæ aliquando quid habent rationi congruens, aut repugnans magis, vel minus, quo influunt in actum &c.*

& in oeconomicis rebus, & in politicis, & generatim in omnium gentium inſtitutis, & legibus. Ergo ex omnium conſenſione cujuſque generis factis comprobata conſtantiſſimum eſt, circumſtantias revera quidquam ad opus conferre poſſe boni, vel mali aut penes rationem ipſam boni, vel mali, aut penes ejuſdem gradus, aut ſpecies, prout ſub rationis ordine inſpectæ quidquam moralitatis habent, qua in opus ipſum influant. Hinc exiſtit hæc altera ordinis moralis lex priori finitima: ut quilibet humanus actus ſit rectus, ſeu bonus moraliter, non ſolum talis penes ſui objectum debet eſſe, ſed etiam ratione adjunctorum, ut ad rectam rationem ſunt, alioquin erit malus, & quidem ea malitiæ ratione, genere, & gradu, quo intelligitur penes ſui adjuncta a rationis ordine deficere; quod idem ſubauditur de bonitatis cauſſa, ſpecie, aut gradu, uti ſupra traditum eſt, modo concurrant ex ordine cætera ad bonitatem moralem requiſita.

Laudavimus hac de re generis humani conſenſum tam in bonarum, quam in malarum actionum judicio. Res quibuſdam exemplis commonſtranda eſt. Æſtimatio pœnæ profecto cæteris paribus, pendet a ratione culpæ, quæ patrata eſt, ut ſi exempli gratia peccatum fuerit propoſito, aut impetu, in re gravioris momenti, aut levis, quæ diſtinctio culpæ ab omnibus probata eſt. Jam vero quis credat hæc, quæ tamen ad circumſtantias ſolum pertinent facti, ita ex æquo legibus æſtimari, ut pro eodem delicto quocumque modo patrato æqualis irrogetur pœna? Id certe nunquam tulit ſacra majeſtas legum, ut Stoicorum inſtar, aliis

qui-

quibuſcumque inſuper habitis, de nudo tantum opere judicarent. Quare Claudius Saturninus loco ſuperius memorato poſt numeratas circumſtantias, quibus criminoſa aut facta, aut dicta, aut ſcripta, aut conſilia affici queunt, eaque inter ſe diſcerni, vel in eodem improbitatis genere augeri, aut minui; ſic diverſas pro iis pœnas luendas dixit, ut probe intelligatur eumdem ex diverſis operi adjunctis & de varia delictorum ſpecie judicaſſe, & de eorum gradibus plane diſtinctis. Scilicet delictorum genera, inquit, *conſideranda ſunt ſeptem modis*. Cauſſa, *ut in verberibus, quæ impunita ſunt a magiſtro allata, vel parente, quoniam emendationis, non injuriæ gratia videntur adhiberi; puniuntur, quum quis per iram ab extraneo pulſatus eſt* (Atque hæc porro circumſtantia *cauſſæ* cum ea confunditur, quam Theologi *finem* appellant, cujus gratia quidquam factum eſt). Perſona, ſubdit, *dupliciter ſpectatur: ejus, qui fecit, & ejus, qui paſſus eſt. Aliter enim puniuntur ex iiſdem facinoribus ſervi, quam liberi: & aliter, qui quid in dominum, parentemve auſus eſt, quam qui in extraneum, in magiſtrum, vel in privatum. In ejus rei conſideratione ætatis quoque ratio habeatur*. Locus *facit, ut idem vel furtum, vel ſacrilegium ſit, & capite luendum, vel minore ſupplicio*. Tempus *diſcernit emanſorem a fugitivo: & effractorem, vel furem diurnum a nocturno*. Qualitate *quum factum vel atrocius, vel levius eſt: ut furta manifeſta a nec manifeſtis diſcerni ſolent, rixæ a graſſaturis, expilationes a furtis, petulantia a violentia* .... Quantitas *diſcernit furem ab abigeo: nam qui unum ſuem ſubripuerit, ut fur coërcebitur: qui gregem, ut abigeus*. Eventus *ſpectetur, ut a clementiſ-*

ſimo quoquo facta , . . . & ideo apud Græcos exilio voluntario fortuiti caſus luebantur . . . Evenit etiam, *ut eadem ſcelera in quibuſdam provinciis gravius plectantur , ut in Africa meſſium incenſores , in Myſia vitium : ubi metalla ſunt , adulteratores monetæ . Nonnunquam* quoque *evenit , ut aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur , quotiens nimium multis perſonis graſſantibus exemplo opus ſit .* En itaque, quemadmodum ex ipſa civilis juris auctoritate circumſtantiæ poſſint in opus influere, in eoque propterea aliquando ſpeciem mutare, ſeu novam inducere, ut in ſacrilegio, vel furto &c.; item augere, vel minuere ejuſdem gravitatem, quod ex recenſitis exemplis planum eſt, atque ita cauſſam præbere Reipublicæ diverſæ, aut majoris, vel minoris infligendæ pœnæ. Hoc autem quum in civili ſocietate recta ratio ſuadeat, ut ex adjunctis delicta penſentur, cur & eadem non vincet, ut eodem modo illa æſtimari debeant, prout non tantum adverſus externas leges, quam contra ipſam quidquam peccatum eſt? Neque enim minus auctoritatis recta ratio habet, quam in externo foro civilia jura, quæ etiam quantam obtinent, totam in origine a recta ratione ſortiuntur, cui & leges omnes, ut juſtæ ſint, congruant neceſſe eſt. Atque hæc quidem in malis operibus propoſita exempla. Afferamus nunc quoddam, quod in bonis valeat, &, ut ajunt, in conſcientiæ foro, & coram Deo. S. Auguſtinus lib. 15. de civ. Dei cap. 7. illud explanans, quod Deus habuit ad Cain Gen. cap. 4. ver. 7. ſecundum LXX. Interpretum verſionem: *Nonne ſi recte offeras , recte autem non dividas , peccaſti ?* , ſic eleganter ſcribit: *Recte quippe offertur ſacrificium , quum offertur Deo vero , cui uni*

tantummodo ſacrificandum eſt. Non autem recte dividitur, dum non diſcernuntur recte vel loca, vel tempora, vel res ipſæ, quæ offeruntur, vel qui offert, & cui offertur, vel hi, quibus ad veſcendum diſtribuitur, quod oblatum eſt: ut diviſionem hic diſcretionem intelligamus; ſive quum offertur, ubi non oportet, aut quod non ibi, ſed alibi oportet; ſive quum offertur, quando non oportet, aut quod non tunc, ſed alias oportet; ſive quum id offertur, quod nuſquam, & nunquam penitus debuit; ſive quum electiora ſibi ejuſdem generis rerum tenet homo, quam ſunt ea, quæ offert Deo: ſive quum ejus rei, quæ oblata eſt, ſit particeps profanus, aut quilibet, quem fas non eſt fieri. Ex quibus poſtea concludit S. Doctor *propterea Deum non reſpexiſſe in munus Cain, quia hoc ipſo male dividebat, dans Deo aliquid ſuum, ſibi autem ſe ipſum &c.* Ex quo uno exemplo per alia omnia commode transferendo patet revera circumſtantias etiam coram Deo in actum influere, ita ut non ſufficiat ad actum virtutis, quod quidquam ex ſe bonum fuerit factum, ſeu ratione objecti, ſed inſuper omnino requiratur, ut fiat bene, ideſt cum *diſcretione recta*, ut ait Auguſtinus, adjunctorum; futurum cætera, ut malum ſit, quod non ita recte offeratur, aut fiat, utpote a rationis ordine, ſeu lege diſcordans.

XXXII.

Quum igitur ea ſit actuum humanorum indoles, & natura, ut & ex objectis, in quæ feruntur, per ſe, & primario ſpeciem habeant, & ex circumſtantiis, prout earum complexu quodammodo perficiuntur, quæ itidem aliquando novam actui ſpeciem tribuunt, aliquando tantum cumulant, &

abſol-

abſolvunt, quam habent in proprio ordine (*a*); conſequens fit, quæ hactenus dictorum ſumma eſt, moralem actuum rectitudinem, ſeu bonitatem (quod idem de malitiæ pravitate intelligitur) ex objecti, & circumſtantiarum natura compleri, prout in actionem revera influunt, & quid habent rationis ordini congruens (aut repugnans), ſeu in ſpecie, ſeu in gradibus, quod hucuſque probatum eſt. Etſi enim non eodem modo, ſeu directo, & primario, quandoque ad actus moralis rationem circumſtantiæ pertineant, quemadmodum objectum; attamen eo ipſo, quod certus actus nequit ſine quibuſdam circumſtantiis exerceri, etiam illæ ipſæ intelliguntur voluntariæ in objecto, quod volumus, vel in actu, quem exercemus, ubi de his aliquo modo cognitio aliqua præceſſerit, aut haberi potuerit, quod alibi declarabitur luculentius.

Scilicet actus ſine circumſtantiis nequit exerceri, Ergo tametſi aliquando non velimus circumſtantias directo, quemadmodum objectum volumus, tamen volentes objectum, indirecte & ea volumus, quæ eidem adjacent, ut intelligi in his voluntarium poteſt ſaltem in cauſſa. Ea eſt enim connexorum vis, ut alterum ſine altero velle quis nequeat, qua ratione alterum ſine altero eſſe non poteſt. Sic, inquit Auguſtinus de Civ. Dei lib. 16. cap. 2. *ſolo vomere terra proſcinditur, ſed, ut hoc fieri poſſit, etiam cætera aratri membra ſunt neceſſaria: & ſoli nervi in citharis, atque hujuſmodi vaſis muſicis aptantur ad cantum; ſed ut aptari poſſint, inſunt & cætera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur a canentibus, ſed ea, quæ percuſſa reſonant, his connectuntur.*

(a) *Dictorum concluſio*.

tur. Addimus tantum ad pleniorem dictorum cognitionem, quæ habet S. Thomas 2. 2. q. 33. ar. 2. Nimirum obſervat ille I. quoniam *actus peccatorum* ſunt ſecundum ſe mali, & nullo modo bene fieri poſſunt, ideo de his nunquam inquiri, utrum in datis circumſtantiis fieri queant, quod repugnat, ſed tantum utrum circumſtantiæ quidquam in eoſdem influxerint, ideſt majoris, aut diverſi mali. Quare de iis dicuntur dari *præcepta negativa*, quæ videlicet obligant omni tempore, ut ideo nunquam fieri liceat, quod ita per legem, ſeu rationis ordinem cautum eſt; quales quidam affectus ſunt ex Ariſtotele ad Nicom. lib. 2. cap. 6. puta malevolentiæ, impudentiæ, invidiæ, & item actiones, ut adulterium, furtum, homicidium, quæ ſtatim vel ipſo nomine ita cum pravitate implicantur, ut nullo modo poſſit quiſpiam in ipſis recte agere, ſed peccare ſemper neceſſe ſit, quia eorum natura ex circumſtantiis, ex. gr. ab exceſſu, vel defectu non pendet, ſed ipſa per ſe ex naturali, & abſoluta, quam habent cum rectæ rationis ordine, oppoſitione mala ſunt. II. animadvertendum ex eodem D. Thoma, quum *actus virtutum* non quolibet modo exerceri debeant, ſed obſervatis debitis circumſtantiis, quæ ad actum, ut bonus ſit, requiruntur, ſcilicet ut fiat, ubi debet, & quando debet, & ſecundum quod debet &c.; propterea ad ejuſmodi actuum rationem ita circumſtantias pertinere, ut de iis actibus ea cauſſa non dentur niſi *præcepta affirmativa*, quæ etſi quoad præparationem animi, voluntatem ſcilicet generatim bene agendi ſemper obligent, non tamen ſemper obligant actu, ut quid fiat, niſi quum debitæ circumſtantiæ confluxe-

ſluxerint, ex quibus actus effloreſcat virtutis, quæ una eſt ſubjecta cuilibet vero præcepto materies. III. proinde, ſi interveniat alicujus circumſtantiæ defectus circa actum ejuſmodi, quæ omnino tollat bonum virtutis, talem actum adverſari præcepto, neque uſquam licere, ſicut primo loco dictum eſt; contra, ſi eo defectu non tollatur omnino virtus; quippe etſi tunc actus perfecte non attingeret ad bonum virtutis, attamen contra præceptum non eſſet; unde & Philoſophus dicit in 2. Ethicorum: *ſi parum diſcedatur a medio, non eſt contra virtutem, ſed ſi multum diſcedatur, corrumpitur virtus in actu ſuo*; ad quod actuum genus arbitror quoſdam imperfectos pertinere, puta ex agentis infirmitate, aut alterius rei cauſſa, qui tamen adhuc cadere ſub præcepto poſſunt, ut nempe fiat, quod pro dato caſu, aut tempore, aut bono poſſibile eſt, licet ad cumulatam, abſolutamque virtutis rationem non pertingat. Hæc porro, ut monui, omnia de circumſtantiis debent intelligi, quæ vere in ordine morali quidquam influant in actum; namque ſi materialiter, ut inquiunt, tantum ſe habeant, tum ex iis ut nulla ſingularis moralitas exiſtet, ſic nec eædem poterunt quidquam ex ſe in actu producere ad talem ordinem pertinens; qua ratione ajebat Tertullianus in libro de Idololatria nihil intereſſe, ſi Idolum, quod adoraveris, *Plaſtes effinxerit, an Cælator exculpſerit, an Phrygio detexerit*; ſicut *nec de materia refert, an gypſo, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formatum fuerit &c.*; quod etiam in bono dicendum eſt, ubi quædam circumſtantiæ impertinentes prorſus, vel inutiles nihil ad propoſitum conferunt. Quo pacto autem

tem, quæ ad rem faciunt, circumſtantiæ, ut in actum moralem influere cenſeantur, requiratur ex parte agentis voluntas, id nimirum generatim explicabitur, ubi ad imputationem ventum erit.

XXXIII.

Sed inter omnes, quæ emineat, circumſtantias præcipue finis eſt agentis, quod jam innuimus §. XXIX. (a). Eſt enim finis ratio, ſeu cauſſa, cur actio ſuſcipiatur, quique proinde in actum influit tanquam a ſui conditione, & vi derivatum. Namque etſi aliquando contingat opus ab agentis intentione, & fine prorſus diſtingui; immo & eidem contrarium eſſe, ſicuti quum aliquid præter, aut contra opinionem inter agendum incidit; attamen, ſi conſideretur actus, ut vere humanus eſt; ſeu voluntarius, quemadmodum hoc loco accipitur, nunquam fieri poteſt, ut ab eo penitus finis influxus excludatur, quum ea ſit cujuſque deliberate agentis natura, ut nequeat ad volendum, aut agendum quidquam adduci, niſi aliqua idea boni præluxerit animo, quæ tunc ſe habet tanquam actionis ratio, & finis. Videantur, quæ dicta ſunt I. par. §. XI. Hinc propterea quum ea ſit finis ipſius agentis natura, ut præcipuam, ac ſingularem conſtituat operis circumſtantiam, de ea nunc ſeorſim, atque ex inſtituto agendum eſt.

Notandum hic obiter, quod diximus, finem eſſe cauſſam, cur opus ſuſcipiatur, & quidem ſemper, quoties deliberata actio fiat. Namque quum nihil velle poſſit voluntas, niſi ſub ratione boni, hæc ipſa apprehenſio boni, quoties illam ad aliquid de-

 terminat,

(a) *Præcipua inter actionis circumſtantias agentis finis.*

terminat, eo ipſo rationem finis obtinet, & dicitur ratio, & cauſſa actionis ejuſdem. Atque hoc quidem de actibus tantum voluntariis eſt intelligendum. Namque ſi de indeliberatis agatur, fruſtra in iis, qui pure organici ſunt, & ſine ulla poſſunt advertentia exerceri, finis ratio quæreretur. Quare & in hac cauſſa de voluntariis tantum actibus loquimur, immo nec de iis quidem, niſi ut poſſint ad moralitatis gradum aſcendere, adeoque ſunt liberi.

XXXIV.

Et quidem principio nulla eſt dubitatio, quin finis rectus eſſe debeat, qui in actum influit, ut hic bonus habeatur, & ſit; quod ſupra de aliis circumſtantiis operis dictum eſt (*a*). Nihil communi hominum ſenſui congruentius. Ii paſſim, immo conſtantiſſime de actionibus judicant ex fine, quem aut norunt agentis fuiſſe, aut putant, ut operum ipſorum figatur natura; quod quidem & in privatis judiciis, & in publicis locum habet, & in æſtimatione injuriarum, & in boni operis laude. Immo, quod accurate animadvertendum, adeo firmum, fixumque hominibus eſt finem agentis in actionem influere, quoties ejus cauſſa hæc ſuſcepta fuerit, ut paſſim, quum dehoneſtare aliquid velint ab altero factum, quod adhuc fortaſſe bonum eſſet, aut tolerabile, nihil expeditius habeant (qui improborum mos eſt), quam ut pravos fines in agente ipſo comminiſcantur, ſicut ex adverſo quum ſe ſe, aut alios purgare volunt a crimine, ſolent, ubi aliud præſto non ſit, bonam ſaltem, ut inquiunt, intentionem obtrudere. Adeo verum eſt ex communi

(a) *Ut finis agentis ex communi ſenſu influat in operis naturam.*

muni ſententia finem agentis in actionem influere, ut ei boni, vel mali rationem tribuere queat, quæ ipſi hæret, atque ita opus corrumpere, vel perficere etiam ſingulari ratione, ut tulerit ipſius finis ad operis conditionem, & ſtatum comparata natura. Hinc propterea hæc peculiariter de fine ut influente in actum habebitur regula in ordine morali, nimirum ut opus, quod fit, aut factum eſt, cenſeatur bonum, & ſit, illud etiam ex parte agentis requiri, ut ex recto, ſeu bono ipſius fine proficiſcatur.

Deſcendit id ex iis, quæ antea diximus, actum nempe, ut moraliter bonus ſit, debere ex integro penes omnes ſui partes, & adjuncta conformari rectæ rationi. Atqui recta ratio id exigit, ut bonum, quod fit, nonniſi ex bono fine fiat, ſeu *propter bonum*, ut loquitur D. Thomas 1. 2. q. 19. ar. 7.; alioquin quis non æſtimet malum, quantum ex agentis eſt animo, quod licet ex ſe bonum, tamen eſt factum ſub ratione mali, ut puta nocendi voluntate? Sic & ille malus habitus eſt, ipſiuſque opus malum, qui, ut legitur apud Valer. Maximum lib. 1. cap. 8., alterum occidere quum vellet, felici caſu tantum vomicæ deformitatem ſuſtulit. Hinc in jure paſſim receptum, ut eadem ſeveritate voluntas ſceleris, qua effectus, puniatur, cod. lib. 9. tit. 8. l. 5., quum in maleficiis voluntas præcipue ſpectanda ſit, non exitus, Dig. lib. 48. tit. 8. l. 14., & tit. 19. l. 16. Quid hoc, niſi quia ſucceſſus ipſe rei aliquando penes hominis voluntatem non eſt, aut etiam extra poteſtatem, contra animus, ſeu finis ſemper penes ipſum eſt? Atque hæc porro opus ex animo agentis, ubi innoteſcat, æſtimandi ratio adeo naturalis eſt, ut vel ipſos infan-

tes agnoverit Roſſeau non aliter de iis, quæ ad ipſos aliquo modo referuntur, judicare. *Vidi ego*, inquit ille, *Emile liv.* 1. *pag.* 102., *infantem a nutrice leviter percuſſum gravius id tuliſſe*, *utpote cum manifeſto offendendi animo factum*, *quam ſi quid nocentius incidiſſet*, *ſed caſu*. *Si dubitaſſem*, ſubdit, *num ſenſus juſti*, *injuſtique inſertus eſſet hominum cordi*, *eo ſolum exemplo ambiguitas omnis ex animo fuiſſet erepta;* quod quidem profecto exemplum & illud æque demonſtrat juſtum, & injuſtum præcipue ex fine agentis penſari. Quin etiam addit ibid. *liv.* 4. *pag.* 162. experimento compertum eſt, quocumque modo ſe erga alios habeant infantes, *illud in amoris*, *aut odii ſenſum non converti*, *niſi ex manifeſtata eorundem adverſus ipſos nocendi*, *aut juvandi intentione*, *quam animo gerunt*. Nihil afferri poterat aptius, quo ex ipſa naturæ humanæ indole ante omnem prorſus inſtitutionem demonſtraretur revera agentis finem, ſeu animum, ut in actus naturam, ſic & in ejuſdem juſtitiam, aut injuſtitiam influere; quod tamen quibuſdam olim res tantum, ita dixerim, palmo metientibus non fuerat viſum. Addo, quod dictum eſt de malo, idipſum de bono opere intelligi, ut videlicet ejuſdem bonitas præcipue pendeat etiam ab agentis fine, ideſt ex honeſte agendi voluntate. Hinc non conſueverunt homines pro benefacto, quod imprudenter excidit, multam gratiam reddere, immo & juſtitia ipſa, quæ erga alios obtinet in foro humano, non ſuevit, niſi ex *voluntate ipſa* definiri, quæ veterum Jureconſultorum ſapientia fuit, Dig. lib. 1. tit. 1. leg. 10. Vid. ea de re Puſendorfius lib. 1. de jure nat. & gent. cap. 7. & 8.

XXXV.

Jam vero ſi finis agentis influit in actionem ex ipſo hominum ſenſu, ac judicio naturæ, eamque valet pervertere, aut perficere, ut licet ipſis de actuum, & finis juſtitia, vel injuſtitia cognoſcere; procul dubio id multo magis admittendum eſt coram Deo, qui cum omnia cernat, tum vero præcipue ex animo poteſt hominem æſtimare, & quidquid agere ille voluerit (*a*). Hinc etſi homines, qui ſæpe ſub vulpe latent, poſſint alios decipere externa officii ſpecie, id tamen nunquam efficere adverſus Deum poterunt, qui ipſi adeſt animo, atque intus eſt. Quum igitur ea ſit humanæ indoles naturæ, ut etiam ex juſtitia finis judicet de actuum bonitate, ut ſupra oſtenſum eſt, vel malitia; aliunde vero iſthæc ipſa indoles a Deo ſit, qui naturam cum tali inſtinctu condidit, atque effinxit; conſentaneum his principiis eſt dicere, ſiquidem ita ex communi ſenſu ad actionis bonitatem generatim rectitudo finis pertinet, hanc ipſam quoque requiri ad actuum honeſtatem coram Deo, ſeu in illo ordine legis, quem per rectam rationem hominibus dedit; neque enim alio modo demonſtrari melius poteſt hæc naturalis lex, niſi ex ipſo ſenſu naturæ.

Hæc cum illis cohærent, quæ ſuperius dicta ſunt de infallibili ipſo ſenſu animæ humanæ prima parte §. LV., & hac ſecunda §. V. Non enim ulla afferri poteſt ratio, cur homines de actionibus, ut ad ipſos, vel ad alios ſunt, ex finis natura, & conditione, ut poſſunt, dijudicent, & non item idipſum putare debeant adverſus Deum, nempe ab

 illo

(a) *Ut influat etiam finis agentis in bonitatem, vel malitiam actus coram Deo.*

illo etiam bonas, & malas actiones ex fine judicari; niſi forte exiſtimetur illum exterioribus tantum officiis delectari, quod ne probis quidem hominibus placeret, qui ut ſimplices, & aperti quum nihil ex occulto, nihil ex inſidiis ipſi agendum putent, tum vero in aliis etiam fictam, ſi noſſent, adverſum ſe ſimulationem animi, & cultus execrarentur. Hinc antiqua illa, ſed maxime naturæ conſona Philemonis ſententia, qua, ut eſt apud Stobæum ſerm. 9., juſtus deſcribebatur; *Non quiſquis juſta quolibet præſtat modo, ſed qui doloſi neſcius fuci integra probitate juſtus eſſe, non credi ſtudet*. Id, quod etiam in cauſſa fuit Auguſtino, ut ſcriberet lib. 2 de moribus Manichæorum, in omnibus, quæ fiunt, quærendum eſſe finem, quo fiunt. Finis enim, quo referuntur ea, quæ facimus, ideſt propter quem facimus, quidquid facimus, ſi non ſolum inculpabilis, ſed etiam laudabilis fuerit, tunc etiam facta noſtra laude aliqua digna ſunt: ſin ille jure, meritoque culpatur, quem ſpectamus, & intuemur, quum in aliquo verſamur officio; id quoque officium nemo improbandum, vituperandumque dubitaverit. De Catilina, ſubdit, memoriæ proditum eſt, quod frigus, ſitim, famem ferre poterat. Hæc erant illi ſpurco, ſacrilegoque etiam cum Apoſtolis noſtris communia. Unde ergo diſcernitur parricida iſte ab Apoſtolis noſtris, niſi fine illo, quem diverſiſſimum ſequebatur? Namque ille iſta tolerabat, ut immoderatiſſimas, & immaniſſimas expleret cupiditates: illi contra ut eas premerent, & dominanti rationi ſervire cogerent &c. Quum igitur, ipſa quodammodo præeunte natura, virtutes non tantum officio, ſeu operis ipſius ſubſtantia ſe-

cerni

cerni debeant a vitiis, ſed maxime finibus, quibus facti ratio continetur, & cauſſa; quidni hoc ipſum obtineat certo, & infallibiliter apud Deum, cui ut ſummæ veritati nihil probari poteſt non ſincerum, fucatum, & falſum, quique ut auctor naturæ eam legem impreſſit hominibus, qua de bono, & malo morali ex finis, ut poſſent, comparatione, & natura præcipue judicarent?

XXXVI.

Quæſtio itaque hic exiſtit, undenam ſit repetenda rectitudo finis, ſeu bonitas voluntatis, quæ in agente ad moralem actus conditionem, integritatemque requiritur, & quidem coram Deo; nam de actionis honeſtate, ut apud ipſum eſt, diſquiritur (*a*). Qua de re obſervandum, antequam ad propoſitum accedamus, hic de rectitudine voluntatis, & conſequenter actionis inquiri, prout tantum in ordine morali, ſeu naturalis legis inſpicitur, non autem ut pertingit ad ordinem ſupra naturam, qui ſola revelatione tenetur, & ad quem non potuiſſet ullo modo ratio, aut natura ſe ſola contendere, ne quidem penes cognitionem ejuſdem, utcumque perfectiſſima conciperetur.

Atque hoc quidem de capite nonnulla animadvertenda ſunt, quæ pertinent ad explicationem hujus ordinis tum naturalis, tum præter naturam, ut probe res, de qua agitur, percipi queat. Dico itaque ea ſupernaturalis ordinis eſſe, ad quæ non potuiſſet ullo modo nativo ſuo lumine homo pertingere, multoque minus in ea ſe ſe movere appe-

(a) *Undenam repetenda rectitudo finis, ſeu voluntatis agentis, ut requiritur ad bonitatem moralem actionis.*

titione, aut niſu interiore, & ſuo. Talia ſunt, quæ ſola conſtant fide, puta, quod Deus voluerit ſe ipſum humanæ naturæ communicare per quandam gratiæ ſpeciem, qua homo fieret, ut loquitur S. Petrus ep. 2. cap. 1., *Divinæ conſors naturæ*; quod Deo placuerit ipſum in ſe, ac penes eſſentiam ſuam objectum eſſe beatitudinis noſtræ, quo videlicet frueremur ipſi, in quod intueremur videntes ejus naturam, *ſicuti eſt*, 1. Joan. 3.; quod ille quandam ſocietatem ſpiritualem ipſum inter, & homines conſtituerit etiam in hac vita, vi cujus qui *in charitate maneret, in Deo maneret, & Deus in eo*; 1. Joan. 4. Hæc profecto, & alia id genus, quæ maxime pertinent ad virtutes Theologicas, quum dicant communicationem *alicujus boni proprii naturæ Divinæ*, certiſſime, niſi revelata, perpetuo latuiſſent hominem, nulla unquam ipſius cognitione, aut voto attingenda. Atque hæc porro, quoniam ex ordine rationis non ſunt, ab hac omnino diſputatione removentur; neque enim hæc poſſunt ullo modo ad rectitudinem voluntatis cujuſque agentis ſecundum naturæ ordinem pertinere, quæ nimirum naturam ſuperant, ipſiuſque vim omnem excedunt. Reliquum eſt igitur, ut ad ea tantum contrahatur ſermo, quæ naturalis ordinis ſunt, ad quæ ipſa hominis ratio pertingere poſſet, ut nimirum intelligatur, quæ, & qualis eſſe debeat agentis voluntas in appetitionibus, & actibus ſuis, quo recta, & juſta dicatur in ordine naturæ. Videatur hac de re clariſſimus Doctor Sorbonicus Carolus Du Pleſſis d'Argentré: *Notions Theologiques de la ſurnaturalité, ou de la difference propre, qui diſtingue les choſes naturelles des ſurnaturelles.*

XXXVII.

XXXVII

His præmunitis, iſtud principii loco pono, ad rectitudinem voluntatis in ordine naturali conſtituendam haud ſatis eſſe, ut aliquid boni faciat utcumque, & abſque omni conſideratione, ſed omnino requiri. ut quod bonum facit, ſciens, ac prudens operetur (*a*). Quippe ſi caſu quid faciat boni, non laudatur voluntas, quæ ex æquo mali aliquid efficere potuiſſet, ut per ipſam ſtetit; immo culpanda potius, quæ ita agendo incurioſa, & indiligens adverſus legem fuit. Rurſus quæ boni quid egit, ſed cum opinione mali, profecto voluntas bona non eſt, cujus propoſitum ea in hypotheſi fuit non bonum, ſed malum agere, & quidem malum ejus ſpeciei, quod etiam per errorem mente perceptum eſt. Itaque hæc prima, & generalis, quod ſpectat ad finem agentis, ordinis moralis lex erit, ut non ſolum voluntas in id feratur, quod bonum, ſed etiam illud ipſum intendat ſub ratione boni, quatenus ſcilicet ut tale cognitum, atque apprehenſum eſt.

Et vero quum objectum, vel res ut apprehenſa conſtituat finem voluntatis, certum eſt, prout ea bona, vel mala concipitur, ſpeciem boni, vel mali tribuere voluntati; hinc ut bona voluntas cujuſque agentis habeatur, hoc primo requiretur, ut non ſit, niſi boni. Collegit hæc S. Auguſtinus ex ipſa natura voluntatis. Quum enim ea, ut ipſe ratiocinatur lib. 14. de civ. Dei cap. 7., pro varietate rerum, quæ appetuntur, atque fugiuntur, in hos,

(a) *Ad ejus finis rectitudinem primo exigitur, ut bonum, in quod fertur, voluntas intendat, & velit ſub ratione boni.*

hos, vel illos mutetur affectus, conſequens eſt, ut quis dicatur voluntatis bonæ, oportere, ut idem ipſe habeat affectus bonos, quorum proinde rectitudo, & bonitas ex rebus eiſdem ſubjectis definienda eſt. Ex quo concludit illi, qui ſecundum Deum, ideſt ejus legis veritatem, non ſecundum hominem, hoc eſt ſui arbitrium vivit, opus eſſe, *ut ſit amator boni, unde ſit conſequens, ut malum oderit*; quod certe affectum boni in voluntate agentis præconcipit, quemadmodum & in eadem odium, ſeu averſationem mali. Haud aliter D. Thomas, qui 1. 2 q. 19. ar. 1. ita ad rem diſputat: Bonum, & malum ſunt per ſe differentiæ actus voluntatis, & quidem ſecundum ſpeciem; nam profecto bonum, & malum inter ſe ſpecie differunt. Atqui differentia ſpeciei in actibus per ſe, & primario ab objectis aſſumitur, ut per rationem repræſentantur voluntati, ſicut & nos antea demonſtravimus. Ergo bonum, & malum in actibus voluntatis proprie attenditur ſecundum objecta &c.; unde qualia ſunt objecta, quæ voluntati repræſentantur per rationem, talis & ipſa voluntas erit, ut ſe habet ad illa, ideſt bona, vel mala in ordine morum, prout appetit, quod appetendum eſt, & deſugit, quod eſt fugiendum, aut contra &c. Ex quo efficitur, ut voluntas dicatur bona, omnino requiri, ut non ſolum bonum faciat, aut velit, ſed & illud ipſum apprehendat, & velit, ut tale, ſeu ſub ratione boni. Eo pertinet, quod idem S. Thomas 2. 2. q. 53. ar. 1. ex Philoſopho ajebat, ut aliquis actus circa quamcumque materiam ſit virtuoſus, inter alia exigi, ut ſit voluntarius, ideſt ut qui agit, *operetur ſciens, eligens, & propter debitum finem*,

qui

qui videlicet conveniat cum ordine rationis, ut idem explicat 2. 2. q. 19 a. 9.

XXXVIII.

Jacto huic principio & alterum addo non minus rationi conſentaneum, nimirum ſi ad bonitatem actionis requiritur, ut voluntas intendat, atque velit in opere ipſo bonum rationis, quod percipit, neceſſarium fuiſſe ex ipſomet Creatoris ordine, ut quod bonum rationis, ſeu legis eſſet, illud ipſum tale videri poſſet voluntati, ideſt enim ſibi conveniens, ſeu bonum (*a*). Quippe voluntas, quæquæ fingatur hypotheſis, non poteſt in aliquid moveri, niſi ut illud apprehendit ſub ratione boni ſui, ideſt naturæ convenientis; dico *naturæ*, quia voluntas ipſa propriæ, in qua ſubſiſtit, naturæ eſt ſua indole conciliata, ut propterea quiſque ſciens, ac volens appetat bonitatem, ac perfectionem ſuam. Itaque ſi conſequenter ad aliquod principium, cauſſamque appetendi a Creatore ipſo in natura conſtitutam moveretur, aut moveri poſſet voluntas ad probandum, ſequendumque ipſum rationis, ſeu legis naturalis bonum, certiſſime tenendum eſſet eam ex bona, honeſtaque cauſſa moveri, adeoque bene agere, quod ita ageret boni, quippequæ tunc moveretur ex principio, quod naturæ indidiſſet ipſemet Deus tanquam cauſſa vel generalis, vel particularis motionum, & appetitionum ejuſdem.

Neque dicendum tunc futurum, ut periret voluntatis libertas, aut electio in ſingularibus appetitio-

(a) *Ut voluntas moveretur in bonum rationis, oportuit, ut ex aliqua Creatoris lege illud videri poſſet bonum ipſi voluntati, ideſt hominis naturæ conveniens.*

titionibus ſuis, ſi ex naturali aliquo naturæ ejuſmodi principio ad aliquid moveretur. Namque, ut prima parte explicatum eſt, etſi reapſe in natura exiſtere debeat, & porro exiſtat principium, ſeu ratio determinationum omnium voluntatis, quale eſt ipſius ad bonum generatim neceſſaria inclinatio; tamen in eo ſemper ſe ſe explicat in particularibus quibuſcumque, quæ appetuntur, libertatis vis, & natura, quod quum non poſſint illa uſquequaque repræſentare plenam, perfectamque rationem boni, & maxime in alterius concurſu, quod ex vana ſaltem ſpecie repræſentari poteſt ut bonum, ſemper libera voluntas eſt ad conſiderandum quodlibet particulare objectum ſub hoc, aut illo reſpectu, quo etſi in ſe vere bonum ſit, poſſet tamen pro hac, aut illa circumſtantia videri non bonum, atque adeo a voluntate ipſa repudiari. Sic in propoſito, de quo loquimur, tametſi in voluntate poneretur naturalis quædam inclinatio ad bonum rationis, & ordinis ſequendum, adhuc tamen ſemper libera foret in ejus proſecutione, tum quia illud eſſet ſemper particulare bonum, finitum, ut ſiſti.ur, neque adeo aptum explere totam vim appetendi ipſius voluntatis, quæ ideo ad alia ſe ſe poſſet convertere ſuæ appetitionis objecta; tum præterea quia ſemper videri poſſet non bonum, ſi in conflictu alterius boni ſaltem apparentis acciperetur, quod nimirum pro data opportunitate, ac tempore videri quoque poteſt bonum, cujuſmodi multa ſæpe ſuadet inferior appetitus, ſeu cupiditas, ut experientia ipſa teſtatur. Admiſſo igitur quovis naturali principio, quo moveri poſſet voluntas ad probandum bonum rationis tanquam bonum ſuum, ſeu conveniens hominis

minis naturæ, adhuc tamen libera voluntas ſoret, quia, quum illud ſemper particulare bonum eſſet, ab eadem ipſa poſſet adhuc accipi, ut non bonum, adeoque rejici, ut ſuperius declaratum eſt.

XXXIX.

His prælibatis dico 1. naturæ auctorem Deum inclinationem quandam homini, ideſt ejus voluntati impreſſiſſe, qua non ſolum probaret bonum rationis, ſeu legis naturalis, ſed etiam in illud moveri poſſet tanquam in bonum ſuum, ideſt rationali naturæ conveniens (*a*). Atque hæc quidem res facti eſt, quæ non ſolum veterum teſtificatione probatur, ſed ipſo etiam uſu, & ſenſu intimo. Nolo quæ ſuperius dicta ſunt huc revocare, quibus evictum eſt ex omnium conſenſione præter bonum phyſicum aliud eſſe moralis ordinis bonum, quod in quadam affectuum, & operum ad rectam rationem comparatione intelligitur, quod itidem eſt homini maxime conveniens, utpote qui non cæco impetu, ut belluæ, ſed ipſa ratione regi debeat, quod bonum etſi a nemine laudaretur, tamen eſſet laudabile ipſa natura; unde familiares erant veterum ſententiæ, *bonum homini eſſe ex formula naturæ vivere*, *congruenter naturæ*, & alia id genus, quibus illi declarabant ex ipſo interioris hominis ſenſu bonum rationis, ſeu legis naturalis eſſe quodammodo bonum ipſius naturæ humanæ, quod ideo ut tale voluntas proſequi poſſet, ac deberet. Solum urgeo naturalem propenſionem, quam ſentiunt omnes, (niſi forte qui in vitio obduruerint) ad probandum ejus

(a) *Deus revera indidit voluntati inclinationem quandam ad ſequendum bonum rationis tanquam bonum ſuum, ſeu rationali naturæ conveniens.*

ejus ordinis bonum, quo mens, & ratio inferiori-bus viribus, & commotionibus dominetur, eas regat, nec ad impetum pervenire ſinat, ut ideo ſemoto lucro, aut perturbatione animi nemo improbus eſſe, aut cenſeri velit, & ſiquid in rationem peccatum fuerit, quiſque ſtatim ſe damnet, ut recepit ſe mens, infectum eſſe volens, quod cupido ſuaſit, aut ira. Hæc porro in hominum vita adeo communia, familiaria, continua quid aliud innuunt, niſi revera ſenſum quemdam ineſſe naturæ, ad probandum rationis ordinem ut bonum, quem ideo appetere, ſectarique voluntas queat, in eumque ſe ſe movere tanquam ſibi conveniens, ideſt illi naturæ, cui conciliata eſt facto ipſo, & inſtituto Creatoris? Patet igitur revera Deum, ut per rationem homini legem dedit, quam ſequeretur, ſic & in natura, ſeu voluntate inclinationem indidiſſe quamdam ad eam probandam, tenendamque, tanquam bonum ſuum, quam alii *inclinationem ad virtutem* nominant, alii *appetitum naturalem boni, quod eſt ſecundum rationem*; nam quod ſecundum rationis ordinem eſt, illud ipſum eſt ſecundum virtutem.

Præclare ea de re D. Thomas 1. 2. q. 3. ar. 1., ubi animadvertit inclinationem ad bonum rationis convenire homini ex hoc ipſo, quod eſt rationalis. Deus quippe ut quædam principia naturaliter cognita tam ſcibilium, quam agendorum in ratione hominis poſuit tanquam ſeminaria quædam intellectualium virtutum, & moralium; ſic etiam, inquit, voluntati impreſſit quendam appetitum ejus boni, quod ex ordine rationis exiſteret, quaſi proximum quoddam adminiculum, quo excitaretur, ac juvaretur voluntas ad ejus ordinis proſecutionem, atque

cuſto-

cuſtodiam. Hinc etiam ajebat olim Auctor librorum de divinis nominibus bonum homini naturaliter eſſe *ſecundum rationem* ſe habere, malum contra, aut præter eamdem; & Damaſcenus ſcribebat lib. 3. de fide orth. cap. 14. *naturales eſſe virtutes, & æqualiter ineſſe omnibus*, nimirum penes inchoationem quamdam earum factam in animis; & Auguſtinus quoque apud D. Thomam loco citato dicebat: *Si naturam voluntas mutaverit, perverſitas eſt, conditio ſervetur, & virtus eſt*. Quæ omnia ferme complexus eſt Tullius ex ipſo animi ſenſu, quum ſcripſit lib. 3. Tuſc. quæſt. naturam quoſdam nobis igniculos dediſſe, ad virtutem ſcilicet, quos tamen ipſi celeriter malis moribus, opinionibuſque depravatis reſtinguimus, & naturaliter eſſe ingeniis noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret, quantum videlicet per rationis cognitionem liceret, conditionemque naturæ. Fateor equidem ejuſmodi ad bonum ordinis, virtutiſque inclinationem, quæ in natura integra perfectiſſima erat, nunc primigeniæ culpæ reatu, quo languor quidam ad bonum effectus eſt in homine ad ſenſibilia potius, quam ad rationalis ordinis bona converſo, diminutam admodum fuiſſe, atque vexatam; at interim negandum non eſt eam adhuc in ſui parte ſubſiſtere in ipſa natura, a qua penitus tolli nequit, ut egregie animadvertit S. Thomas, quin & eidem eripiatur, *quod ſit rationalis*. Atque hoc eſt, quod idem ajebat Angelicus, *bonum naturæ*, quod eſt inclinatio ad virtutem, originis peccato non penitus fuiſſe ſublatum. Teſtes conſcientiæ ſtimuli, quos & in gentibus agnovit Paullus Rom. 2., & experiuntur

etiam

etiam profligatiſſimi ingenii homines, quando quidquam adverſus rectam rationem commiſſum eſt; qui certe vim exercere non poſſent in eorum animos, niſi præconciperetur adhuc in illis manere & ejus rationalis boni cognitio, & naturalis quidam ejuſdem appetitus, non enim conſuevimus dolere, aut triſtari de iis, quæ ignota ſunt penitus, aut nullo modo expetuntur, vel amantur. Teſtis, ut ajebat ex veterum ſententia P. Chryſoſtomus Javelli Canapicius in ſua Philoſophia morali tract. 1. in 2. Ethic. cap. 1., ipſa rerum magiſtra experientia, qua manifeſtum eſt *in ſolo homine a prima pueritia eſſe verecundiam de turpitudine, & gloriam de honeſtate, quod utique non procedit*, inquit, *niſi ex naturali inclinatione humani appetitus in bonum honeſtum.* Teſtis demum ipſe improborum ſenſus, ad quem appellabat Tertullianus in Apologetico inquiens: *Quod vere malum eſt, ne ipſi quidem, quos rapit, defendere pro bono audent. Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit. Denique malefici geſtiunt latere, trepidant deprehenſi, negant accuſati, ne torti quidem facile, aut ſemper confitentur, certe damnati mœrent. Dinumerant in ſemetipſos, mentis malæ impetus vel fato, vel aſtris imputant. Nolunt enim ſuum eſſe, quod malum agnoſcunt.*

XL.

Dico II. Si voluntas conſentanee ad ejuſmodi inclinationem a Creatore impreſſam moveatur in rationis ordinem, tanquam in bonum ſuum ex ipſa ejuſdem convenientia cum natura humana, eamdem voluntatem, quantum ex ejuſmodi cauſſa volendi eſt, bene ſe habere ex Creatoris ordine.

Nam

Nam profecto bene ſe habet, rectaque eſt ea voluntas, quæ tam penes rem, quæ appetitur, quam penes appetendi cauſſam ſe ſe conformat ad voluntatem Creatoris, ut declarata eſt in ipſa natura (*a*). Atqui ita ſe habet in propoſito caſu voluntas, ubi in bonum rationis moveatur ex ejuſdem cum rationali natura convenientia; quippe & ea convenientia a Deo ipſo conſtituta eſt in natura hominis, & ad eamdem ipſi inſita inclinatio, ut eam proſequeretur tanquam ſuum, ideſt ipſius hominis bonum. Ergo dicendum revera eo in caſu recte ſe habere voluntatem, quæ ita ejuſmodi bonum appetat, atque ex tali cauſſa generatim inſerta ipſi naturæ; namque id plane rectum, ſeu bonum eſt, quod in dato ordine tam penes rem, quam penes cauſſam appetendi eſt cum ſua regula coæquatum. Talis porro regula eſt ipſa Creatoris voluntas manifeſtata per principia intranea naturæ.

Neque dicatur hoc tandem, quod modo affirmamus, revocari ad *amorem ſui*; namque profecto & ipſe amor ſui a natura eſt, nec quiſquam in eo peccat, quod ſe diligat, ſed quod ſe diligat male, quemadmodum etiam dici de amore cujuſque creati boni poteſt; quum enim illud, ut a Deo eſt, bonum ſit, bene amari poteſt, vel male, prout recto ex lege affectu diligitur, aut pravo. Multæ quidem turbæ olim in celebrem Scriptorem excitatæ fuerunt, quod dixiſſet *amorem proprium principium eſſe omnium noſtrarum actionum*. Scilicet amor proprius tunc pro ſuperbia, atque inani gloria ac-

 ceptus

(a) *Recta voluntas eſt in ordine naturæ, quæ ad bonum movetur ex ipſa ejus convenientia cum natura rationali.*

ceptus ſuit, hincque putatum Auctorem in vitio poſuiſſe virtutis originem, aut ſaltem permiſcuiſſe utrumque ſimul. Et vero, inquit Auguſtinus lib. 21. de civ. Dei cap. 16., *nonnunquam ſane apertiſſima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, quæ putantur eſſe virtutes, in quibus regnat ſuperbia, & quædam ſibi placendi altitudo ruinoſa*. At interim ſi *amor proprius*, aut *ſui* accipiatur pro illo ſenſu, quem cuique impreſſit natura ad probandum, ſequendumque, quod vere bonum eſt, quis juſte ejuſmodi amorem accuſet, quin & naturam ipſam, ejuſdemque Auctorem vituperet? Bonus nimirum eſt talis amor, quo quis ſe diligit in vero bono, cujuſmodi bonum ordinis eſt, nec poteſt in hoc amore depravatio intelligi, niſi ex amantis fine. At vitioſus ne finis erit, quo quis ſe diliget in eo bono, quia novit illud ſibi, ſuæque naturæ, ut a Creatore effícta eſt, congruere? Si hoc vitium eſt, ſinamus, ut virtutes morales vitia appellentur, quia earum inchoatio quædam in ipſis animis a Deo facta eſt, quia ad eas probandas ipſa duce natura vehimur, quia tandem, quæque fingatur ſpecies, voluntas non movetur ad ullos virtutis actus, niſi ex ratione boni ſui, inquam, boni, & naturæ convenientis, quod in illis elucet.

XLI.

Ex his porro hoc conſectarium educimus, eum, qui ſequendo ordinem rationis a Deo præſtitutum in natura ex inſita appetitione boni, quod eſt ſecundum rationem, in illud ipſum moveatur ut ſibi, ideſt rationali, quam Deus effinxit, naturæ conveniens, tantum abeſſe, ut ex hac cauſſa peccet, quin potius bonum attingat virtutis humanæ,

qualis

qualis eſt, quæ communiter virtus moralis dici conſuevit (*a*). Namque virtus humana moralis eſt, qua quis bene ſe habet ad regulam hominis propriam, qua homo eſt, cujuſmodi eſt recta ratio. Atqui is, qui aliquid appetit, quod ſecundum rectam rationem bonum eſt, & aliunde ad illud appetendum movetur ex cauſſa rectæ rationi conſentanea, qualis generatim eſt convenientia rei cum natura rationali, is, inquam, bene ſe in hoc habet ad rectam rationem. Ergo & ille bene ſe habebit in ordine ad regulam hominis propriam, qua homo eſt, adeoque in ordine, & ſerie virtutis humanæ moralis. Hinc ex hoc capite nullum peccatum, aut vitium, quod ex omnium ſenſu non intelligitur, niſi per turbationem quandam *rationis*, & *ordinis*, cujuſmodi in illis actibus, aut affectibus, quantum ex ipſis eſt, nulla habetur.

Et ſane illi actus, aut affectus, quibus quis bonum aliquod honeſtum proſequitur ex motivo, ſeu cauſſa rectæ rationi conſentanea, cujuſmodi eſſe generatim diximus convenientiam ejus rei cum natura rationali, poſſunt adhuc per gratiam divinitus infuſam perfici, itaut non modo ſecundum rationem boni ſint, ideſt in ordine naturæ, ſed etiam proficiant ad ea bona, quæ ſunt ſupra naturam. Abſurdum autem, ut vitia, aut peccata quoquo modo perfici queant, aut in bonum ullum etiam ordinis naturalis converti. Ergo abſurdum quoque tales actus, vel affectus vitia, aut peccata dici, qui nimirum præſtantioris divinæ virtutis acceſſu perfici

 queunt,

(a) *Bonum virtutis humanæ moralis eſt ex ejuſmodi convenientia agere quod bonum ſecundum rationem.*

queunt, & ad ſuperiorem ordinem provehi. Tales porro actus, & affectus dico bonos eſſe tantum in ordine naturæ, ſeu ſecundum virtutem humanam moralem, cujus eſt, ut loquitur D. Thomas 2. 2. qu. 145. art. 2. *omnes res humanas ſecundum rationem moderari*, & ex qua homines paſſim *boni* nominari ſolent. Hinc honeſtum illud, quod, ut ajebat Tullius lib. 2. de invent., *ſuavitate nos allicit, & ſua dignitate trahit, ut virtus, veritas, ſcientia*; hinc illa *intelligibilis pulchritudo*, quam in honeſtate Auguſtinus agnovit lib. 38. qu. 30.; quare & *honeſtum* dixit *propter ſe expetendum*; hinc illud decorum, quod accipitur ut conveniens, & bonum, quo ſenſu ſcribebat Auctor librorum de divinis nominibus, *illud omnibus eſſe pulchrum, & amabile*; unde & Cicero dicebat in 1. de officiis: *Formam ipſam, & tanquam faciem honeſti vides, quæ, ſi oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret ſapientiæ*. Hæc autem omnia, de quibus fuſe D. Thomas citato loco, ſi ex ſe mala non ſunt, immo ſecundum rationis ordinem maxime laudabilia, profecto nec etiam mala erunt, immo vehementer laudanda opera, quod attinet ad ordinem ipſum naturæ, quæ ex ejuſmodi honeſtatis, decori, virtutis fonte, atque amore profluxerint. Audiatur ea de re Auguſtinus ejuſmodi affectuum, & actuum, ut rationi ſerviunt, apologiam ornans præſertim adverſus Stoicos lib. 9. de civ. Dei cap. 5. Iraſci enim, inquit, peccanti, ut corrigatur, contriſtari pro afflicto, ut liberetur, timere periclitanti, ne pereat, neſcio, utrum quiſquam ſana ratione reprehendat. Nam & miſericordiam Stoicorum eſt ſolere culpare; ſed quanto honeſtius ille

Stoicus,

Stoicus, (de quo apud Aulum Gellium lib. 19. Noct. Attic. cap. 1.) miſericordia perturbaretur hominis liberandi, quam timore naufragii! Longe melius, & humanius, & piorum ſenſibus accommodatius Cicero in Cæſaris laude locutus eſt (orat. pro Q. Ligario), ubi ait: *Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior miſericordia eſt*. Quid eſt autem miſericordia, niſi alienæ miſeriæ quædam in noſtro corde compaſſio, qua utique, ſi poſſumus, ſubvenire compellimur? Servit autem motus iſte rationi, quando ita præbetur miſericordia, ut juſtitia conſervetur, ſive quum indigenti tribuitur, ſive quum ignoſcitur pœnitenti. Hanc Cicero locutor egregius non dubitavit appellare virtutem, quam Stoicos inter vitia numerare non pudet: qui tamen, ut docuit liber Epicteti nobiliſſimi Stoici ex decretis Zenonis, & Chryſippi, qui hujus Sectæ primas partes habuerunt, hujuſmodi paſſiones (ſeu motus) in animum ſapientis admittunt, quem vitiis omnibus liberum volunt. Unde fit conſequens, ut hæc ipſa non putent vitia, quando ſapienti ſic accidunt, ut contra virtutem mentis, rationemque nihil poſſint, & una ſit, eademque ſententia Peripateticorum, vel etiam Platonicorum, & ipſorum Stoicorum. Sed, ut ait Tullius lib. 1. de oratore, *verbi controverſia jamdiu torqueat homines Græculos contentionis cupidiores, quam veritatis &c.* Hæc Auguſtinus, qui & antea ibid. cap. 2 ſapientes homines eſſe dixerat (quaſi ſapientiæ humanæ virtutem deſcribens, ut etiam in Philoſophis laudabatur), qui perturbationibus animorum, a quibus humana non eſt immunis infirmitas, mente imperturbata reſiſtunt, non eis cedentes ad aliquid approbandum,

vel perpetrandum, quod exorbitet ab itinere ſapientiæ, & lege juſtitiæ; quod dum fit, fixa nimirum manente animi ſententia, tum, ſubdit cap. 3., mens nullas perturbationes, etiamſi accidant inferioribus animi partibus, in ſe contra rationem prævalere permittit: *Quin immo eis ipſa dominatur, eiſque non conſentiendo, ſed potius reſiſtendo regnum virtutis exercet*. Ex quibus nimirum videtur effici Auguſtinum aliquo modo agnoviſſe quoque virtutes ex honeſta naturali cauſſa, & ratione profectas, quales etiam vetus Philoſophia commendare viſa eſt.

XLII.

Sed hic iterum quæſtio eſt, quomodo virtus humana moralis poſſit hominem in finem ultimum ordinare, quod tamen ad veræ virtutis indolem ex omnium ſententia exigitur (*a*). Quod ut explicetur, duo principia pono ex D.Thoma. Primum, *ad Deum naturaliter rationem, & voluntatem ordinari, prout eſt naturæ principium, & finis, ſecundum tamen proportionem naturæ*, 1. 2. q. 62. ar. 1. Exiſtit enim in homine naturaliter amor ſummi boni, quod ratio aliquantiſper evoluta non poteſt abnuere, quin in Deo ſit, a quo noſcit omne bonum eſſe, quod eſt, aut eſſe poteſt in natura. Hinc nulla repugnantia, quin eo modo ratio, & voluntas ſub illo reſpectu ordinetur ad Deum, tanquam ad ſummum bonum ſuum, quo nullum exiſtit, aut generatur majus, cuique nec viget quidquam ſimile, aut ſecundum. Quare Auguſtinus ajebat lib. 1. de doctr. chr. c. 7. omnes homines cujuſque Sectæ, quum de bonis quærunt, aut diſputant, *certatim pro excellentia Dei*

dimicare,

(a) *De ordinatione hominis in finem; & quomodo ratio, ac voluntas naturaliter ordinentur ad Deum*.

dimicare, nec quemquam inveniri poſſe, qui hoc Deum credat eſſe, quo melius aliquid eſt &c.

XLIII.

Alterum, quod præſtituo ex D. Thoma 1. 2. q. 65. ar. 2., eſt non poſſe quidem virtutes morales (quod idem de earumdem actibus dicitur) hominem ordinare *reſpectu finis ultimi ſimpliciter*, ſeu ut ille dicit, ad Dei ipſius fruitionem tanquam objecti in ſe ipſo, & penes eſſentiam ſuam beatitudinis noſtræ (*a*); qua de re jam dictum eſt §. XXXVI.; *ordinare tamen bene reſpectu finis ultimi in aliquo genere*; ex quo concludit ibidem eas non eſſe *ſimpliciter* virtutes, ſed *ſecundum quid*, nempe reſpectu ejus ſolum generis, in quo hominem ordinant ad ultimum finem. Et quoniam, ut antea docuerat, hic finis non intelligitur, niſi Deus, ſed prout tantum eſt naturæ principium, & finis, ideſt cujuſque naturalis boni fons, & terminus, idcirco videndum nunc, quomodo virtus moralis ſub eo reſpectu hominem poſſe bene ordinare ad Deum.

XLIV.

His poſitis, homo non poteſt dirigi ad Deum, niſi per actus ſuos (*b*); eſt enim talis liberi agentis natura, ut nonniſi per operationes proprias, ſeu voluntarias ad aliquid ordinetur, in quo diſtinguitur a aliis ſeu agentibus, ſeu rebus, quæ ſolo inſtinctu, aut impreſſione naturæ in aliquid aguntur, aveluti tranſmittuntur in finem, ſicut ſagitta a ſagit-

(a) *Qua ratione morales virtutes poſſint hominem ordinare ad finem ultimum.*

(b) *Ut hominem ordinent per legem ad ultimum finem; quod etiam dicitur de naturali inclinatione in bonum rationis, & ordinis &c.*

gittante. Aliunde vero intelligi nequit, quomodo per actus ſuos homo ordinari poſſit ad Deum, etiam ut ſolum eſt auctor, & finis naturalis boni, niſi per legem aliquam, quam Deus conſtituerit tanquam ordinem quemdam hominis ad ſe ipſum. Namque, ſemota lege, infinita, quæ eſt hominem inter, & Deum, diſtantia ipſum potius perturbare debuiſſet, ac deterrere, quam ut valeret modum illi ſuggerere, quo ipſe per actus ſuos dirigeretur in Deum. Quum itaque noſcamus & legem quamdam naturalem in homine, quæ ex ſe valet ipſius actus dirigere, & aliunde eam homini datam ab ipſo Deo per principia quædam inſerta, aut declarata naturæ, continuo dicendum erit talem legem vere ordinem illum eſſe, quem Deus præmonſtravit homini in natura, quo dirigeretur ad ipſum. Ex quo efficitur, ut virtus moralis (quod idem affirmandum de inclinatione naturæ ad ejus ordinis bonum) hominem promovet, atque excitat ad actus conſentaneos legi ſibi a Deo præſtitutæ, ita eamdem ipſam quantum fieri poteſt ſecundum cognitionem, intentionemque naturæ, hominem ordinare ad Deum dum eumdem ſollicitat ad cuſtodiam ordinis, quem Deus ſtatuit ad ſe ipſum. Sic etiam in quavis regiminis forma qui ſe ſe conſtituit in ordine legis eidem voluntarie parens, ſe ſe conſtituit in ordine ad finem, in quem lex ducit, quum ea nihil aliud proprie ſit, niſi ſtatutus quidam ordo actionum in finem.

Atque hæc porro mihi videtur eadem philoſophandi ratio, quæ veteribus olim, ac præcipue S Juſtino in deliciis fuit, Apologia 2. Scilicet agnoſcebant illi incorpoream quamdam lucem affuſam hominum mentibus, quam *Logos*, ſeu *Verbum* dicebant,

bant quaſi divinæ mentis emanationem, & radium; indeque concludebant, quotquot eam lucem contemplarentur, æternum ipſum verbum contemplari, & qui eam lucem ſecuti fuiſſent, eoſdem ipſos ſecutos quodammodo verbum, quod iiſdem prælucebat virtute, ac ſplendore luminis ſui. Quippe lux illa, ut argumentabantur, quemadmodum æterni verbi, ſeu divinæ ſapientiæ communicatio erat, ita & ad ipſum verbum, ſeu Deum reflexio quædam erat, & via. Hinc *quæcumque*, ajebat Juſtinus citata Apologia, *præclare unquam dixere, aut excogitavere Philoſophi, aut Legumlatores, hæc invento, & conſiderato aliqua ex parte verbo elaboravunt*, cujus ope aſſerebat eos vera bona, ac minime fucata internoſcere didiciſſe. Quod eo uſque produxit Juſtinus, ut dixerit eos, qua parte verbum, ſeu rationem ſecuti ſunt, quodammodo Chriſtianos fuiſſe, quia nempe vi verbi cognoverunt ex parte, atque etiam fecerunt aliqua, quæ poſtea plenius, & perfectius cognoverunt, feceruntque Chriſtiani ejuſdem verbi virtute; unde & concludit illos veteres ad partem tantum aliquam diſſeminatæ rationis vitam inſtituiſſe, non ad totius verbi cognitionem, & contemplationem, quemadmodum poſtea Chriſtiani. Nolo per omnia Juſtini comparationem, & argumentum urgere. Solum illud inde colligo, quemadmodum & veteres exiſtimaverint revera legem naturalem, ſeu rationis lumen eſſe ordinem quemdam homini præmonſtratum ad Deum, ſemel ac a Deo ipſo eſt ejuſmodi lex, & lumen, ac quaſi divini verbi, ſeu mentis radius communicatus homini, ut per ipſum vera bona cognoſceret, & cum ratione vitam inſtitueret ſuam, atque ita quodammodo ſe ſe ipſum
ad

ad verbum, ſeu Deum per actus ſuos dirigeret, atque ordinaret. Ita nimirum etiam ex antiquorum ſenſu efficitur, qui in ordine legis eſt, eumdem eſſe in ordine ad Deum, qui legis eſt finis. Recolantur, quæ ſupra ex Auguſtino diximus §. XIX., eum, qui *ſecundum legem* vivit, vivere *ſecundum Deum*, ſicut ex adverſo qui ſecundum ſui arbitrium vivit, non vivit ſecundum Deum, ſed ſecundum hominem, hoc eſt ſecundum mendacium, & peccatum, quia non ita factus eſt, ut ſecundum ſui voluntatem viveret &c.

X L V.

Ex his porro omnibus, quæ hactenus diſputata ſunt, illud colligo, quod pertinet ad rectitudinem moralem finis agentis, ſatis eſſe, ut ejuſmodi rectitudo habeatur in ordine morali, quod poſita ordinatione rationis, & voluntatis ad Deum, quæ per amorem quemdam, ſeu appetitionem ſummi boni habetur, homo ſe ſe moveat in bonum legis, ſeu rationis cognitum, atque intentum ut tale ex motivo, & cauſſa naturaliter honeſta, cujuſmodi generatim eſſe poteſt ipſa ejuſdem rei, ſeu boni convenientia cum natura rationali &c., ſeu hominis ad idem bonum naturalis inclinatio, quam, ut ſupra diximus, poſuit in homine Deus tanquam proximum adminiculum, quo in ejuſmodi bonum moveretur ipſa natura (*a*). Eo quippe modo intelligetur homo, & ejus actus ordinatus ad Deum tanquam ad ultimum finem, dum ex parte voluntatis impetum, progreſſumque ſervat naturæ, quem habet in ſummum bonum, & ex parte actionis tenet ordinem legis, quem præſtituit Deus in

na-

(a) *Concluſio dictorum de rectitudine finis agentis &c.*

natura ad ſe ipſum tanquam in finem &c. Neque enim putandum, quod probe monet D. Th. 1. 2. q. 1. ar. 6., oportere, ut ſemper quis cogitet de ultimo fine, quandocumque aliquid appetit, vel operatur; namque, ut ipſe inquit, *virtus primæ intentionis, quæ eſt reſpectu ultimi finis manet in quolibet appetitu cujuſcumque rei, etiamſi de ultimo fine actu non cogitetur, ſicut non oportet, quod qui vadit per viam, in quolibet paſſu cogitet de fine*.

Atque hic etiam operæ pretium eſt adnotare, quemadmodum conſentanee ad ejuſmodi doctrinam P. Malebranchius explicet naturam, & actum peccati, ut ſe habet ex parte ipſius voluntatis, quatenus deficit ab ultimo fine. Nimirum Deus naturæ impreſſit inclinationem ad ſummum bonum, quod eſt idem ipſe, vel, ut ait Auctor, Deus in natura hanc inclinationem continuo producit. Quid ergo facit voluntas, quum peccat? Scilicet non ſequitur ipſa ejuſmodi inclinationem ad ſummum bonum, quo totius naturæ impetus currit, ſed ubi aliquod bonum offenderit particularis objecti, eo veluti ſolo contenta quieſcit, ſe ſeque remittit quaſi negligens ulterius progredi, quo adhuc poſſet ex vi, motuque naturæ; quo modo certe intelligitur voluntatem malam fieri, ſeu peccare, dum ita agendo vere *deficit ab eo, quod ſumme eſt, ad id, quod minus eſt, quod eſt incipere habere voluntatem malam*, ut ajebat Auguſtinus lib. 12. de civ. Dei cap. 7., qua ratione intelligitur voluntatem ponere finem ultimum in creatura. At alia res eſt, quando voluntas ſervata naturali progreſſione in ultimum finem, ſeu ſummum bonum, aliquid agit adhuc, aut vult particularis boni, quod ex lege ſit; tunc enim ipſa

vere

vere finem non ponit in creatura, ſed eadem potius utitur etiam cum delectatione in ordine ad finem, in quem naturaliter tendit. Hoc eſt, quod etiam docuit idem S. Doctor lib. 2. retract., ubi animadvertit, quum ipſe ſcripſiſſet lib. 11. de Trinit. de viſibili corpore, *id amare, alienari eſt*, hoc non de quocumque amore intelligendum eſſe, ſed de eo tantum, quo quis ibi quieſcat, ut putet inde ſe fieri poſſe beatum &c. Sed de hoc argumento ſatis. Conſulatur laudatus Malebranchii locus t. 4. *Recherche de la verité: Eclairciſſement* 1. *&c.*

XLVI.

Colligantur nunc omnia, quæ hactenus dicta ſunt de morali actuum bonitate, & malitia, nimirum ad eorumdem integritatem pertinere, ut omni ex parte legi conformes ſint, ideſt penes objectum, circumſtantias, & agentis finem, quo boni habeantur; ſufficere vero, ut in aliquo eorum capite a lege deficiant, ut mali moraliter ſint; tumque profecto intelligetur (quod eſſe debet omnium huc uſque dictorum ſumma), quemadmodum nullus actus in individuo ab agente aſſumtus, ſeu prout ſecundum hæc omnia conſideratur, eſſe poſſit in ordine morum indifferens (*a*). Quum enim ea ſit hominis agentis conditio, ut ſe ſe, dum agit, conformare debeat regulæ morum, quæ ipſi pro actuum ſuorum norma præſtituta eſt; planum, apertumque fit, ipſum, dum agit, vel ita ſe legi attemperare, ut actio ſua eidem uſquequaque reſpondeat, vel non; quod ſi primum fiat, actio bona erit, ſin minus, mala. Quum

(a) *Summa omnium, quæ dicta ſunt de bonitate, vel malitia actuum morali &c., & ut nullus eſſe poſſit actus in individuo indifferens.*

Quum autem nihil medium ſit inter hæc duo, quod videlicet vel ſe ſe homo attemperet legi uſquequaque, vel non, quum illa inter ſe contradictorie opponantur; inde neceſſario conſequens fit ejuſdem actum bonum eſſe debere, vel malum, prout conſentanee ad legem elicitus eſt, aut ſecus, neque adeo ullum ex ejuſmodi actibus in genere morum eſſe poſſe abſolute indifferentem.

Atque hæc, ut alibi obſervatum eſt, intelligi debent de actionibus deliberate elicitis, ideſt voluntariis, & liberis, quæ ſolum poſſunt ad moralitatis gradum aſcendere; namque aliæ habentur quaſi *extra genus actuum moralium exiſtentes*, ſicut adnotat D. Thomas 1. 2. q. 18. ar. 9. Neque hic dicatur hominem teneri ſemper deliberate agere, videlicet ex rationis judicio, & voluntatis electione; quippe & hoc non eſt, ſaltem ſemper, in hominis poteſtate; immo ſæpe quando acrius in aliquid intendere ſe ipſum vult, facilius evagatur, & hebeſcit mentis acies, atque contentio, quod evenit ſive ex quadam mobilitate, ſive etiam aliquando ex inertia naturæ, quæ, ut chorda, non eum ſemper ſonum reddit, quem vult manus, aut mens. Cæterum ſi agatur de actibus deliberate factis certum eſt ſemper penes hominem eſſe ſe ſe ad legem componere, vel non; quod ſi aliter contingeret, nec bonum, nec malum morale eidem imputaretur, immo nec ullum eſſet, ut infra clarius patebit. Interim ex memoratis principiis haud difficile fuerit hic Burlamachium refutare, qui in libro, *Principes du droit naturel* 1. *par. ch.* 11. *§.* 9. aperte conſtituit admittendas eſſe actiones in genere morum abſolute *indifferentes*, ſeu nec bonas, nec

malas.

malas. Ait enim actiones indifferentes eſſe, quæ *nec præceptæ, nec prohibitæ ſunt, ſed quarum eliciendarum, vel non eliciendarum jus per legem eſt, ut cuique videtur*; quod æque extendit ad legem divinam, & humanam. Sed hoc quam falſum ſit nullo negotio demonſtratur. Sunt enim revera quædam, quæ lex nec prohibet, nec præcipit ratione ſui, ſeu objecti, ſed permittit; at interim in permiſſione ipſa rei numquid adjacentia cuncta relinquit hominis arbitrio? An, quæ licent, omnia ex æquo expediunt ratione circumſtantiarum? Num quæ permiſſa ſecundum ſe ſunt, ſemper ædificant? *Omnia quidem munda ſunt*, ſcribebat Paullus Rom. cap. 14. de quolibet ciborum genere, *ſed malum eſt homini, qui per offendiculum*, ſcilicet fratris, *manducat &c.* En quemadmodum quod per legem abſolute licet, adjunctorum cauſſa malum fieri poſſit, quod omnino cavendum lex ipſa præſcribit; ut ideo nihil unquam ſic permiſſum lege intelligatur, quin illud idem exerceri in convenientibus circumſtantiis debeat, quum impoſſibile omnino ſit, ut in actu individuo, ſeu pro ut hic & nunc exercetur, non aliqua interveniat circumſtantia *ſaltem ratione finis, per quam*, ut loquitur D. Thomas 1. 2. q. 18. ar. 9., *non trahatur ad bonum, vel malum*; aliunde vero generatim ſe ſe in re permiſſa attemperare legi, ſeu rationis ordini quoad debitas circumſtantias, quas ſemper, & ubique ſervandas præcipit, bonum ſit, ſicut quod adverſum, malum. Agnovit id etiam Plato, qui in ſuo convivio admittens actiones quaſdam ex ſe neque honeſtas, neque turpes, *ut ea*, inquit, *quæ nunc agimus, bibere, canere, diſputare &c.*, attamen ut *in individuo* aſſumuntur, ſeu prout

debitus

debitus agendi modus eiſdem accedit, vel deeſt, faſſus eſt illas bonas, vel malas abſolute fieri: *Agendi modus*, inquiens, *actioni certum tribuit cognomentum*; .. *quod enim non recte agitur*, *turpe exiſtit*. Id ipſum docuit Heineccius lib. 1. de jur. nat. & gent. cap. 2. §. 38., ubi de actionibus lege permiſſis diſſerens vult eaſdem ipſas ex generali legis præſcripto non niſi *prudenter*, *& adhibita in conſilium ratione* exercendas eſſe; quod quid aliud ſonat, niſi quum agimus ea etiam, quæ licent, circumſpicienda ſemper nobis eſſe extrinſecus omnia, ne forte quod permiſſum eſt, per imprudentiam male, ac malum fiat? Quamobrem ut Burlamachius actiones vere, & proprie indifferentes conſtituere poſſit, atque eo de capite contrarium ſentientes Scholaſticos *vanæ ſubtilitatis* accuſare, oportebit ipſum oſtendere in aliquo actu ſingulari nihil legem Dei de circumſtantiis cavere, & maxime de recti finis propoſito, tumque dabitur ei, quidquid in hac cauſſa pro opinione contendit. Sed quamdiu conſtabit legem naturalem de adjunctis, uti par eſt, ſervandis præcipere, & maxime de bono agentis fine, quidquid demum ex liberis, & permiſſis fiat, non erit, cur eam indifferentiam, quam ipſe conſtituit, in ullo opere deliberate facto admittamus. Qua in re & ejuſdem ipſius principiis inſiſtemus, quæ antea ſtabiliverat §. 4., nimirum *actionem moraliter bonam eſſe*, *aut juſtam*, *quæ in ſe uſquequaque reſpondet legis obligatoriæ præſcripto*, *& aliunde facta eſt ſecundum modum*, *& circumſtantias*, *quas Legislator intendit*; *malam* autem, ſeu *injuſtam*, quæ contra, ut idem ipſe demonſtrat ibid. §. 6.

XLVII.

Supereſt nunc, ut ad totius, quod hactenus pertractavimus de moralitate actuum humanorum, argumenti clauſulam pauca quædam circa eorundem *æſtimationem*, ut vocant, *relativam* dicamus, quæ videlicet in expendenda eorum qualitate, & quantitate morali verſatur. Hoc enim habebitur velut appendix dictorum, immo & eorundem complementum, quod ut ab illis accipiet, ita & iiſdem tribuet lucem (*a*). Itaque ut id, quidquid operis eſt, compendio fiat, obſervandum aliud eſſe de abſoluta, quod ajunt, bonorum, malorumve natura dicere, aliud de illorum inter ſe, prout in ſuo quæquæ genere conferuntur, differentia. Primum enim, quod abſolutum, idem, & æquale in omnibus eſt, ſcilicet quod bona omnia juſta, ideſt congruentia legi uſquequaque ſint, mala autem, quod in aliquo a lege differant. Quo ſenſu recte dictum eſt unam eſſe virtutem conſentientem cum ratione, & perpetua conſtantia, cui nihil addi poſſit, quo magis virtus ſit, nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur; vitium autem, ſeu omnem animi, & operis pravitatem in deflexione a legis norma conſiſtere; quare & ſimpliciter *iniquitas* dicta eſt, quaſi vitioſum, pravumque ſit illud omne, eaque de cauſſa tale, quod non eſt cum propria regula coæquatum. Igitur quum in hoc generali capite conveniant omnia ſeu bona, ſeu mala, quod illa eatenus bona ſint, quatenus legi conformia, alia ideo mala, quia eidem repugnantia, fit inde, ut ex

(a) *De æſtimatione operum relativa, & ut hæc non petatur ex eo, quod abſolutum eſt in actibus, ſeu commune &c.*

ex hac communi ratione non poſſit ſeu quantitas, ſeu qualitas tam bonorum, quam malorum moralium explicari.

Hic animadverto, ejuſmodi plane ſcopulum fuiſſe, cui impegerunt Stoici, quum pares eſſe inter ſe virtutes omnes, omniaque vitia paria dixerunt, quod nimirum virtutes ſingulæ in communi quadam *recti* ratione conveniant, quemadmodum & vitia omnia in generali cauſſa *pravitatis*; qua de re affirmabant unum, & idem eſſe in omnibus virtutibus rectum, conveniens, juſtum; peccare vero, quod eſt rationis legem offendere, in omnibus vitiis unum. Nimirum in eo errabant, quod ſingulares rerum differentias, quæ ex peculiaribus earumdem affectionibus exiſtunt, quum ipſi in communi earum ratione, & cauſſa non viderent, putaverunt nullas eſſe: quo nihil fingi queat inconſideratius dictum, quum & ipſi homines in eo conveniant omnes, quod expoſcit natura communis, & niſi convenirent, non eſſet cauſſa, cur eorum ſpecies a cæteris animalibus diſtingueretur, quin tamen inde ſequatur ſingulos a ſingulis non diſcerni per id, quod peculiare eſt ſingulorum; unde etiam quos ſimiles noſti, quum inter ſe contuleris, invenias eſſe plane diſſimiles. Quare quum ex communi illa ratione non poſſit bonorum inter ſe, malorumve diſtinctio repeti, neceſſe eſt, ut ad aliam ejus veſtigandæ cauſſam accedamus.

XLVIII.

Videndum ergo, num quæ bona dicuntur moraliter opera (nam de iis primum agimus), ideo inter ſe alia aliis præſtantiora dicantur in certo genere, aut etiam in ſpecie bonitatis diſcreta

ex eo tantum capite, quod alia aliis ſint legis ordini propiora (*a*). Atqui ne hoc quidem admittendum videtur. Omnia enim, quæ vere bona ſunt, & dicuntur, æque congruunt legi ratione conformitatis, quippe non aliter, atque aliter hæc lege metiuntur, ſed eodem prorſus modo directionis, & æqualitatis. Quod æquale dicitur, in omnibus idem eſt, quæ eidem princi[illegible]int æqualia. Eo ſenſu nihil *recto rectius*, quemadmodum nec vero verius quidquam dici poteſt. Itaque quum in conformatione ad legem omnia æque conveniant bona opera, quæ eatenus bona, quatenus legi uſquequaque congruunt, nec in conformatione abſoluta, quæ ſingulis competit, graduum, aut ſpeciei diſtantia inter actus inveniri queat, conſequens fit neque etiam ex hoc capite relativam, ut ajunt, inter ſe operum bonorum diſtantiam eſſe repetendam.

Hæc porro videtur Stoicis altera errandi cauſſa fuiſſe priori ſimillima, quod nempe virtutes omnes, & recte facta non ſolum in generali ratione conformitatis ad legem conveniant, ſed etiam, quod hæc conformatio abſoluta major, aut minor in iiſdem eſſe non poſſit, nec in ſe diverſa. Ex quo colligebant, ut omnes lineæ rectæ non ſolum in generali rectitudinis cauſſa conveniunt, ſed nec una rectior eſt altera, ut inter ſe comparantur, haud aliter nec virtutes inter ſe differre gradibus, aut qualitate poſſe, ſemel ac non ſolum omnes virtutes conformantur invicem eidem directionis principio, ſed etiam in hoc conformationis ordine omnes in-

ter

(a) *Bona, quæ dicuntur, opera non ideo inter ſe differunt qualitate, aut quantitate boni, quod alia aliis comparata ad legem ſint rectiora.*

ter ſe æquales ſunt; futurum enim, ut, ſi altera alteram in ratione conformitatis ad legem excederet, quæ deficeret, non poſſet dici abſolute conformis; utpote non ab omni ſui parte, & gradu legi adæquata, neque adeo appellari ſimpliciter virtus. Sed nimirum hinc hallucinabantur Stoici, quod ex ſola abſtracta ad legem conformatione bonorum ipſorum vellent de eorum natura, & gradibus judicare, quæ ex aliis adhuc capitibus æſtimanda ſunt. Sic omnes lineæ rectæ in eadem rectitudinis ratione, & cauſſa conveniunt, ſed differre in aliis poſſunt, puta in re, ſuper quam deſcribuntur, in longitudine, colore &c. Equidem fateor hæc ad rectitudinem lineæ non pertinere, ut illa in ſe tantum conſideratur, ſed tamen, quomodo ſimilis generis adminicula ad rem moralem conferant, mox explicabimus.

XLIX.

Quoniam igitur ex parte rectitudinis, qua virtutes, & bona opera comparantur ad legem, omnia inter ſe convenire deprehenduntur, quum univerſa & ſingula eſſe debeant uſquequaque recta, ne rationem boni, ac propriæ dignitatis amittant; quærendum nunc, an ex ipſa operum natura, ut ad ſe invicem conferuntur, ea peti diſtinctio debeat; de qua agimus; & quoniam ratio moralitatis ſemper ex lege eſt, num diverſa eorum natura, ut refertur ad ordinem legis, diverſitatem moralitatis adjunctam habeat in proprio cujuſque actus genere (*a*). Atqui ita eſt. Virtutes, & actiones

O 2

(a) *Quemadmodum diſtinctio qualitatis, ſeu ſpeciei actuum bonorum ſumatur præcipue ex illorum objectis &c.*

nes earum objectis inter ſe differunt, ſeu ex ſubjecta materia diſtinguuntur, circa quam verſantur, & ſunt, atque hinc phyſica earundem ſpecies diverſa. Lex autem non præcipit de actibus, nec eos dirigit, niſi qua tales, aut tales ſunt, ideſt ejus generis, vel alterius; neque enim generatim tantum præcipit agendum, ſed ex ipſius ordine agendum hoc, aut illud in tali, vel tali genere &c. Atqui nequit intelligi legem de diverſis eo modo actibus, rebuſque præcipere, niſi in eorundem objectis, prout in proprio quæquæ genere conſiderantur, concipiatur ſpecialis quidam ad legem reſpectus, ex eoque ſingularis, & propria boni ratio, ut tale quid ad legem eſt, & conſequenter actus, qui circa illud verſatur. Ergo dicendum ex objectis ipſis virtutum, & actuum, ut ſe habent in proprio ordine ad legem, præcipue diſtinctionem bonitatis operum inter ſe repetendam eſſe, atque ita primarium æſtimationis relativæ, quæ de bonis actibus fit, & maxime circa eorum qualitatem, ſeu ſpeciem, fundamentum potiſſimum in diverſa objectorum, ut ſub ordine legis conſiderantur, natura ſubſiſtere.

Huc quoque pertinet, quod diximus §. XXVIII., ex objectis etiam ſpeciem actuum moralem primario deſumi, ut ſcilicet quid habere intelliguntur ſub rationis ordine conſiderata, quod ſingulari modo eiſdem conveniat, & non aliis. Hinc patet non ex communi legis principio, aut generali rectitudinis cauſſa qualitatem actionum relativam æſtimandam eſſe, ſed ex propria ſingulari ratione, quam habet data actio ad legem. Præclare Angelicus 1. 2. q. 60. a. 1. *Appetibilia*, ſeu appetitionum objecta, *ſecundum motionem*

rationis

rationis conſtituuntur in diverſis ſpeciebus, ſecundum quod ſe habent diverſimode ad rationem, & ita ſequitur, quod virtutes morales ſint diverſæ ſecundum ſpeciem. Hinc exemplum rectitudinis linearum, quod in hac cauſſa producebant Stoici, ne in operibus quibuſcumque diſtinctionem agnoſcerent boni, proprie non faciebat ad rem; quia rectitudo linearum ut quid abſtractum percipiebatur, ad quod nihil pertinebant quæ, ita dixerim, ſubſtantiam conſtituerent lineæ; at in ordine morali alia res eſt: ad ipſum enim pertinent omnia, quibus actus conſtituitur, atque objecta præcipue, ex quibus accipit, ut talis actus ſit, & non alius, & ſecundum hanc rationem diverſa in moralibus rectitudinis ſpecies poteſt intelligi pro diverſitate rei, quæ intelligitur recta, & ſingulari ex objecto ad legem comparato rectitudinis ordine. Sic ex ſola diverſa ratione, quam habere poteſt juſtitia ad alterum tribuendo cuique ſuum, poſſunt in una, eademque generali virtute diverſæ ejuſdem juſtitiæ ſpecies percipi. Aliter enim, & ex alia cauſſa quidquam ex. gr. debetur, & rependendum eſt æquali, aliter ſuperiori, aliter minori, & aliter etiam ex pacto, vel ex promiſſo, vel ex beneficio ſuſcepto, & ſecundum has diverſas rationes diverſæ plane ſumuntur virtutes, diverſique habentur earum actus, puta religionis, per quam redditur debitum Deo, pietatis, per quam redditur debitum parentibus, vel patriæ, gratiæ, per quam redditur debitum benefactoribus, & ſic de aliis &c. Ea de cauſſa putaverim rem aptius exemplo ſonorum, & vocum poſſe declarari. Voces omnes, ſonique recti, ac juſti æqualiter ſunt, ut habentur ad proprios numeros, legemque harmoniæ exacti; ſed quia hæc harmonia ex

diſparibus efficitur quaſi concordia diſcors, aliquando poſtulat, ut interdum vox, aut chorda grave, quandoque remittat acutum; atque ità pro hujus temperamenti varietate in una, eademque communi rectitudine vocum, & ſonorum exiſtit diverſa eorumdem inflexio, & tonus, eoque diſſimilior, quo inter ſe magis diſtant, quæ conferuntur, extrema. Hæc ut clarius percipiantur, quæ in propoſita cauſſa dicta ſunt. Interim dixi ſpeciem, ſeu qualitatem relativam virtutum, ut & actuum earumdem ex objectis *præcipue* ſumi, quin tamen excludantur circumſtantiæ, & varii, qui eſſe poſſunt, agentis fines, ex quibus poteſt etiam diverſa bonitatis ratio, & ſpecies uni, eidemque actui accedere, prout illi ſingulariter aliquid habent pertinens ad ordinem rationis a re ipſa, ſeu ab operis fine, ac natura diſtinctum; de quibus videnda, quæ jam antea tradita ſunt.

L.

Jamvero ſi ex diverſo ordine, quem habent, aut habere queunt actus ad rationem rectam, intelligitur in iiſdem diverſam eſſe poſſe eorumdem ſpeciem, ſeu qualitatem in genere moralis boni; apertum eſt illud ipſum multo facilius de majore, vel minore quantitate boni percipi poſſe; quippe quæ diverſi generis ſunt in ordine boni, ſolent quoque inter ſe quantitate, ſeu gradibus bonitatis diſcerni (*a*). Hinc etiàm objecta magis, vel minus præſtantia intelliguntur pro diverſitate majoris, vel mino-

(*a*) *Rurſus quemadmodum quantitas etiam, ſeu gradus bonitatis actuum ex objecti ratione petatur, aliiſque adjunctis.*

minoris boni, quod in proprio ordine ſecundum rationis regulas repræſentant. Nihil neceſſe eſt diutius in hac cauſſa immorari, quando illud ipſum naturæ ſenſus, & commune judicium confirmat. Novimus enim ex diverſitate materiæ actuum quorumcumque bonorum dignitatem ſolere æſtimari, ut ideo alter altero ex hac cauſſa præſtantior habeatur, & ſit. Idem affirmandum eſt de adjunctis cæteris, puta difficultatis rei, majoris cognitionis, & niſus, quo quis poteſt ſe ſe ipſum in datum opus præ alio movere, aut acrius nunc, quam alio tempore; ex quo videlicet conſtat æſtimationem bonitatis actuum etiam penes quantitatem ejuſdem moralem, ſeu gradus non ſolum ex objectorum differentia, ac natura peti, ſed etiam ex aliis adjunctis, rei, perſonæ &c., quæ in actum ita valent influere, ut ejuſdem augeant bonitatis gradus. Et quidem de æſtimatione relativa bonorum hactenus tam penes qualitatem eorumdem, quam penes quantitatem.

L I.

Nunc paucis attingimus, quæ pertinent ad æſtimationem mali, quod in vitiis, aliiſque pravis operibus obtinet (*a*). Et quidem illud pro certo habeo, quæ mala dicuntur, ex duplici capite poſſe inter ſe diſcrepare. I. ratione deflexionis a lege. II. cauſſa objectorum, aliorumque adjacentium &c. Ratione quidem deflexus a lege, quia receſſus quivis a regula ex ſui natura inæqualitatem dicit rei, vel actionis ad principium ſuæ directionis

(a) *Æſtimatio relativa mali ut petatur ex deflexione operis a lege &c.*

comparatæ. Quod autem inæquale eſt, gradus admittit, & ſi infinitum ab altero diſtet, cum quo confertur, diverſam valet etiam ſpeciem induere, ut conſtat exemplo mortalis, & venialis peccati, quæ inter ſe toto genere dirimuntur, ut comparantur ad ordinem legis; quippe alterum penitus ordinem abrumpit, alterum quandam tantum turbationem infert in iis, quæ ordinis ſunt, velut qui non exit quidem de via, ſed nimis immoratur viæ, quod D. Thomæ exemplum eſt. Hinc eo in capite mirum eſt Stoicos aliunde ſatis acutos deceptos fuiſſe, quaſi vero major, vel minor a lege receſſus ad æſtimationem culpæ nihil pertineret; qua in re tum a communi ſenſu abhorrebant, quo receptum, ut delictorum gravitas, atque etiam aliquando ſpecies inde maxime penſetur, habeaturque ſæpe ut ex majore contemtu, aut contumacia factum, quod fortius incurrit in legem, quorum utrumque culpam, & pœnam cumulant; tum vero ſibi ipſis repugnabant, quippe qui affirmantes peccatum non fieri, niſi perturbatione rationis, & ordinis, certiſſime tenebantur agnoſcere varios, qui eſſe poterant in diverſis, immo & in eodem homine, perturbationis gradus ſaltem ad majorem, vel minorem delictorum acerbitatem poſſe pertinere.

LII.

Ratione vero objectorum, adjunctorum, & finis diverſam quoque ſpeciem, ſeu qualitatem peccatorum exiſtere poſſe, atque inde etiam majorem, vel minorem eorumdem, ut invicem conferuntur, diſtantiam, res adeo perſpicua eſt, ut demoſtratione

non

non egeat (a). Ita quidem omnes ex objectorum diverſitate, atque natura ſolent de actibus judicare; id quod etiam in foro humano obtinet, ut ex variis rebus, perſonis, & juribus, quæ offenduntur, tum diverſa, tum etiam atrocior, vel minus culpa intelligatur; unde varia pœnarum genera reſpondentia criminibus conſtituta, *quæ ſcilicet aut vitam adimerent, aut ſervitutem injungerent, aut civitatem auferrent, aut exilium, aut coërcitionem corporis continerent*, dig. lib. 48. tit. 19. l. 6. Idem dicatur de adjunctis, ut quid ex ſe habent rationis, aut legis ordini ſingulariter adverſum, & ab objecti natura diſtinctum, de quo jam ante explicavimus, vel tantum quidquam in eodem ordine augens culpæ gravitatem, quo modo certe admodum refert vel in ipſis majoribus delictis conſulto ne aliquid admiſſum fuerit, an caſu, quum *in omnibus criminibus diſtinctio hæc pœnam aut juſtam eligere debeat, aut temperamentum admittere*; ibid. l. 5. Id ipſum quoque de agentis fine ſentiendum eſt, qui in actionem influens tanquam ejuſdem cauſſa poteſt tum majorem, tum diverſam ab ea, quæ objecto jam ineſt, in opus pravitatem influere, ut ideo qui ex. gr. furatur, ut adulterium committat, non ſolum fur habeatur, ſed etiam adulter, immo, ut ajebat Philoſophus lib. 5. Ethic., *per ſe loquendo ſit magis adulter, quam fur*, quia potiſſimum ex fine ut agentis animus, ſic etiam actus natura penſatur. Addo, quod in perſimili cauſſa ſcripſit Auctor incredulus noſtri temporis in libro *Dieu, & les hommes*

(a) *Rurſus quemadmodum eadem æſtimatio peti ex objectis, aliiſque adjunctis queat &c.*

hommes ch. 1., nimirum *amplitudinem*, *&* *fines noſtrorum criminum gradibus perturbationum*, *quibus impellimur*, *gradu virium*, *poteſtatiſque*, *quo pollemus*, *nec non*, *quo utimur*, *rationis gradu definiri*. Hæc autem quum varia in hominibus ſint, nec ſemper in uno, eodemque homine æqualia, quis non agnoſcat inde tum diverſitatem criminum inter ſe, tum eorumdem multiplicem gravitatem exiſtere poſſe, atque æſtimari? Itaque quoties ad has, aliaſve animi affectiones, quibus peccata patrantur, ventum fuerit, concidant neceſſe eſt, queis placuit ea omnia inter ſe, quaqua ratione conſiderentur, paria eſſe; quum perabſurdo dogmati non ſolum lex, & mos, verum etiam ſenſus ipſe naturæ repugnet.

PARS III.

De modo cognoſcendi moralitatem actuum humanorum, deque ejuſdem cognitionis neceſſitate, & uſu.

I.

PATET ex antea dictis moralitatem actuum humanorum ex eorumdem ad legem reſpectu exiſtere, cui proinde ſi uſquequaque congruant, recti, ſive boni, ſin minus, pravi habentur, ſeu mali in ordine morum, quem ſupra delineavimus (*a*). Hic porro quum agatur de ratione, & via, qua ad hujuſmodi moralitatis cognitionem procedendum ſit, & quidem reſpectu agentis ipſius, aut cujuſque alterius, ad quem pertineat de bono, & malo, ut in actibus eſt, judicare; apertum eſt, univerſam ferme hujuſce operis partem nonniſi in applicatione prædictorum ad facta, ſive potius in quibuſdam regulis tradendis ad id rite efficiendum comparatis verſari, ut intelligatur & cui uſui ſit allata doctrina, & ſimul quæ eſſe in univerſum debeat ejus, qui agit, vel judicat in hoc rerum negotio, mentis, atque animi præparatio, & ſenſus.

II.

Et quidem illud initio præcipio legem morum, quum de omnibus ſtatuat, quæ agi debeant, vel declinari a quolibet deliberate agente, ſcilicet ut homo eſt, idcirco eamdem judicium omnibus exhibere

(a) *Quis ille generatim modus, de quo hic agitur, ut moralitas actuum dignoſci queat.*

bere poſſe, ut innoteſcit, ſeu diſcretionem boni, malique, quod in ordine ejus ſit legis videlicet naturalis (*a*). Nam vix, ac ne vix quidem admittendum eam, quam naturæ dicimus legem, dum de facto, aut opere agitur ad quemque pertinente, penitus ignorari poſſe, niſi forte aut hebetudo mentis præceſſerit; aut alia voluntaria cauſſa, ex qua ejuſmodi profluxerit ignorantia; quod ab omnibus agnoſcitur ſaltem circa primaria principia juris naturæ, & proxime manantes concluſiones. Quo circa & in culpa ſunt, quotquot, cum primum potuerunt, aut neceſſariam ſibi parare ſcientiam, aut ſe ſe ab anteceptis erroribus liberare, id minime præſtiterunt, ſive quia conſuetudine mala implicati, ſive quia aliis rebus dediti maluerunt vitam inculti ſicut peregrinantes tranſire, quam officio incumbere, ut par erat, quo tenebantur. Ea de cauſſa ne hic quidem memorandi, quibus contra naturam placuit vagus uxorum concubitus, avaritia, præceps in omnia libido, nihil ſcilicet attendentibus ad legem, quam oportebat intueri, ac veluti medio ſole cæcutientibus; neque his patrocinium accedere poteſt ex corrupto more, quem exuere valebant, quaſi vero fraus, aut culpa in legem admiſſa per ſe tueri, ac tegere hominem poſſit, ne violati officii habeatur reus. Itaque id primum in hac cauſſa præjudicatæ rei loco habebitur, ut quis poſſit, ut decet, de bono, & malo morali cognoſcere, oportere, ut legem curet, ejuſque ſcientiam, ſine qua non poterit in ejuſmodi rerum cognitione, atque judicio proficere. Quare nil mirum, ſi quidam aliqua in moribus

(a) *Ut cognitio ejus moralitatis pendeat ex generali cognitione legis &c.*

bus manifeſta non cernant, quorum oculi ſunt obſcurati, ne videant, & altiora nunquam ſuſpiciant, qui, ut in terrena ſint proni, dorſum eorum ſemper incurvum eſt. Talia vitia, ut hoc tranſiens admoneam, & olim fuere quorumdam populorum. Sed neque in hoc quidquam abſurdi, aut incredibilis eſt, ut quemadmodum in ſingulis quibuſque gentibus quædam monſtra ſunt hominum; ita in univerſo genere humano quædam monſtra ſint gentium.

III.

Præcipio II., quoniam, quod incidit in moribus judicandum, quandoque abſtracto modo concipi poteſt, puta ſi quis quæſierit, an aliquid generaliter liceat, quin de opere ſuſcipiendo cogitetur, aliquando vero in concreto, ut ajunt, ſeu prout hic, & nunc, quod quæritur, ordinatur ad opus, duplex idcirco judicium admitti oportere, quod ex lege educi queat, ad rem moralem pertinens, alterum, quod generale dicitur, abſtractum, ſpeculativum; alterum determinatum, individuum, practicum, quorum prius rem conſiderat abſtrahendo ab opere, poſterius eamdem attingit ut cum opere aliquo modo conjunctam, vel conjungendam, ad quod videlicet refertur (*a*). Certum eſt enim eamdem eſſe legem, quæ mentem, & facta dirigere debet, eamdem, quæ non ſolum pro iis, quorum agendorum hic & nunc occaſio, aut neceſſitas occurrit, data eſt, ſed & generatim pro aliis omnibus, quæ poſſent evenire, ut ideo ejus cognitio, & ſcientia generatim dici queat, vereque ſit ſcientia, & cognitio agen-

(a) *Quemadmodum a generali legis cognitione pendere debeat quodcumque judicium, ſeu ſpeculativum, ſeu practicum de rebus morum.*

agendorum. Ex quo efficitur (quod ſecundo loco inſtar principii ponimus), ſeu de ſpeculativo tantum, ut inquiunt, judicio, ſeu de practico agatur, quod ferendum in rebus morum ſit, illud omnino non niſi ex veritate legis educi oportere, cujus eſt & mentem, & voluntatem in cognitione, atque opere ipſo moderari, ut ideo quidquid demum intelligatur tanquam moraliter verum, ſeu bonum, aut contra in quolibet judicio, illud per legem ſolum haberi poſſit, quæ omnia æque metitur, & ex qua tantum exſculpi, atque elici ſeu generales, ſeu particulares de moribus concluſiones queunt.

Atque hoc quidem eo firmius tenendum eſt, quo magis dignoſcitur prodeſſe ad eos refutandos, qui etſi minime mali, tamen non ſatis acuti inter ea, quæ ſpeculativa ſunt, & practica, diſtinguentes quædam paſſim inquiunt priore modo vera eſſe, quæ item in praxi, ut loquuntur, talia non ſunt, perinde quaſi alia ſit lex agendorum, ſciendorum alia, aut una quidem, eademque pro utriſque lex, ſed quæ cerea ſit in varias partes flecti, prout quis aut ſpeculativa tantum cognitione, & judicio contentus fuerit, aut inſuper voluerit, quod abſtracta ratione percepit, executioni mandare. Profecto ſi res ita ſe haberet, non admodum æquabiliter, atque conſtanter res morales adminiſtrarentur, & paſſim aliud alio ferri, mutari, ac miſceri omnia cerneres. Quæ enim eſſe poſſet unquam dogmatum vis, & conſtantia, ſi legis effata pro arbitrio verti contingeret, aut inutilia fieri? Atqui ita porro eveniret, ſi, ut cujuſque animus agere quidquam, vel non agere, decreviſſet, aliter ea, atque aliter ſe ſe haberent. Non hoc certe legis officium

cium caſibus regi, cujus nempe eſt veram recti viam continuo monſtrare, ſimulque docere quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error. Hinc falſo dicitur aliud eſſe verum, quod per legem in theorematis habetur, aliud, quod in praxi obtinet, quaſi quod in actu ipſo verum, aut falſum eſt, rectum, aut pravum, illud antea non fuerit, aut ſaltem non debuerit tale eſſe in anticipato judicio, quod vere ex lege inſtitutum fuerit; qua ratione & anteaquam actu quilibet circulus deſcriberetur, verum erat omnes ejus radios eſſe debere æquales. Sed enim hæc nonnullorum animis offuſa caligo eſt, quod quum aliquando animadvertant in uſu ipſo rerum facti naturam, atque indolem mutari improviſæ alicujus circumſtantiæ interventu, inde concludunt verum non fuiſſe, quod in abſtracto judicio conſtitutum erat, videlicet non reputantes haud quidem id ex ejus mutabilitate judicii, aut inconſtantia fieri, ſed quia commutatis rebus & judicia ipſa, quæ illarum æſtimatione nituntur, mutari neceſſe eſt, firma cæterum ſemper, & ubique manſura, ubi res eadem, ut mente percepta eſt, permaneret. Ex quo efficitur, quod probe tenendum, nihil ineptius eo principio eſſe, quod à quibuſdam uſurpatur, *aliud eſſe ſpeculative verum*, *aliud practice* (ſi quidem integra maneat utrinque res, de qua agitur), quum eadem lex ſit, ex qua omne, & quodlibet judicium de moribus aſſumi debet, eadem veritas, quæ tam in mente, quam in opere ipſo tenenda eſt. Hinc qui praxim cum theoretico legis judicio committunt, quaſi hæc diverſa eſſe poſſint, immo & aliquando circa eandem rem inter ſe repugnantia, perinde fecerint, ac ſi doceant quandoque facta lege non dirigi,

dirigi, aut aliquando mores eſſe poſſe a ſententia legis honeſte diſcordes.

IV.

Illud tandem in hac cauſſa præſtituo judicium quodvis, quod a lege petatur, non ſolum poſſe ad ea pertinere, quæ præſentia ſunt, vel in futurum ſpectant, de quibus ſcilicet cernitur, num liceat ipſa agere nec ne, ſed etiam ad præterita opera retrahi poſſe, ut oportuerit de illorum bono, aut malo morali cognoſcere. Quippe lex, de qua agimus, naturæ quum eamdem ſemper exhibeat ordinis veritatem, nihil mirum ſi nunquam impar ſibi de rebus quibuſcumque, & quovis tempore geſtis, aut gerendis ſemper pari modo decernat (*a*). Quo fit, ut ejus legis vi non ſolum cognoſcere poſſimus quid facto, aut non opus ſit in futurum, & num hoc, an illud nunc liceat, ſed etiam de præteritis, num ſcilicet, quod geſtum, rectum fuerit, an ſecus. Ita duplex in moralibus comparate ad actionem eſſe poterit judicium, alterum antecedens, quod ipſam actionem prævertit, antequam fiat, conſequens alterum, quod poſt factum habetur; & quidem prius judicium, quod de bono, & æquo fertur, antequam animus ad agendum accedat, plerumque ſolis bonis in uſu eſt, qui legem ſemper gerentes in oculis commiſiſſe cavent, quod poſtea emendandum ſit; alterum vero etiam improbis convenit; quippe non magnum eſt poſt factum ſapere, monente interius ipſa ſceleris conſcientia; *Sero enim*, ut in proverbio eſt, *ſapiunt & Phryges.*

V.

(a) *Rurſus ut ex lege tam de præſentibus, aut futuris cognoſcere poſſimus, quam de præteritis.*

V.

His conſtitutis, quoniam, ut ſecunda hujus operis parte demonſtratum eſt, moralitas cujuſque actionis ex ratione ejuſdem ad legem profluit, ita ut bona, vel mala habeatur, prout cum ejuſdem ordine congruit, vel non congruit; hæc propterea generalis erit moralitatis cujuſcumque operis ſeu facti, ſeu faciendi, ſive ad nos, ſive ad alios pertinentis cognoſcendæ ratio, & via, ut nimirum id, de quo quæritur, contendamus cum lege (a), indeque omnibus prudenter expenſis judicemus, num eidem omni ex parte reſpondeat, an non; quippe, ſicut antea docuimus, quod omni modo reſpondet, bonum, quod in aliquo deficit ex iis, quæ comparanda ad legem ſunt, malum habebitur in genere morum. Omnia enim ſeu facta, ſeu facienda *relativa*, ut inquiunt, ad legem ſunt, cujus imminet obſervatio, adeoque nonniſi ex reſpectu, quem habere dignoſcuntur ad ipſam, collatione facta, ſunt æſtimanda.

Fateor equidem hæc aliquando, quæ moraliter bona, vel mala dicuntur, ſenſu quodam a nobis diſtingui, quem alibi monuimus a quibuſdam *inſtinctum moralem* appellari. Verum enim vero hic ſenſus in communibus, maximeque obviis rebus, & facilioribus obtinet, in quibus & vulgus rectum videt; cæterum in gravioribus, implicatiſque negotiis ſemper comparatione ejuſmodi opus eſt, ne rerum ſpecie decipiamur, & ſub veri imagine falſum nobis illudat. Plura enim, quæ ſimilia videntur, reapſe diverſa ſunt. Hinc familiaris illa,

P ſed

(a) *Hinc generalis regula cognoſcendæ moralitatis actuum, eorundem collatio facienda cum lege.*

ſed ſalſa quorumdam querimonia, qui quum paſſim perniciosſo otio, aut libidine uſi fuerint, ubi per ſocordiam mentis vires, tempus, ingenium defluxere, ſi quid in rerum judicio peccatum ſuerit, continuo naturæ infirmitatem accuſant, propriamque culpam ad negotia transſerunt, quaſi aut illa non fuerit abunde pollens, potenſque ad ea extricanda, quæ opus erant, aut iſta ſuo velut pondere, aut improviſo fato naturam oppreſſerint. Videlicet quidquid in his, aliiſque ſimilibus obrepere ſolet mali, inde plerumque fluit, quod non admodum ſtudioſe cauſſam, de qua quæritur, intueamur, tædeatque nos examinis, quo cæteroquin extorqueri poſſet menti error aliquando gratiſſimus. Hinc etſi Burlamachius, *Principes du droit naturel* 2. *par. ch.* 3. §. 9. 10. 11., conceſſerit ex. gr. pro ſimplicioribus caſibus ad ſtatum hominis naturalem pertinentibus ſolum moralem inſtinctum ſufficere, quum in iis plerumque oporteat hominem quaſi ex tempore determinari; negavit tamen in obſcurioribus aliis ſatis eſſe, qui videlicet ex diverſa ejuſdem hominis conditione, & ſtatu exiſtere queunt, ex complexu adjunctorum vario, aut aliis mixtis relationibus, quique adeo accuratiorem poſtulant rei inveſtigationem, nec niſi ſeveriore legis conſideratione ſunt definiendi. Quidquod, ut apte idem obſervat, qui ſæpe putatur in ſingulari negotio ad nos pertinente integer moralis ſenſus, interdum corruptus eſt? Multa enim uſuveniunt in hominum vita, conſilia, opiniones, exempla, quæ aliquando tam alte animum feriunt, ut eidem adhæreſcant intime, & quaſi congenita videantur. Quare facile error incurioſum, & imparatum animum invadet, quo ſæpe turbari ejuſ-

dem

dem hominis vita queat. Id autem ne accidat, omnino providendum eſt; quod tum fiet, quando ratio aſſueverit in omnibus legem reſpicere; tunc enim ea (quod prudentis eſt) ſuis velut ponderibus, moduliſque res, ut quæque earum ſit, dimetietur, quando nudis viſis minime acquieſcens, quidquid agendum inciderit, ad juris, ut poterit, trutinam revocabit.

VI.

Atqui porro hæc, de qua loquimur, operis cum lege collatio fieri nequit, niſi a generalioribus legis principiis ad particularia deſcendamus, eaque præſertim, quæ ad ſpeciem ſingularem facti pertineant (*a*). Etſi enim lex univerſalia agendorum principia præſtituat, non deſinit tamen peculiaria ſuppeditare, aut ſaltem innuere, quæ pro ſingularibus negotiis faciant, quod cum omni legislationi commune eſt, tum vero præcipue in moribus obtinet, ubi aliquando talia ſunt, quæ ſeorſim incidunt, negotia, ut ea non aliunde, niſi ex ſingulari determinato principio oporteat regi. Quare & hæc altera priori conſimilis habebitur ad juſtam cujuſque operis cum lege comparationem regula, ut non ſolum generatim legem intueamur, ſed & particularia ejuſdem ad rem pertinentia principia aſſumamus, nec niſi ex iis de operis facti, aut faciendi probe explorata natura, quoad tulerit materiæ conditio, judicemus; futurum alioqui, ut fallamur, quando in alterutro capite legis, aut facti peccaverimus.

P 2 Hæc

(a) *Præterea ad hoc requiritur veſtigatio principiorum particularium legis, & cum iiſdem comparatio operis, de quo quæritur.*

Hæc probe animadvertenda fuerunt adverſus nonnullos, qui non admodum de ſingularibus legis præceptionibus laborantes, aſſumto tantum generali aliquo ejuſdem principio, continuo in re quavis certa, incerta, probabili, improbabili, ne quid præterea dicam, agendum putaverunt. Exempli cauſſa ex eo, quod Auguſtinus generatim dixerit: *Dilige, & , quod vis, fac*, non defuere, qui hanc dilectionem, quam ipſi *defixionem*, vel *quietem mentis in Deo* nominabant, paſſim exaggerantes de aliis, quæ ad legem pertinerent, ne minimum quidem angerentur, contendentes immo, quidquid inferioribus animi motibus cieretur, ea boni animi conditione, & obtentu honeſtatum iri. Verum non ita certe Auguſtini præſcriptum, qui ſolam quidem dilectionem ut legis totius complementum, & finem propoſuit, at quæ iners non eſſet, ſed vivax, actuoſa, quæque non omitteret in legem diligenter inquirere. Eo ſpectant omnia, quæ Sanctiſſimus Doctor de hominis erga Deum dilectione ſuis operibus adornavit. Qua de cauſſa & D. Bernardus ſcripſit in libro de diſpenſat. & præcep. cap. 14. num. 36. ad bonitatem operis (quam ipſe in oculi interioris ſimplicitate conſtituit) non ſufficere, ut *charitas* habeatur *in intentione*, ſed præterea requiri *in electione veritatem*: *Nam ſi bonum*, ſubdit, *quis diligat, ſed verum non eligat, habebit quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, & neſcio quemadmodum judicio veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas &c.* Eo etiam pertinet, quod toties habet D. Thomas, ad integritatem moralem actionis requiri *appetitum rectum*, qui non ſolo honeſti finis propoſito definiatur, verum etiam habeat *rectam apprehenſionem de*

fine

fine, ſeu re, de qua agitur, quæ quidem nonniſi *per rectam rationem eſt*; 1. 2. qu. 19. art. 3. ad 2. Quare & ibidem ſubjicit ar. 2. ad 3. malam eſſe voluntatem *ſive ſit ejus, quod eſt ſecundum ſe malum, & ſub ratione boni, ſive ſit boni, & ſub ratione mali*. Quod ſane nil aliud demonſtrat, niſi ubi rei veritas, quæ ex lege eſt, haberi opportuna diligentia poſſit, non eſſe cur quis ſibi honeſti finis cauſſa, vel beneficio blandiatur; quippe, quæ magnificari tunc bona intentio ſolet, certe non prodeſt, ubi neglectæ legis officium nocet; nocet autem ſemper, quando, qua par eſt, animi contentione in ſingulari, quod oportebat, negotio quæſitum non fuit. Idem dicatur de iis, qui particularia, quæ probe norunt, legis effata ad rem ſpectantia in adverſum, alienumque ſenſum trahunt, ut ſibi, aut aliis gratificentur; quod ſi in humano jure ferendum non eſt, ut nempe quis *verba legis amplexus contra ejuſdem nitatur voluntatem, aut regalem ſenſum contemnat*, cod. lib. 1. tit. 14. l. 5., & 22., multo id minus tolerabile habebitur in lege Dei, circa quam non licet arbitria facere ſalva ejuſdem, qua nihil majus, aut ſanctius eſt, majeſtate. Quod autem de neceſſaria legis inveſtigatione diximus pro ſingulari, de qua agitur, cauſſa, id ipſum pari jure intelligendum eſt de cognitione operis ſeu facti, ſeu faciendi, quod cum legis principio comparandum eſt. Certum eſt enim legem, quæ ſui veritatem non mente ſolum, ſed facto ſervandam præcipit, nos obligare, ut, quoad poſſumus, in rei naturam, quæ cum lege contenditur, ſedulo inquiramus, ne forte alicujus adjuncti, aut alterius capitis prætermiſſione

miſſione decipiamur in facto, quod, ubi vitari potuerit, in vitio eſt. Sed quandonam in hac cauſſa inculpatus error obrepere poſſit, alibi explicabitur.

VII.

Finis hujuſce collationis, qua opus ſive factum, ſive faciendum cum principiis legis aut generalibus, aut particularibus, ut poſtulat rei conditio, contenditur, non alius eſt (quantum ex vi, & natura ipſa comparationis eſt) niſi ut dignoſcatur, num vere illud, de quo quæritur, liceat nec ne, ſeu de abſtracto tantum judicio ſermo ſit, ſeu de particulari, & practico (*a*). Eo enim ducit nutu ſuo cujuſque inſtituti examinis ratio, & finis, ut nempe cognoſci debeat quid rei ſit, de qua agitur, ſeu ejuſdem veritas. Quum autem tota, quanta eſt, veritas moralis nonniſi per relationem quandam ad legem intelligatur, qua nimirum fit, ut tale quid vere ſit in ordine morum, eoque ſenſu rectum, aut pravum, prout cum ejus ordine convenit, vel non; conſequens inde exiſtit, quidquid demum inſtituta facti cum lege comparatione inquiratur, ex ſe, atque ut poſtulat ejus ordo examinis, non aliud eſſe debere, niſi illam ipſam veritatem, quæ habetur, & quæritur in eo, quod fit, aut factum, vel faciendum eſt, per legem. Hinc proinde in eo, qui ejuſmodi comparationem efficit, non alius exiſtere debet finis, quam quem poſcit ipſa rei, & examinis, quod de illa inſtituitur, natura, nimirum cognitio moralis veritatis: Quæ altera etiam regula eſt ad moralitatem operum dignoſcendam ex parte inquirentis ipſius omnino requiſita.

Et

(a) *Ejus comparationis, quæ aſſumitur, finis non alius quærenti eſſe debet, niſi cognitio veritatis.*

Et vero qui fieri poteſt, ut veritatem invenire queat, qui ejus amore non capitur, immo aliquando (quod nonnullis gentile eſt), ne ſe offerat, reformidat? *Si ſapientia, & veritas*, ajebat Auguſtinus ex ipſorum Manichæorum ſententia lib. de morib. Eccl. cap. 17, *non totis animi viribus concupiſcatur, inveniri nullo pacto poteſt*. Quod cum in humanis diſciplinis experimento comperitur, tum multo id magis de veritatibus morum affirmandum eſt, quas tam ſæpe vitium æmulatur, ac fingit, ut earum paſſim captet imaginem. Vincit quidem aliquando veritas vel invitum; neque enim uſque adeo terrenorum affectuum labe natura humana detrita eſt, ut quandoque verum non ſentiat, aut videat. Teſtis vel ipſa hypocriſis, quæ, ſi propius conſideretur, ut animadvertit noſtri ævi liberrimus Scriptor, *Traitè ſur la tolerance ch.* 16., nihil eſt aliud, niſi *tributum quoddam, quod vitium pendit virtuti*, quæ idcirco virtus niſi agnoſceretur, nemo ejus ſimilitudinem concupiſceret. At enim numquid indeterminatis tantum, & vagis virtutum notionibus regitur hominum vita? An non alia multa in ejus uſus manant, atque funduntur ſive ad Deum, ſive ad alios pertinentia, quibus nulla pars vitæ vacare debet: quæ profecto niſi te te ipſum collegeris, ac ſtudueris, cum damno latent, atque otioſa ſunt? Ita plerumque fit, quod idem docebat Auguſtinus, ut veritas nec agnoſcatur, niſi a volente, nec ipſa niſi volentem vincat. *Amore*, inquit laud. loco, *petitur, amore quæritur, amore revelatur*. An nobiliſſima hæc *Cœli filia* ultro ſemper ſe ſe repugnantibus ingeret?

VIII.

Veritas quævis moralis, ut & alia cujuſque generis conſiſtit in adæquatione rei ad ſui principium, & menſuram. *Vera enim in tantum vera ſunt, in quantum ſunt; in tantum autem ſunt, in quantum principalis unius ſimilia ſunt; ea forma eſt omnium, quæ ſunt, quæ eſt ſumma ſimilitudo principii, & veritas eſt, quia ſine ulla diſſimilitudine eſt*: S. Auguſtinus lib. de vera Religione cap. 36. Principale autem, quod in rebus moralibus obtinet, & quoad nos, eſt lex ipſa Dei nobis communicata tanquam regula, & menſura cognoſcendorum, atque agendorum. Veritas ergo in rebus moralibus, de quibus agitur, tum a nobis habebitur, quando de ipſis judicaverimus, ut in ſe ſunt, ideſt in ratione ad legem, a qua habent, ut ſint morales, & in hoc, vel illo ordine, & modo, quo ad legem ſunt. Hinc illud D. Thomæ principium a quolibet in moralibus diſcuſſionibus adhibendum, ut inveniatur veritas: *Unamquemque ſcilicet debere niti ad hoc, quod de rebus judicet ſecundum quod ſunt*, 2. 2. q. 60. ar. 4.

Atque hæc porro iſtius principii firmiſſima ratio eſt: Veritas, ut a nobis cognoſcitur, ſeu percipitur, non conſiſtit, niſi in adæquatione intellectus ad rem, ut in ſe eſt, quocumque in genere conſideretur. Quippe intellectus noſter non eſt ratio, & menſura rerum, ſicut intellectus divinus, a quo omnia ſunt, & cui proinde, ut congruunt res, & ſunt, & veræ ſunt; ſed res ipſæ ſunt potius ut objecta, & terminus cognitionum noſtrarum, ſic

&

(a) *Hinc inquirens debet ſemper niti in hoc, ut de rebus judicet, ut in ſe ſunt.*

& menſura, ac ratio ejuſdem noſtræ cognitionis; quo fit, ut intellectus ſe conformare debeat rebus, ut in ſe ſunt, quo dicatur verum cognoſcere, aut cognoviſſe, non ſe ſe res debeant attemperare intellectui, quo veræ ſint. Hinc ſcribebat Nyſſenus in libro de vita Moſis: *Hæc eſt, ut ego ſentio, veritatis definitio, firma ejus, quod eſt, intellectio; falſitas enim phantaſtica quædam eſt circa id, quod non eſt, comprehenſio, quaſi ſubſiſtat, quod non eſt*. Et Auguſtinus lib. 2. Soliloq. cap. 5. *Verum eſt, quod ita ſe habet, ut cognitori videtur, . . . falſum, quod aliter, quam eſt, videtur*. Quum igitur veritatis cujuſque natura, ut a nobis percipitur, in eo ſita ſit, quod intellectus conformetur rei, ut eſt in ſe, futurum alioquin, ut ſit falſum, quod ſecus percipit; illud neceſſario exiſtit, quod poſitum, in re morali, de quocumque opere agatur, debere quemque ſumma ope niti, ut cognoſcat quale quidque in ſe ſit per comparationem ad legem; nam in ejuſmodi operis ad legem ratione intelligitur, quæ vere eſt, ac dicitur de peculiari quacumque re moralis veritas. Atque hinc deprehenditur, quam recte D. Thomas citato loco diſtinxerit inter judicium, quod habere de perſonis decet, atque illud, quod ferendum de rebus eſt. Quippe in judicio, inquit, quod de rebus habetur, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipſius rei, de qua judicamus, quia nihil nocet, qualitercumque judicemus de ipſa, ſed attenditur ibi ſolum bonum judicantis, ſi vere judicet, vel malum, ſi falſo, quia verum eſt bonum intellectus, falſum autem eſt malum ipſius, ut dicitur in 6. Ethic. cap. 2.; proinde quiſque

eo debet contendere in quovis judicio de rebus, ut de iis ſentiat, prout in ſe ipſis ſunt. Ex adverſo, quum de hominibus judicamus, præcipue attenditur bonum, & malum ex parte ejus, de quo judicatur, qui hoc ipſo honorabilis habetur, quod bonus judicetur, & contemtibilis, ſi judicetur malus; & ideo ad hoc potius tendere debemus in tali judicio, ut hominem judicemus bonum, niſi manifeſta ratio in contrarium appareat; ipſi autem homini judicanti falſum judicium, quo bene judicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipſius, (ſicut nec ad ejus perfectionem pertinet ſecundum ſe cognoſcere veritatem ſingularium contingentium) ſed magis pertinet ad bonum affectum.

IX.

Niſus autem ille, quo quis contendit in verum, de quo quærimus, morale, ut illud per memoratam operis cum lege comparationem cognoſcat, ſemper ordinem, proportionemque habet ad vim, ac facultates ejus, qui inquirit (a). Quippe contentio cujuſque in quamcumque rem, de qua agatur, major eſſe non poteſt ſecundum naturæ conditionem, quam ejus valeat ad id ipſum comparata virtus, qua conatum exercet. Hinc proinde etſi in quibuſdam maxime obviis, facilioribus, conjunctiſque naturæ quilibet poſſit de vero, & bono morali cernere, non tamen in abſtruſioribus caſibus, qui acutiorem poſtulant intelligendi vim, nec niſi longa argumentorum, & concluſionum ſerie poſſunt definiri. Quamobrem id etiam in hoc judicii genere cavendum, ne quis temere

(a) *Ut conatus ad inveniendum verum proportionem habeat ad inquirentem, nec ideo quiſque de quolibet poſſit judicare.*

temere aliquid ſtatuat, atque operi imparatus cum proximo errandi periculo audeat in proprio ſenſu abundare. Sic enim plerumque male conſultis pretium eſt prudentia fallax.

Dixi id non licere cuique *in abſtruſioribus caſibus*, quos facile ut tales ex rerum natura, & complexu cognoveris. Namque in aliis officiis, quæ congenita veluti naturæ ſunt, quis eorum non dixerim cognitionem, ſed ſenſum ipſum vel rudioribus invideat? *Manifeſta ſunt*, inquit Apoſtolus ad Galat. 5., *opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia*. Quæ quidem omnia appellavit *opera carnis*, quia aperte pugnant cum interiore ſpiritus lumine, quo quiſque ſibi in iis, ut olim Gentes, eſſe poteſt lex. At interim ex eo non ſequitur, qui in his judicare poteſt, eundem æque de aliis poſſe cognoſcere, ad quæ nec natura, nec arte, aut alterius generis beneficio ſatis comparatus eſt. Hinc in iis rebus periculoſe admodum, quod admonuit Burlamachius cit. lib. *par. 2. ch. 9. §. 4.*, ab ejuſmodi hominibus judicium aſſumitur, nec vacant graviore temeritatis nota, dum id ipſum implent, quod eo modo ab ipſis præjudicatum eſt. Tales cenſentur, inquit ille, qui paſſim lites de Religione ſerunt, aut ſe ſe implicant difficilibus de re morali, aut politica quæſtionibus, quibus percipiendis, aut extricandis impares ſunt. Hos etiam Puſendorfius voluit lib. 1. de officio hominis, & civis in ſimilibus rebus ab omni judicio temperare, ne imprudentes audiant, *quamdiu nihil eſt, quod conſenſum velut extorqueat, cogatque*

provi-

proviſionale judicium quodammodo efformare. Tandem & in hanc rem bene, compoſiteque S. Auguſtinus libro de utilitate credendi cap. 12. de his ſermonem habens, quos ipſe appellat *Stultos* in religionis negotio, evidenter oſtendit, quemadmodum multo conſultius ſit eoſdem Sapientum regi conſilio, quam ſuo: *Nemini*, inquiens, *dubium eſt omnes homines aut ſtultos, aut ſapientes eſſe. Nunc autem ſapientes voco non cordatos, & ingenioſos homines, ſed eos, quibus ineſt, quanta ineſſe homini poteſt, ipſius hominis, Deique firmiſſime percepta cognitio, atque huic cognitioni vita, moreſque congruentes; cæteros autem cujuſque modi artibus, inertiiſque affecti ſint, quolibet victu probandi, ſive improbandi, ſtultorum in numero deputaverim. Quæ quum ita ſint, quis mediocriter intelligens non plane viderit ſtultis utilius, atque ſalubrius eſſe præceptis obtemperare ſapientum, quam ſuo judicio vitam degere? ... Atque hoc ſi in rebus minoribus, uti in mercando, vel colendo agro, in uxore ducenda, in ſuſcipiendis, educandiſque liberis, in ipſa denique re familiari adminiſtranda expedire nemo ambigit, multo magis in Religione Nam & res humanæ promtiores ad dignoſcendum ſunt, quam divinæ, & in quibuſcumque ſanctioribus, & præſtantioribus, quo majus eis obſequium, cultumque debemus, eo ſceleratius periculoſiuſque peccatur*. Addo, ubi quis non ſatis aptus, aut neceſſariis ad quidquam cognoſcendum ſubſidiis deſtitutus de re judicium aggreditur, plerumque, quod ita opinatur, aut judicat, non ex veritatis ſtudio, ſed vel ex antecepta opinione, vel ex interiore affectu quodam animi proprio, & ſuo proficiſci. Id enim efficere ſolet dominans animi ſenſus, aut præjudicata ſententia, quæcumque illa ſit,

ſit, quod & ſcribebat Helvetius ipſe *De l'eſprit diſc. 1. ch. 3.*, ut non ſolum res, quæ proponitur, ſub ea tantum facie, qua placet, videatur, quocumque alio proſpectu impedito, verum etiam ut illud ipſum, quod quis vult, illic videat, ubi non eſt, quippe præoccupata mens non conſuevit, niſi quod maxime cupit, in rebus cernere. Ubi autem iſta officiunt, haud facile animus verum providet. Quis enim unquam omnium libidini ſimul, & veritati paruit? Quarum altera nec modum habet, neque conſilium, altera niſi certa ratione, modoque tractari non vult.

X.

Poſitis his, quæ omnino requirebantur tum ex parte rei, tum ex parte judicantis ad rectam, juſtamque operis cum lege comparationem, ſententia, quæ inde elicitur, ea porro eſt, quæ veritatem moralem, ſeu practicam rei exprimit, aut non. Quippe ſi recte educta ex antecedentibus fuerit, uti par eſt, inter ſe comparatis, tum ipſa juſta ſententia erit, & rei reſpondebit, ut eſt in ſe, atque exiſtit in ordine morali per ſui relationem ad legem; ſi autem ex antecedentibus etiam veris, ſed male educta fuerit, tum profecto falſum erit, quod ſtatuet in eo ordine moralitatis, quippe non exprimet verum reſpectum, quem in eo caſu habet opus ad legem; quod ad falſitatem ſufficit in eo genere, de quo quærimus.

Conſtant

(a) *Ut ad rectum in moribus judicium præter juſtam comparationem operis cum lege requiratur ſententia recte deducta.*

Conſtant hæc, & neceſſario fluunt ex prædictis. Namque ſi veritas, ut a nobis percipitur, aut exprimitur, in eo ſita eſt, quod cogitatio, aut locutio noſtra reſpondeat rei, ut eſt in ſe; manifeſtum eſt ſententiam, quæ in genere morum non reſpondeat rei, ut in ſe eſt, ſeu talis, vel talis, ideſt bona, vel mala in ſuo ordine relationis ad legem, prorſus falſam eſſe. Id quod, ut patet, non ſolum ex male facta comparatione operis cum lege contingere poteſt, ſed etiam ex eo, quod perperam, & abs re ſit ducta concluſio. Sic non inſolens eſt, ut quis in deducendis ſententiis etiam ex rectis principiis fallatur, ſive attentionis defectu, ſive occulto vitio animi, cui veritas odio ſit. Itaque, ut veritas moralis habeatur in hac, de qua agitur, ducenda ſententia, oportebit animum integrum, ſincerumque afferre, qui nec plus, nec minus affirmet, quam quod ex data comparatione animadvertit exiſtere. Veritas enim talis non eſt, quæ poſſit noſtro arbitratu mutari. Conſtat ipſa vi naturalis, & eſſentialis conceptus ſui, qui variari nequit, quin ipſa rei, quæ ponitur, exiſtentia tollatur. Neque enim, pulchre ajebat Auguſtinus lib. 2. de doctr. chriſt. cap. 39., ſicut prima ſyllaba *Italiæ*, quam brevem pronuntiaverunt veteres, quia voluit Virgilius, longa facta eſt, ita quiſquam poteſt efficere, quum voluerit, ut ter terna non ſint novem, aut non efficiant quadratam figuram &c.; quippe hæc ex ipſa natura rerum, & relationum eſſentialium determinata ſunt, neque adeo, quemadmodum de quavis alia veritate dicendum, ullo poſſunt hominum ingenio, aut conatu turbari.

XI.

XI

Ex hoc porro ſequitur, quoniam in toto iſto ſeu comparationis, ſeu ſententiæ negotio nihil aliud, quam veritas quæritur, nullam idcirco partem in hoc opere voluntati conſtare debere, niſi ut veritatem appetat (*a*); cæterum, quod pertinet ad cognitionem rei, univerſum officium nonniſi ad intellectum ſpectare. Quippe intellectus tantummodo munus eſt quærere verum, cui hoc ipſum, ut objectum, a natura propoſitum eſt, non voluntatis, quæ ex ſe cæca facultas eſt, quæque ideo poterit quidem in re aliqua exprimere inclinationem ſuam, minime vero ullum judicium interponere de veritate, ſeu re, ut in ſe eſt. Ex quo proinde intelligitur, quemadmodum perperam eo in caſu cognitio veri ad voluntatem referretur, ita abs re prorſus, atque abſurde affirmari ſententiæ definitionem ab inclinatione voluntatis in hanc, vel illam partem, qua moveatur intellectus, repeti poſſe; quaſi vero cujus potentiæ eſt intellectum applicare ad inveſtigationem rei, ejuſdem poſtea ſit intellectum ad eam, quam voluerit, partem propellere, ut nimirum illud tanquam verum habeat, ſeu in praxi licitum, quod placuit voluntati.

Hoc etiam nunc obſervandum adverſus nonnullos fuit, qui in eam ſententiam inciderunt, ut, ſi contingeret intellectum ex. gr. in ſuſpenſo remanere, nec liquido veritatem cognoſcere, tunc poſſet voluntas æquilibrium illud, ut ponitur, intellectus disjicere, eumque ad hanc, vel illam partem

(a) *Quemadmodum in ferenda ſententia nullus voluntatis arbitrio locus eſſe debeat, ſed tantum intellectui.*

tem inclinare. Quæ quidem ſi admittatur opinio, mirum, quam latius ſerpat, ut nihil in re præſertim morali integrum relinquat, & incolume. Scilicet tunc cujuſque arbitrio mutabuntur eſſentiæ rerum: quiſque pro lubitu quod petiit ut bonum, ſpernet, repetet, quod nuper ut malum omiſit, atque ut in cibis, & dubia cœna licebit cuique pro guſtu, & palato ſuo abundare. An hæc moralis doctrina, quæ mutat omnia, diruit, ædificat, atque ordine toto ſibi diſconvenit, ut ideo nihil certi habeatur, & penſi, quo morum tueamur conſtantiam, ſed univerſa pro mirabili diſſimilitudine ingeniorum, & unius, ejuſdemque hominis levitate prodigialiter varientur, & ſingula quæque tempeſtatis prope ritu mobilia fiant, & cæca ſorte fluitantia? Itaque exulatum hinc etiam volumus tetrum illud principium, quo omnia in incertum revocarentur, aliquam ſcilicet in moralitatis ſententia competere voluntati partem; quod ſi ſemel, aut in aliquo tantum caſu admittatur, non video, cur in aliis retineri nequeat, atque ita univerſam morum doctrinam perditum eat.

XII.

Teneatur igitur, quæ eſſe debet hactenus dictorum ſumma, unum cognoſcendæ moralitatis modum eſſe, qui ex juſta exiſtit facti cum lege comparatione, indeque recte deducta ſententia; quod pro omnibus temporibus, & caſibus valet, etiam ubi ſenſu de rebus judicamus ipſis, quum etiam moralis ſenſus in his, quæ obvia ſunt, hanc comparationem ponat, vel anteceptam quaſi animo habeat: nihil in hac parte libidini, voluntati, arbitrio,

(a) *Summa dictorum.*

bitrio, propenſioni quid juris eſſe: totum hoc ratione, ſeu intellectu tantum definiri; ut ideo qui alio modo velint morum veritates quærere, non eas proprie, ſed ſe ipſos quærant, voluntatem ſuam, appetitum ſuum; quod cum in aliis turpe eſt, tum vero in morum dogmatis longe turpiſſimum, ubi de rerum ſumma agitur, a qua vel æterna ſalus pendet, vel nunquam deſitura calamitas: ut interim prætermittam innumera alia, quæ in rem privatam, & publicam exiſtere poſſent mala, & porro evenirent certiſſime, ſi alia ad arbitrium reciperetur veſtigandæ, cognoſcendæque moralitatis via, de qua re toties dictum eſt.

XIII.

Jamvero ex hactenus diſputatis liceat nunc quædam mihi ad judicium hoc, ſententiamque pertinentia colligere, quo etiam reliqua, de quibus dicturi ſumus, ad cognoſcendum magis, magiſque in aperto ſint (a). Et 1. quidem illud omnino ex antea dictis ſequitur, quoniam veritas rei, quæ in quæſtione verſatur, ejus diſquiſitionis, atque judicii moralis tum finis, tum objectum eſt, non licere cuiquam eamdem ſeu cognitam jam, ſeu cognoſcendam prætextu quovis in invidiam vocare, ne alienus ab ea cujuſque animus fiat. Quocirca nefas erit illam, qualitercumque ſe habeat, ut nimis duram, difficilem, aſperam exaggerare, aut tanquam publico bono, aliiſque humanæ ſocietatis adminiculis repugnantem. Quippe hac loquendi ratione cum id ſignificatur,

Q quod

(a) *Quemadmodum non liceat morali cuicumque veritati ſub quolibet prætextu invidiam creare &c.*

quod prorſus falſum eſt, tum vero offendiculum ponitur ſimplicioribus in Dei lege, &, quod potius eſt, nos ipſos, propriaque commoda anteponimus ordini divinitus præſtituto, dum ex ingenio noſtro, non ex legis indole quid in moribus deceat, ſeu bonum, quid repugnet, ſeu malum æſtimamus, & porro ab aliis ſic volumus æſtimari.

Dixi utrumque falſum eſſe, quod dicitur, & veritatem, quæ ex Dei lege, ut refertur ad mores, elicitur, nimis duram eſſe, ac intractabilem; rurſus & eamdem aliquando cum publicæ felicitatis cura pugnare. Primo enim non decet, tanquam nimis durum traducere, quod jubet Deus, ac jubendo monet & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis. Deinde hæc plerumque, immo ſemper cupiditatis vox eſt, cui profecto plus æquo grave videri oportet, atque etiam intolerandum divinæ legis jugum, quemadmodum & cujuſque alterius generis ſanctio, qua eripiatur peccandi licentia, quæ corruptæ inclinationi accommoda eſt. Itaque hæc calumnia poterit ex æquo cuilibet legi inſcribi, quæ eo ipſo, quod vim dirigendi habet, eſt delictorum, quæ ſponte, vel ignorantia contrahuntur, coërcitio. Tandem & illud animadvertendum eſt non ex noſtri mollitie animi, qui ſæpe languidis liquefactus eſt voluptatibus, ſed ex virtutis robore penſandum eſſe officium, quod nos gravat; tumque conſtabit, quod & veteribus Philoſophis viſum, magis naturæ induſtriam hominum, quam alia neceſſaria deeſſe. Hinc ſcribebat Seneca epiſtola 116. *Scis, quare non poſſumus iſta? Quia nos poſſe non credimus. Immo mehercule aliud eſt in re. Vitia noſtra, quia amamus, defendimus,*

&

& malumus excuſare illa, quam excutere ... Nolle in cauſſa eſt: non poſſe prætenditur &c. Quidquod etſi durum aliquid, atque operoſum offendatur in lege, num propterea deſinet obligare, quaſi ejus cauſſa infirmata ſit legis virtus? Notum eſt, quod de humanis legibus ſcripſit Ulpianus dig. de juſt. & jur., quodque conſtanti uſu retinetur, quando videlicet aliquid vere durum in caſu particulari inciderit, adhuc tamen ſervandam eſſe ſententiam generatim conſtitutam, quia etſi dura lex, tamen ſcripta eſt; id quod pertinet ad publicum bonum, ut quæ ſemel pro omnium utilitate ſancita ſunt, particularibus exceptionibus non ſubſint, aut mutabilia fiant. An vero, quæ admittitur in civili regimine, legum conſtantia, & veritas, non agnoſcetur in Deo, qui ut dux, atque imperator omnium, ac præſertim vitæ mortalium jus habet, ut, quidquid præcepit tanquam inviolabile, & ſanctum, ab omnibus hominibus teneatur, quibus ſola obſequii gloria relicta eſt? Venio nunc ad alterius generis calumniam, qua morales, ut ex lege Dei colliguntur, veritates impetere quidam olim conſueverunt liberrimi ingenii homines ceu publicæ felicitati inimicas, aut cum politico regimine inconciliabiles, quaſi vero aut bonum bono adverſum eſſe queat, aut rectus ordo ordini. Profecto quicumque animadvertat, quod & Manilio obſervatum eſt, nihil quidquam in hac tanta rerum mole magis admirabile eſſe, quam ratio, & certis quod legibus omnia pareant, nunquam in animum inducet ſuum, ut putet Deum, qui tanta pro hominum felicitate, & cura molitus eſt, quanta in communi rerum ordine cernimus, eumdem poſtea voluiſſe homini legem dare, qua ſuum ipſius bonum non curaretur,

 quan-

quantum etiam in hac vita haberi poſſet, immo potius labeſactatum iret. An eo ſpectat ordo rationis, quo ſe ipſum, & ſua regere poteſt homo, atque ad certam normam componere, ut tandem iſte idem in ipſius perniciem, & exitium vergere debeat? Quod de communi regimine dicitur, ex æquo falſum. Quicumque rectus obtineat inter homines ordo publicus in communem felicitatem ſpectat, & ideo rectus eſt, quia continetur ſub ordinata æternæ legis obedientia, quæ cujuſque ordinis, ac legis archetypus eſt, & caput, & fons. Neque enim, quod alibi demonſtratum fuit, rectum eſſe, aut dici poterit, quod illi æternæ legi, ut hominibus per rectam rationem communicata eſt, repugnat. Legumlatores ipſi non aliunde, quam ex hujuſmodi divinæ legis ordine hauſerunt, quo publicum bonum vere, atque, uti par eſt, ſalubriter curarent. *Ubinam ſunt*, ſcribebat S. Auguſtinus lib. 14. de Trinit. cap. 15., *iſtæ regulæ ſcriptæ*, ſcilicet recte vivendi? *Ubi quid ſit juſtum & injuſtus agnoſcit? Ubi cernit habendum eſſe, quod ipſe non habet? Ubi ſcriptæ ſunt, niſi in libro lucis illius, quæ Veritas dicitur, unde omnis lex juſta deſcribitur?* Itaque inaniter fingitur morales quaſcumque veritates, quæ ex lege Dei profluunt, cum juſtis, atque in rem communem vere ſpectantibus cujuſque adminiſtrationis, aut ſocietatis regulis pugnare, quum e contrario nihil rectum, planeque utile in humanis ſit, quod ab æternæ legis, qua omnia contineri, ac regi decet, veritate non deſcendat. Duæ ſcilicet Reſpublicæ ſunt, quas animo complecti oportet; altera magna, & vere publica, qua, ut ajebant veteres Philoſophi, Dii, atque homines continentur;

tinentur; altera parva, cui nos adſcripſit conditio naſcendi. Et quoniam poſterior hæc prioris ambitu comprehenditur, a qua pendet, ut ſit, & tuta ſit, cavendum propterea, ne hujus ſtudio majoris, ideſt divinæ ſocietatis jura violentur, atque ita etiam humana peſſum eant: erit enim ad omnia promtum iter, & patens, ſublato, aut converſo in pretium Deo. Teſtis Helvetius *De l'eſprit diſc. 2. ch. 13. 14. &c.*, qui, dum nimium *politicæ probitati*, ſeu potius, ſicut ipſe explicat, *utilitati* ſtudet, eouſque progreſſus eſt, ut & Lacedæmoniorum furta defenderit, & frequentatas Sylveſtribus hominibus parentum cædes, & turpiora quæque Græcorum flagitia; quod nempe hæc, & alia id genus, ut ipſe putat, eorum gubernationis forma, atque utilitatis ratio poſtularet.

XIV.

II. Si veritas una, qualis exiſtit, atque haberi per legem poteſt, in moribus quærenda, atque tenenda eſt, improbanda igitur eorum ſentiendi, agendique ratio, qui aliis quidquam ſupra veritatem præſtituunt, quod ſequantur, quaſi vero ſemper bonum ſit, quod aſperius, immo & non aliquando in officium impingat id ipſum, quod ſeverius videtur (*a*). Sola veritas homini propoſita eſt agendorum regula: ſive faveat illa, ſive repugnet, quidquid ipſa præſcribit, tutum eſt. Ultra fas trepidant, qui ſibi quid tutius præter veritatem ominantur, qua ſcilicet una conſtat recti via. Quæ enim conformatio cum æterno rerum ordine eſt menti *verum*, quum eam cognoſcit, eadem eſt

 animo

(a) *Ut non liceat in moribus quid præter, aut infra veritatem ſtatuere &c.*

animo *rectum*, & *honeſtum*, quum eam eligit. Hinc & verum pro æquo bono, ſive adeo pro juſto ſemper acceptum eſt; unde & *vere vivere* antiquis dictum pro eo, quod recte, & convenienter vivere. Atque hoc etiam multo magis adverſus illos tenendum eſt, quos nulla tangit moralis veritatis cura, & ſemel ac aliqua ſpecies veri animum attigit, continuo, quod eo modo ſiſtitur, agendum putant, perinde ac ſi in omnibus ſola veritas quærenda non ſit, ſed aliquoties ejus tantum ſimilitudo ſufficiat, aut ſaltem inculpatus haberi poſſit error, qui ex incuria ejus inquirendæ profectus eſt.

Unam veritatem in moribus conſtitutam eſſe, quam teneamus, cum ex omnibus conſtat, quæ antea diximus, tum vero id ipſum luculenter oſtendit clariſſimus Scriptor Joſeph Guerreri Canonicus Placentinus in libro, cui titulus: *Trattato de' Principj dimoſtrabili della Fede Criſtiana tomo 6. cap.* 11. *art.* 1. Collectis enim undecumque venerandæ antiquitatis monumentis evidenter probat non aliud Patres in quæſtionibus morum, quæcumque occurrerent, finiendis præ oculis habuiſſe, niſi ſolam, & ſimplicem veritatem, ita ut nec quod quibuſdam *tutius* dicitur, & plerumque, ut Hieronymi verbis utar epiſt. 83. ad Ocean. cap. 2., *ſuperſtitioſius magis eſt*, *quam verius*, ſequerentur, nec, quod aliis placuit, tantum probabilitate, ut familiarius, ac lenius id nominis in hac cauſſa accipi conſuevit, contenti eſſent. Et vero quum legis virtus hæc ſit, ut docet Modeſtinus dig. lib. 1. tit. 3. l 7., *imperare*, *vetare*, *permittere*, nec niſi per legem veritas morum conſtet, apertum eſt, quidquid lex permittit, non

minus

minus verum, ac tutum eſſe, quam quod aut præcipit, aut cavet, proinde ex æquo licere, quod ita lex concedit, ſequi, quemadmodum in aliis reapſe non licet aliter ſe habere, quam ferat ejuſdem legis præſcriptum. Hinc propterea non bene præcipiunt, qui ſemper legem contra hominis libertatem interpretantur, quaſi hæc duo perpetuo invicem pugnent, quum e contrario multa concedat lex, quæ ſi omittantur, non raro periret & finis, & ratio ipſa legis, eoque poſſet res deduci indiſcreta opinione, ut de medio tolleretur omnis, quæ per legem in rebus eſt, bonorum, malorumque diſtantia. Atque hæc quidem de primo erroris capite; nam quod ad alterum ſpectat, ſatis fuerit laudati graviſſimi Viri ſententiam proferre, quam ex italico ſermone ſic latine converto: *Quum primum probabilitati nimis creditum eſt, langueſcere cœpit ſtudium veritatis, quæ profecto ſæpius occurriſſet, niſi quibuſdam quaſi ſupervacua, pluribus etiam ſuſpecta fuiſſet, & inviſa. Cui enim fucata tantum ejus ſpecies ſufficit, quid ultra laboret? Intra ſpem veniæ cautus ſub ejus velut umbra latebit, nec quidquam formidabit, ubi ſola, & qualibet probabilitas pro muro eſt. Si quid inciderit mali, rei vitium dicetur, non animi: Quaſi vero & illud non pertineat ad animi vitium, in quo negligentia peccatum eſt &c.* Ita nimirum fit, ut qui rectum iter veritatis amiſerint, in diverſa abeant æque periculoſa, & falſa; velut ſylvis, ubi paſſim palantes error certo de tramite pellit, ille ſiniſtrorſum, hic dextrorſum abit: unus utrique error, ſed variis illudit partibus. Quare, ut hoc caveamus, alte retinendum erit etiam in rebus morum, quod Marcianus de publicis judiciis ſtatuit: *Perſpiciendum*

 eſt

eſt judicanti, ne quid aut durius, aut remiſſius conſtituatur, quam cauſſa depoſcit: nec enim aut ſeveritatis, aut clementiæ gloria affectanda eſt: ſed perpenſo judicio, prout quæque res expoſtulat, ſtatuendum eſt. Quod non alio ſpectat, niſi ut in omnibus, quoad poſſumus, teneamus, & tueamur legis veritatem, ex qua una penſandum eſt quid bonum, aut malum ſit, quid liceat in moribus, aut non.

XV.

III. etiam quia ſola veritas moralis ſervanda eſt, quæ per legem exiſtit, atque obtinet, conſentaneum eſt huic principio dicere nihil aliud in moribus præter veritatem per ſe vere, & proprie obligare, & quidem eo modo, quem circa facienda, fugiendaque præſcribit eadem ipſa lex (*a*). Quum enim *vinculum juris*, quo neceſſitate ad aliquid adſtringimur, & *obligatio* appellatur, nonniſi a jure ipſo, ſeu lege originem habeat; perſpicuum eſt, quoniam ſolum id, quod verum eſt, ideſt proprie legi reſpondet, ex eadem legis ſanctione derivat, illud inquam, ſolum utpote legis præſcripto conſentiens per ſe, ac vere obligare, non aliud, quod etſi ex lege putetur eſſe, tamen reapſe non eſt. Hinc propterea error, cujuſcumque rei, aut generis ſit, ſive inculpatus, ſive non, nunquam ex ſe proprie obligabit, quaſi vim legis obtineat, quia nempe alienus a lege eſt, nec poteſt vere obligare ex ſe, quod legis veritatem offendit; licet obligare, atque adſtringere improprie eo ſenſu dicatur, quod nihil quidquam adverſus præſumptam, manentemque opinionem legis agendum ſit; quippe tunc perinde ſe habe-

ret

(a) *Quemadmodum ſola veritas in moribus vim habeat per ſe obligandi, nunquam error &c.*

ret contra procedens animus, ac ſi legem violare intenderet, quam præſentem, obligantemque etiam per errorem percepiſſet.

Videlicet quidquid ex lege, aut per legem habetur, illud ſolum verum, æquum, bonum, ac juſtum eſt, proinde ut veritas a lege emanata obligat, qualis eſt quæcumque per Dei legem exiſtit, ac obtinere debet in moribus. Obligat autem, quo modo lex, quia non aliter veritas eſt, niſi quia a lege, & per legem eſt; atque eo ſenſu affirmatur ipſam per ſe, & proprie obligare. Hinc ſæpius in Scripturis lex Dei dicitur *veritas*, rurſumque veritas, ſive verum, quod a lege eſt, *lex* nominatur, ut pateat unam, & eandem eſſe veritatem, & quæ legis ſecundum ſe eſt, & quæ participatur a lege, ſeu exiſtit, atque cognoſcitur in opere per ipſam legis ad illud comparationem, quæ veritas, ut ajunt, *practica* eſt, atque adeo unam, & eandem eſſe obligationem, ſive quæ a lege abſtracto modo deſcendit, ſive quæ refertur ad praxim, ideſt ad actum quemlibet ceu hic & nunc ex legis præſcripto exercendum, vel non. Error contra numquam a lege eſt, quippequæ neminem fallere poteſt, quemadmodum nec veritas, quæ & lex ipſa, & finis legis eſt. Eo fit, ut error per ſe obligare nequeat hoc ipſo, quod a lege non eſt, cui tantum ineſt adſtringendi, ligandique poteſtas, immo & ejuſdem veritati repugnat. Atque hoc quidem intelligitur etiam de errore involuntario, quia, quiſquis demum fingatur error, nunquam veritas eſt, neque adeo valet ullo modo vim veritatis induere. Hinc neque etiam in judicio Dei habebitur ut verum, ſeu bonum, quod ex quacumque

cauſſa, aut modo contra legis veritatem fuerit, quia & ipſum *judicium Dei ſecundum veritatem eſt*, Rom. 2. Poterit quidem error involuntarius excuſare a culpa in eo, quod ita commiſſum eſt, utpote non ſponte factum, immo contra animi ſententiam; at nunquam valebit efficere, ut verum, ſeu bonum, & conforme legi ſit, ac judicetur, quod falſum, eidemque repugnans eſt. Exempli gratia aliquid afferam, quo hæc illuſtriora fiant. Quicumque putat aliquid verum eſſe, quod falſum eſt, atque illud ut tale affirmat, & jurat, profecto quantamcumque habeat bonam fidem, animumque confirmandi veritatem, nunquam tamen efficiet, ut verum ſit, ſeu tale, quod teſtatur, quando aliter eſt, quia rerum eſſentiæ, &, quas habent invicem, relationes a nobis non pendent, neque adeo pro animi affectibus commutantur. Excuſabitur quidem ille a mendacii, & perjurii culpa, *quia ream linguam non facit*, ut ajebat S. Auguſtinus ſerm. 28. de Apoſt., *niſi rea mens*; at interim ſemper falſum ex ſe erit, quod ita affirmatum eſt ob naturalem, & neceſſariam oppoſitionem *intellectus, vel ſigni ad rem intellectam, & ſignatam, vel etiam rei ad ſuam regulam*, ut loquitur D. Thomas 2. 2. q. 109. ar. 1 & ſeq. Haud aliter in propoſito dicendum, ubi agitur de conformitate operis cujuſcumque ad legem, quippequæ, quum ex naturali utriuſque relatione definiatur, non pendet ab hominis errore, aut arbitrio. Hinc ſi error utcumque involuntarius nunquam id agere poteſt, ut verum ſit, legique conſonum, quod reapſe falſum, atque adverſum eſt; qui fiat, ut hoc ipſum legis inſtar obtinere queat, atque ita ejus

vi obligationem inducere? Reliquum eſt igitur, ut dicatur, quoties quis in aliquo judicio de vero, bono, & juſto errat putans e. g. aliquid contra legem eſſe, quod ſecus eſt, illum non ex errore ipſo proprie obligari, quod eſſet abſurdum, ſed potius ex præſumta opinione legis, qua innectitur, ne illud faciat, quod adverſus legem, ut ipſe putat, eſt. Id, quod ex alio principio manat, quod vere legis eſt, videlicet nihil faciendum, quod injuriam contra legem ſignificet, aut involvat, ut tunc revera contingeret, quando quis ageret, quod exiſtimat utcumque legi adverſari. Neque opponatur, ſi hæc ita ſint, fieri poſſe, ut quis ex eo principio obligetur ad aliquid, quod etſi ex errore involuntario, ut ponitur, non imputetur agenti, adhuc tamen in ſe malum ſit, atque a legis veritate alienum. Namque mirum non eſt, ut optime animadvertit D. Thomas 1. 2. qu. 19. ar. 6., *quod ſicut in ſyllogiſticis uno inconvenienti dato, neceſſe eſt alia ſequi, ita in moralibus uno inconvenienti poſito ex neceſſitate alia ſequantur;* ſed quæ videlicet non tribuantur culpæ, quando præter omnem voluntatem ſunt. Cæterum quod ſpectat ad actum voluntatis, quo quis ſe ſe determinavit ad aliquid, quod putavit honeſtum, aut ſalutare, & per improviſum errorem in re deceptus eſt, num ſcilicet ille actus animi ſeorſim conſideratus haberi poſſit bonus nec ne, an errore adhuc ipſo corrumpatur, infra declarabitur.

XVI.

XVI.

Porro autem, ut cœpta nunc proſequamur, animadvertendum eſt ſeu ratiocinium illud, ſeu judicium, quo de re aliqua affirmamus juſtam eam, vel injuſtam eſſe, præceptam, aut non &c., familiari, communique loquendi ratione ratiocinium, aut judicium *Conſcientiæ* appellari; quo modo conſuevit ipſa conſcientia definiri applicatio ſcientiæ, ideſt principiorum legis ad opus, & ejus officia cenſeri ſolent accuſare, aut defendere pro eo, quod geſtum eſt; admonere officii, vel retrahere a crimine ſecundum id, quod faciendum, vel fugiendum eſt; obligare, aut non, ut tulerit eorum ratio, aut perceptio, quæ proponuntur, in ordine ad legem (*a*).Hinc propterea quæcumque hactenus dicta ſunt ſive in univerſum, ſive peculiariter de modo cognoſcendæ moralitatis actuum humanorum, ea, inquam, omnia conſcientiæ aptanda erunt, prout de re aliqua, quæ ad mores pertineat, ratiocinatur, aut judicat. Quo fit, ut ratione rei, de qua quæritur, prima omnium conſcientiæ diſtinctio ſit, quam & in judicio illo memoravimus, quod vera ſit, aut falſa; vera prout rei congruit, ut eſt per legem, falſa ut diſconvenit ab eo, quod vere ſecundum legem eſt. Atque hoc porro ſenſu ad conſcientiam revocabuntur omnia, quæ ſupra inveniendæ, cognoſcendæque moralis veritatis cauſſa docuimus.

Hinc porro retegitur inſignis lapſus eorum, qui conſcientiam ſæpe cum morum lege, ac regula confundunt, perinde quaſi nihil interſit inter applica-

tionem

(a) *Quid, & quotuplex ſit ratiocinium, & judicium conſcientiæ, quo de moralitate operum cenſemus.*

tionem legis ad opus, & legem ipſam; quum aliunde applicatio ipſa, quæ fit, falſa eſſe poſſit cujuſque cauſſæ interventu, contra lex morum nunquam. Errorem hunc inter alios notavit etiam Heineccius lib. 1. elem. jur. nat., & gent. cap. 2. §. 45., ubi obſervat *non ipſam conſcientiam normam eſſe, ſed quæ normam applicat factis, & ſpeciebus obvenientibus*; alioquin dicendum foret, & quando nutat conſcientia, vel falſa eſt, rationem adhuc ex ſe habere, ſeu virtutem legis, quo nihil fingi queat inconſideratius. Et quidem ſæpius damnanda eſſet lex, quemadmodum conſcientia ipſa, quæ male aut in collatione legis cum facto ſe habuit, aut in ferenda ſententia. Id in omnibus quoque diſciplinis obtinet, ut certa plerumque earum principia ſint, nec niſi in eorumdem ad opus comparatione error contingat, ſed quæ falſa applicatio non arguit principiorum artis falſitatem. Hinc inepte prorſus philoſopharetur, qui ex firmitate principiorum concluderet ſemper, atque conſtanter veritatem applicationis, aut ex adverſo qui ex errore applicationis principia tanquam falſa improbaret, quum hæc ſejunctim vera eſſe poſſint, ac porro certe ſint vera, quæ legis ſunt, male autem quiſpiam inde ratiocinari, atque concludere queat. Si hæc ita ſint, ajebat in perſimili cauſſa quidam noſtri temporis Scriptor, doctrina quævis ſacra, ut vacuum quid, ableganda eſſet, quia ea plures abuſi ſunt: exterminandum medicæ artis nomen, quia non ſemel in ejus exercitio peccatum eſt; & numquid Aſtronomia, aut Chimica firma conſiſterent, quando ex affectatis, aut male perceptis earum artium notionibus tot Aſtrologi, & Circulatores prodierunt? Nimirum in omnibus diſtin-

diſtinctio principiorum, & uſus eorumdem adhibenda eſt. Itaque & conſcientia ipſa, ſeu applicatio principiorum legis ad opus, judiciumque inde exiſtens, ab ipſis principiis diſcernendum quoque erit, ne rerum perturbatione labamur, cujus nempe diſtinctionis defectu puto eveniſſe, ut ex perverſa quorundam cernendi licentia de rebus morum lex ipſa naturæ, ſeu principia legis in dubium vocarentur, & aliquando ex indiſcreta legis cum judicio conſcientiæ permixtione ut bonum, & juſtum traduceretur, quod contra erat. Quæ incommoda, & alia id genus, ut amoveantur, tenendum, quod diximus, conſcientiam eſſe quidem actum, quo nos ex principiis legis de bono, vel malo &c., quod eſt, vel putatur in opere, judicamus, aut judicare intendimus, unde conſuevit etiam *judicii actualis practici* nomine donari; non ipſam legem, aut legis principia, quæ ſemper, & ubique immobilia ſunt, atque etiam in nobis eſſe poſſunt ſine ejus actus, aut judicii exercitio. Hinc fit, ut ad veritatem conſcientiæ & illa requirantur, quæ ſupra memoravimus, recta, juſtaque legis ad factum comparatio, & ſimul recte deducta ſententia; unde receptum, quod & monuit Heineccius laudato loco §. 34., ut omnis ratiocinatio, ac judicium conſcientiæ non niſi tribus propoſitionibus abſolvatur, quarum altera legem, altera factum, ſeu actionem propriam exhibeat, tertia ſententiam, quæ de ejus actionis juſtitia, aut injuſtitia, vel permiſſione eſt. Atque eo ſolo ſenſu *lex* dici conſcientia poſſet (licet ex conſequenti), quando veritatem ediſſerit legis, eamque recte applicat ad opus, de quo agitur; unde & qui contra conſcientiam peccat,

cæte-

cæteris eodem loco manentibus, non duplex peccatum committit, alterum adverſus conſcientiam, alterum contra legem, quia conſcientia ipſa aliud non eſt, niſi legis ipſius applicatio ad factum, ſeu ejuſdem, ut creditur, propoſitio, atque explicatio &c.

XVII.

Quia vero, uti ſupra dictum eſt, ſola lex vere, & proprie obligat, neque adeo ullum reapſe particulare judicium ex ſe adſtringere ad ſui proſecutionem poteſt, niſi quod re ipſa ex lege eſt, ſeu eidem conforme, a qua obtinet, & quod rectum, juſtumque ſit, & quod effectum juris invehat, ſeu obligationem; inde neceſſario ſequetur non omnem conſcientiam, quod judicium quoddam in moribus eſſe diximus, per ſe, ideſt vi legis directe, ac proprie obligare, ſed eam tantum, quæ vera, & recta eſt, ideſt enim legis principio congruens (*a*). Hinc propterea quæ falſa eſt, atque errans conſcientia per ſe directe non obligat, ut quis eam ſequi debeat, quia non habet legis veritatem, ex qua una vis obligandi eſt; dicitur tamen obligare per accidens, ne quidquam contra eam adhuc manentem fiat, quod idem eſſet, atque agere contra exiſtimatam divinæ legis veritatem.

Nimirum quod juſtum, rectumque judicium eſt in moribus, revera obligat, quia non putatam, ſed re ipſa exiſtentem legem repræſentat. quæ in particulari caſu, ut ponitur, vim exerit ſuam; at ratio errans nulla alia ratione cenſetur obligare, niſi quia, ſicut loquitur Angelicus 1. 2. q. 19. ar. 5.,

(a) *Sola conſcientia vera, ſeu recta per ſe obligat, errans nonniſi per accidens, ne quid contra eam adhuc manentem fiat.*

5., *judicium ſuum proponit ut verum*, *& per conſequens ut a Deo derivatum*. Proinde, quanta ejus eſſe concipitur, obligatio occaſionem habet ab imbuto errore, qui ſi evaneſceret, nulla amplius ne *per accidens* quidem ei conſtaret in propoſita ſpecie vis, ac poteſtas. Cæterum, eo obtinente, ſi quid fieret, quod putaretur in legem impingere, non ſolum malum, ſeu peccatum eſſet in ordine morum, ſed etiam ejus rationis, & generis, quod mente perceptum eſſet, quia objectum voluntatis non ſolum eſt res, qualis in ſe eſt, ſed maxime, ut in actum proxime influit, quæ ex judicio rationis eſſe exiſtimatur. Ea de cauſſa S. Auguſtinus lib. 3. de Hæreſibus num. 46. referens quorumdam Manichæorum, quos ipſe *Electos* nominat, opinionem, qua putabant *in pecoribus*, *herbiſque reperiri animas hominum*, *qui non fuerant Manichæi*, nec tamen abnuebant illis ad cibum ab Auditoribus ſuis comparatis uti, eos, inquam, ex ipſorum opinione ſerio redarguit, quaſi vixerint *in tot ſecundum ſuam vanitatem homicidiis alienis*. Quin etiam hoc ipſum ex communi gentium ſententia receptum eſt, ut quis ejus criminis habeatur reus, quod per errorem ineſſe putat operi, cui efficiendo incumbit. Ejus rei inſigne documentum nobis ſuppeditat eruditiſſimus P. Anſaldi in libro paucis abhinc annis Oxonii recuſo de Romana Tutelarium Deorum in oppugnationibus urbium Evocatione cap. 4., ubi, poſtquam innuit poteſtatem jure gentium hoſtibus factam in devictorum ſacra, *illud tamen verum eſt*, inquit ex Grotio lib. 3. de jure Belli, & Pacis cap. 5., *ſi quo in ſimulacro Numen aliquod ineſſe credatur*, *id violari*, *aut corrumpi nefas eſſe ab iis*, *qui in ea perſua-*

perſuaſione conveniunt ; & hoc ſenſu impietatis , aut læſi etiam gentium juris accuſantur interdum , qui talia commiſerunt , nimirum ex talis opinionis poſitione . Aliud eſt , ſi hoſtes non idem ſentiant , ſicut Judæis non permiſſum tantum , ſed & præceptum eſt Gentium ſimulacra abolere . . . Sciebant quippe Hebræi Dei certiſſimo monitu in ſimulacris illis non habitare aut Dei ſpiritum , aut bonos Angelos , aut vim aſtrorum , ut deceptæ Gentes exiſtimabant , ſed pravos , & humano generi infeſtos dæmonas : non mirum ergo eſt , ſi templa profani cultus a Machabæis incenſa non ſemel legimus. Sic & Xerſes , quum ſimulacra Græcorum corrupit , nihil fecit contra jus Gentium , etſi multum id ad invidiam exaggerant Græci Scriptores ; nam Perſæ non credebant in ſimulacris ulla eſſe Numina , ſed Deum eſſe Solem , & portionem ejus aliquam ignem . Ex quo videlicet ſequitur , teſte Grotio , omnium fere gentium conſenſu reos habitos fuiſſe violati Numinis quotquot putantes (licet falſo) ſimulacris ineſſe aliquam divinam virtutem ea rapere , aut temerare auſi fuiſſent . Quare Romani , ut animadvertit laudatus P. Anſaldi , ne & ipſi contaminarentur opinione ſua talia agitantes , ut Victorum mos ferebat , aut ſaltem ne ab aliis ſacrilegi haberentur , conſueverant ante expugnationem urbium quoddam recitare Evocationis carmen, cujus virtute receptum erat exaugurari ſacra , & Indigetes Deos e ſimulacris excedere , adytis , templiſque relictis . Adeo verum eſt ex ipſa Ethnicorum ſententia ſua quemque conſcientia , atque opinione infici , dum quid agit , quod etiam ex errore non agendum putat ! Itaque hic unum adhuc inquirendum ſupereſt , num , quod dicimus de falſa

conſcientia, ad omne genus erroris pertineat, ita ut eo ſemper corrumpatur animus, an vero aliqua in re exceptio ſit. Quo de capite affirmo primum neminem accuſari poſſe, niſi de errore in ſe ipſo, aut in ſui cauſſa voluntario. *Bonum enim, & malum morale*, ait D. Thomas 1. 2. q. 19. art. 6., *conſiſtit in actu, in quantum eſt voluntarius*, & remota voluntate poterit quidem aliquid diſſonum in opere ipſo intelligi, prout ex ſe non eſt comparatum *ad ſui regulam*, ſicut nec *ſignum ad rem ſignatam*, quando falſum quid etiam præter intentionem dicitur; attamen illud non erit morale ipſi agenti, quia non poteſt quidquam alicui vitio tribui, quod ab ipſius voluntate non eſt. Hinc propterea eo in caſu *excuſatur agentis voluntas, ut non ſit mala*, ſicut loquitur S. Doctor citato loco, ſeu ut non inficiatur ex opere ipſo, quod ex ſe malum eſt, utpote legi non conſentiens, quod conſuevit dici *materialiter* malum. Rurſus mihi videtur etiam aſſeri poſſe, quoties illud, quod ex ſe repugnans regulæ contra omnem voluntatem accidit (quale eſt id omne ratione ſui, quod non licuiſſet ab ſciente fieri), id utpote exiſtens extra genus actus humani, proinde præter omnem electionem agentis, non poſſe corrumpere actum humanum, qui ab eo plane diſtinctus eſt. Quippe hæc toto genere dirimuntur *actus humanus, & non humanus*, nec unquam poteſt alterum ad alterius gradum, rationemque pertingere. Quo fit, ut conſiderando tunc actum humanum, quo quis ex. gr. propoſuit *verum dicere*, aut, quod prudenter tale eſſe credebat, etiam *juramento confirmare*, ut vere ſejunctum ab eo, quod præter opinionem evenit,

evenit, & reapſe in ſe falſum eſt, non immerito videatur eo in caſu affirmari poſſe ejuſmodi actum objecti, ut inquiunt, falſitate non infici, adeoque bonum in ſe adhuc eſſe, & apponi lucro, quia circa id, quod incidit falſi, nulla agenti *electio* conſtitit, neque adeo illud poteſt ad actum humanum moralem, quo verum dicere ſtatuit, & porro voluit, revocari. Eo ſenſu puto explicandum D. Bernardum, quando ait lib. de diſpenſat. & præcep. cap. 14. *Ejus, qui bonum diligit, & malum neſciens agit, bonus quidem oculus, quia pius, non tamen ſimplex, quia cæcus .... Et quidem laude dignam dixerim vel ſolam intentionem piam, nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipſa bona voluntas &c.* Sed hæc, ut dixi, de errore tantum involuntario intelligenda ſunt, qui ex. gr. ad naturam, & conditionem facti pertineat; namque ſi legem reſpiciat, quam ſcire quis poſſet, ac teneretur, omnibus immutatis, tunc error vel in ſe, vel in cauſſa voluntarius fuit, adeoque in agentis ipſius electione continetur, qui propterea naturam ejus actus humani ingreditur, eumque prorſus inficit. Atque huc plane revocentur, quæ ſuperius dicta §. VI. de neceſſaria *veritatis electione* ad bonitatem actus humani requiſita.

XVIII.

Sed quo demum cumque modo veritas quæratur, aut habeatur in eo ratiocinio, ſeu judicio conſcientiæ, veritas, inquam, practica, ut percipitur, & enuntiatur de opere facto, aut faciendo, honeſto, vel turpi &c., ea certe non eſt in agente ipſo, ſeu in ipſius judicio, niſi per cognitionem quam-

dam, quam & alii *intellectionem* appellant (*a*). Quippe etſi veritas cujuſcumque rei per ſe, & abſolute ſubſiſtat ex ejuſdem natura, aut neceſſaria ipſius ad aliquid aliud relatione, nec ideo ab hominis cognitione pendeat, ut ſit, aut talis ſit, quod jam ſæpe oſtendimus; tamen ut in homine eſſe concipitur iſthæc veritas, quo ſenſu & moralis ipſi dicitur, ea nonniſi per ipſius cognitionem eſt. Neque enim alio modo concipitur in homine veritas eſſe alicujus rei, niſi quia illam, ut in ſe eſt, perſpicit. Quum autem cognitio ejuſmodi, quam quiſque de re aliqua habet, debeat in ipſo producere judicium quoddam de ejus notitiæ conſcientia, quod ex. gr credat, vel putet ſe reapſe veritatem, ideſt naturam rei, ut eſt in tali ordine, cognoviſſe, vel non; intelligitur inde quemadmodum in homine vi ſenſus intimi revera exiſtere poſſit perſuaſio quædam, quod rem, ut in ſe eſt, noverit, vel non, ideſt ſibi conſcius ſit de cognitione ſua. Quo poſito ſi firma in ipſo perſuaſio ſit ſe rem cognoſcere, ut in ſe eſt, tumque in ipſo, quantum eſt ex vi judicii ſui, naſcitur judicium, ſeu perſuaſio, vel conſcientia, quæ ipſi dicitur *certa* de rei veritate, qua nimirum ſibi indubie perſuadet ſe veritatem cognoſcere, aut cognoviſſe; ſi autem talis firma perſuaſio non producatur, tum comparate ad rem, de qua quærit, dicetur habere judicium, ſeu conſcientiam incertam, qua nempe ſentit, atque exiſtimat rei veritatem adhuc ſibi incompertam, vel non eſſe certam omnino. Hinc proinde altera ejus

judicii

(a) *Quid conſcientia, quæ dicitur nobis certa, quid, quæ incerta &c.*

judicii moralis, ſeu conſcientiæ diſtinctio habebitur reſpectu cognoſcentis, aut agentis hominis, quod alia ſit certa, qua abſolute putat ſe verum inveniſſe, aut cognoſcere, ut in actu, vel opere ex vi legis eſt; alia incerta, qua ſibi ipſi conſcius eſt ſe adhuc neſcire veritatem rei, quam inquirit, vel adhuc circa eam in dubio eſſe.

Puto hinc certitudinem, ut in cognoſcente exiſtit, a veritate rei, ut in ſe eſt, ſeu objectiva, ut loquuntur, diſtinguendam eſſe. Etſi enim certitudo ex ſe, atque etiam ex inquirentis animo ordinem habere debeat ad verum; tamen aliquando in agente, vel cognoſcente, quantum in ipſo eſt, ea certitudo concipitur, qua putat ſe verum inveniſſe, aut videre, in quo tamen deceptus eſt. Hinc certa judicantis perſuaſio eſſe poteſt de re aliqua, quin tamen aſſecutus ſit veritatem rei. Quo pacto conſcientiam certam a vera diſtinguimus, quarum altera definitur ipſa conformatione judicii ad rem ipſam, ut in ſe eſt, altera intima perſuaſione, qua quis afficitur, quod res talis ſit, ut putat, quæ duo plane toto cœlo differunt. Ea de cauſſa quibuſdam dictum eſt in hac vita *certum* quodammodo ſubſtitutum eſſe ſaltem in pluribus loco *veri*, quippe non ſemper verum, ita dixerim, in ſe, ac tuto intuemur, ſed ſæpe illud cernimus per indicia, & ſunt etiam, qui exiſtimant aliquando cerni tantum per quædam tenuis imaginationis umbracula; quare multi phantaſmata ſua tam præcipites ſequuntur, ut nulla ſit alia materies opinionum ſuarum præter ipſa, quæ ideo ſæpe pro veritatibus & credunt, & venditant, ſicut *qui vident, aut ſe vidiſſe putant per nubila Lunam*. Itaque certum aliquid haberi poteſt, quin verum

ſit, quamquam quod ad rem ipſam attinet, proprie certum haberi nequeat, quin & illud ipſum nitatur rei veritate. Atque hinc porro neceſſitas ea fit, de qua diximus, admittendi excuſationem voluntatis in eo, quod involuntarie deliquit, quia non ſemper hominis eſt verum in ſe noſſe, ſed quandoque vana ſpecie decipitur, quæ eſt ex rerum ſimilitudine, quandoque ex infirmitate naturæ, quæ in ordine ad ſuum objectum perturbata primigeniæ culpæ vitio, aliquando adventitiis etiam tenebris circumfuſa verum ipſum, etſi conſpicuum, non videt. Unde Lucanus Pharſal. lib. 9 ſub init. Pompeii Apotheoſim Ethnicorum more deſcribens, dum fingit illum æternos orbes, & convexa Tonantis ingreſſum,

... *Illic*, inquit, *poſtquam ſe lumine vero*
Implevit, ſtellaſque vagas miratur, & aſtra
Fixa polis, vidit quanta ſub nocte jaceret
Noſtra dies!

Hanc diſtinctionem quoque inter verum, & certum nobis exhibuit Vir ſummi ingenii Joannes Baptiſta Vicus in ſuo Proloquio ad Librum de Conſtantia Juriſprudentis ſcribens: *Duo verba ſunt, verum, & certum, quæ diſtingui oportet .... Verum gignit mentis cum rerum ordine conformatio: certum conſcientia dubitandi ſecura*. Itaque ex hoc diſtinguitur conſcientia vera a certa, ut hæc in nobis eſt, quod illa dicat conformationem judicii ad rem, iſta tantum excludat a nobis dubium, & ancipitem curam cogitandi. Hinc quæ certa nobis videtur, & dicitur conſcientia, poteſt revera eſſe aliquando falſa, quod a rei natura diſcrepet, ut vere eſt, licet firma, fixaque nobis inſidat perſuaſio rem

ita ſe habere, ut judicamus; aliquando autem reapſe vera eſt ob neceſſariam, & ſolidam cum rei natura, & ſtatu convenientiam. Atque hæc oportuit accurate diſtinguere (tametſi proprie illud certum in ſe ſit, quod verum); namque familiari loquendi ratione, quæ etiam in hac cauſſa Theologis uſui eſt, aliquando dicitur conſcientia ex. gr., vel judicium moraliter, ideſt pro rei conditione *certum*, tametſi nemo unus ambigat abſolute loquendo fieri poſſe, ut in ſe falſum ſit, qua de re infra. Ex quo idcirco intelligitur hæc inter ſe caute diſcernenda eſſe, ſaltem ut plerumque accipi conſueverunt.

XIX.

Quoniam itaque hic quum certum judicium, ſeu conſcientiam dicimus, illud intelligimus in ordine ad moralem practicam veritatem, in quam ſpectare debet conſcientiæ inquiſitio, quamque nobis notam ſine dubio putamus; idcirco nunc videndum eſt, quæ, & qualis eſſe poſſit in moralibus ejuſmodi cauſſis certitudo, ut probe id, de quo agitur, teneatur (a). Conſtat enim pro varia, ac multiplici natura rerum diverſi ordinis certitudinem exiſtere poſſe; quædam enim ſunt, quæ alicui ſubſunt demonſtrationis generi, alia, quæ alteri, unde non eadem plane ratione, modoque in nobis enaſcitur de rei cognitione perſuaſio. Quædam enim ſubſunt tali demonſtrationi, ut abſolute aliter ſe habere nequeant, ac demonſtrantur eſſe. Hujuſmodi ſunt res mathematicæ, aliæque phyſicæ, quæ ex ſe determinatam habent, atque invariabilem quantitatem,

(a) *Cujus generis certitudo plerumque haberi in moralibus queat.*

unde exacto calcu[illegible]t menſuræ ſubjici poſſunt, itaut inde ſine u[illegible] ambage ad oculum, ita dixerim, earum quantitas, ratio, veritas percipiatur. Ejuſmodi quoque ſunt prima cognoſcendorum, agendorumque principia, quæ ita obvia, determinata, fixa ſunt rationi, ut ea rejicere nemo queat, niſi ſenſum etiam, naturam, ſui ipſius cognitionem ejuret, ac vere det operam, ut cum ratione inſaniat. Alia ex adverſo ſunt, quæ tali exacto calculo, aut ejus generis menſuræ ſubeſſe nequeunt, atque ita non cognoſcuntur, niſi per quædam prudentiæ argumenta (quod aliis veri nominis probabilitas dicitur); unde tametſi abſolute non repugnet ea aliter ſe habere poſſe, ac demonſtratur, vere tamen iſtud ipſum metuendum non ſit, quia talia habentur veritatis ſigna, ut poſſibilitas contrarii ſe ſe exhibeat menti potius ut quid abſtractum, ac velut imprudens, quam rei vere adjacens, de qua agitur, ut ad humanum judicium pertinet. Itaque duplicis generis quod ad inſtitutum ſpectat, certitudo haberi poterit rerum, altera, quæ mathematica, geometrica, phyſica, aut evidentiæ dicitur, altera, quæ prudentiæ nominatur, unaquæque propriæ materiæ reſpondens, nec altera ex ſe ad alterum genus rerum apta tranſferri.

Præclare ea de re Ariſtoteles ad Nicom. lib. I. cap. I. *Accurata tractatio* (ideſt ad eas leges, menſuraſque exacta, quæ ex. gr. in mathematicis obtinent) *non ſimili modo in unoquoque genere exquirenda eſt .. Eſt enim eruditi eatenus exactam in unoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipſius natura poteſt. Nam & Mathematicum ſuaſionibus*

ſionibus utentem adprobare, & ab oratore demonſtrationes exigere, ſimile vitium videtur. Sunt, qui Philoſophum ex eo redarguant, quod ſolis mathematicis rebus certitudinem adjudicaverit, quaſi vero illæ tantum accuratæ, ut loquuntur, ſubſint demonſtrationi. Sed abs re id cogitatum videtur. Quippe, dum exactam in ſuo genere demonſtrationis vim, ac certitudinem mathematicis tribuit, non abrogat ſummam, quæ in alio quoque genere eſſe poſſit, vim demonſtrandi, cognoſcendique, alioquin & nutaret ipſa matheſis, quæ aliis nititur principiis, puta cognitioni phyſicæ rerum, ac proportioni numerorum, qui inter ſe ad datam regulam comparantur, quæ quidem cognitio ex calculis non eſt. Hinc 1. metaphyſic. par. altera cap. ult. ſcribit: *Certitudo mathematica*, ſeu quæ ejus rationis, & ordinis ſit, ac mathematica, *non in omnibus rebus quærenda eſt*; cæterum non negat aliis rebus competere poſſe etiam ſummam, quæ in proprio genere obtinere queat, certitudinem. Quare immerito quidam moralia principia in dubium revocaverunt, quod mathematicæ, ſicut loquebantur, demonſtrationi non ſubeſſent, quos nimirum Lockius ipſe graviter, ac ſolide refutavit. Vid. *Abregé de l'eſſai de M. Locke ſur l'entendement &c. liv. 4. ch. 12.* Et vero egregie, atque appoſite ad rem ajebat Dominus Paſcal, *Penſées &c. ch. 21.*, in iis, quæ ſenſu intimo probantur (cujuſmodi multa eſſe poſſunt, & certe generalia morum principia ſunt) fruſtra aliæ demonſtrationes requirerentur, aut ejus generis, quæ ad rem non faciant, quibus aliunde ſuo modo propria certitudo conſtat &c. Eſt enim, inquit, peræque ridiculum, ſi ratio petat a ſenſu,

&

& ab intelligentia demonſtrationes primorum principiorum, quo illa aſſenſum præſtet ſuum, quemadmodum ineptum eſſet intelligentiam inducere poſtulantem a ratione ſenſum omnium earum propoſitionum, quas demonſtrat. Res enim ſunt plane diverſæ & quæ ſenſu, & quæ ratione nituntur, ac pro varia earundem natura diverſa eſſe debet eas cognoſcendi, demonſtrandique via, nec poſſunt ad unum, idemque genus ut probationis, ſic certitudinis revocari, niſi miſceantur ſimul omnia, quæ ſuapte indole, & conditione diſcreta ſunt. Eo etiam errore refert S. Auguſtinus lib. 6. confeſs. cap. 4. ſe quodammodo laboraſſe, quum nondum vera fide imbutus Ambroſium audiret de rebus quibuſdam ſacris, atque ad morum quoque inſtitutionem pertinentibus diſſerentem: *Tenebam*, ait, *cor meum ab omni aſſenſione, timens præcipitium, & ſuſpendio magis necabar; volebam enim eorum, quæ non viderem, ita me certum fieri, ut certus eſſem, quod ſeptem & tria decem ſint. Neque enim tam inſanus eram, ut ne hoc putarem comprehendi; ſed ſicut hoc, ita cætera cupiebam ſive corporalia, quæ coram ſenſibus meis non adeſſent, ſive ſpiritualia, de quibus cogitare, niſi corporaliter, neſciebam*. Paucis. Omnes Philoſophi docent facultatem quamlibet, ut & habitum ex æquo non pertinere ad cujuſcumque rei ſpeciem; hinc oculorum non eſſe, niſi colores percipere, aurium niſi ſonos, & quæ vere, ac proprie dicitur ſcientia, non verſari, niſi in iis, quæ evidentia ſunt. Proinde abſurdum eſt in re quavis ejuſdem generis demonſtrationem, ac certitudinem expoſcere, uti ſupra conſtitutum eſt, & docuit etiam D. Thomas 2. 2. q. 70. ar. 2.

XX.

X X.

Jamvero illud extra omnem prorſus controverſiam eſſe debet in actibus humanis, de quibus ratiocinamur, ac judicamus per exercitium conſcientiæ, non ſemper eam haberi certitudinem poſſe, quæ deſcendat ex evidentia demonſtrationis. Fit id ex eadem ipſorum actuum natura, quippe qui quum verſentur, ut inquit Angelicus, *circa contingentia, & variabilia*, quæ ideo abſolute aliter ſe habere poſſunt, ac videntur, talem propterea in dato genere demonſtrationem pati nequeunt, quæ ad ſtrictos apices exacta conficiat rem neceſſario ita eſſe debere, quemadmodum aſſumtis argumentis efficitur. Aliunde vero certum eſt in iis oportere hominem ut plurimum determinari, ut aliquid judicet, aut faciat; ſecus plerumque ſapienti ab officio vacandum eſſet, ubi ſemper expectare deberet evidentem probationem, quippequæ in omnibus locum habere non poteſt, quod & Academicis non ſemel in vitio poſuit Auguſtinus. Ergo dicendum in iis, aliiſque id genus judiciis, atque dubitationibus ſufficere eam certitudinem, quam ferre poteſt natura, atque indoles rerum, & qua major haberi nequit in obveniente negotio, quod tamen aliqua certe ratione pro hominum ſtatu, & conditione finiendum eſt.

Ut clarius res percipiatur, duo hic diſtinguenda ſunt. Alia nimirum eſt certitudo, quæ principiis moralibus in ſe conſideratis competit, alia, quæ concluſioni, prout ex comparatione eorundem

prin

(a) *Ut plerumque habeatur in hoc morum genere certitudo, quæ dicitur, prudentiæ.*

principiorum ad factum ducta eſt. Principia moralia ſenſu ipſo intimo, ac conſtanti totius naturæ probantur, & hæc certitudo, quæ ex hujuſmodi conſenſione exiſtit, talis eſt, qualis omnium maxima, quippequæ non poteſt in incertum adduci, quin ſenſus communis, adeoque firma cujuſque rei, aut ſcientiæ perceptio de medio tollatur; quod profecto revocatur ad principium metaphyſicum, & certiſſimum, nimirum impoſſibile eſſe, ut omnes fallantur in eo, quod communiter ſentiunt; & de his principiis, ut eo modo nobis innoteſcunt, jam alibi dictum eſt. Alia eſt certitudo, quæ rebus, ut inquiunt, practicis congruit, ut ex eorum principiorum applicatione ad factum exiſtit; namque etſi ea poſſit ad eumdem certitudinis gradum, & ordinem aliquando pertinere quadam ſenſus, ita dixero, evidentia, quia, quæ utrinque comparantur extrema, ſuapte natura determinata ſunt, ut contingit in quibuſdam operibus, quorum ex. gr. turpitudinem, aut honeſtatem nequit ſibi quiſquam diſſimulare &c.; accidit tamen ſæpe ſæpius, ut alia incidant negotia, de quibus veritas moralis quæritur, & porro certitudo quidem ejuſdem haberi poſſit, ut earum rerum fert natura, ſed quæ illuc uſque non pertingat, ut aliter res ſe habere nequeat, ſicuti judicamus; atque hæc plane eſt certitudo, quæ una ut plurimum pro communibus humanæ vitæ officiis in promtu eſt. Cedo exemplum. Judex quædam per indicia cognoſcere debet, quædam per teſtes, & tamen illa per ſe falſa eſſe poſſunt; iſti quoque ignorantia, aut perturbatione falli queunt, vel etiam decipere voluntate: ſic perjura fides aliquando conſortes fefellit, ſocium, & hoſpites. Hinc huma-

humanam imbecillitatem in ejuſmodi rebus generatim deplorans Auguſtinus, & de judiciorum præcipue ſuis temporibus obtinentium forma, & ritu loquens lib. 19. de civit. Dei cap. 6. ajebat: Quid ipſa judicia hominum de hominibus, quæ civitatibus in quantalibet pace manentibus deeſſe non poſſunt, qualia putamus eſſe, quam miſera, quam dolenda! Quandoquidem ii judicant, qui conſcientias eorum, de quibus judicant, cernere nequeunt: unde ſæpe coguntur tormentis innocentium teſtium ad alienam cauſſam pertinentem quærere veritatem. Quid, quum in ſua cauſſa quiſque torquetur, & quum quæritur, utrum ſit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto ſcelere certiſſimas pœnas, non quia illud commiſiſſe detegitur, ſed quia non commiſiſſe neſcitur? Ac per hoc ignorantia Judicis plerumque eſt calamitas innocentis. Et quod intolerabilius eſt ..., quum propterea Judex torqueat accuſatum, ne occidat neſciens innocentem, fit per ignorantiæ miſeriam, ut & tortum, & innocentem occidat, quem, ne innocentem occideret, torſerat. Si enim ſecundum iſtorum ſapientiam delegerit ex hac vita fugere, quam diutius illa ſuſtinere tormenta, quod non commiſit, commiſiſſe ſe dicit. Quo damnato, & occiſo, utrum nocentem, an innocentem Judex occiderit, adhuc neſcit, quem ne innocentem neſciens occideret, torſit: ac per hoc innocentem, & ut ſciret, torſit, & dum neſciret, occidit. In his tenebris vitæ ſocialis ſedebit Judex ille ſapiens, an non ſedebit? Sedebit plane. Conſtringit enim eum, & ad hoc officium pertrahit humana ſocietas, quam deſerere nefas ducit. Hoc enim nefas eſſe non du-

cit

cit, quod teſtes innocentes in cauſſis torquentur alienis: quod hi, qui arguuntur, vi doloris ſuperati, & de ſe falſa confeſſi etiam puniuntur innocentes, quum jam torti fuerint innocentes ...., quod aliquando & ipſi, qui arguunt, humanæ ſocietati fortaſſe, ne crimina impunita ſint, prodeſſe cupientes, & mentientibus teſtibus, reoque ipſo contra tormenta durante immaniter, nec fatente, probare, quod objiciunt, non valentes, quamvis vera objecerint, a Judice neſciente damnantur. *Hæc tot, & tanta mala non deputat eſſe peccata: non enim hæc facit ſapiens Judex nocendi voluntate, ſed neceſſitate neſciendi; & tamen, quia cogit humana ſocietas, neceſſitate etiam judicandi. Hæc eſt ergo, quam dicimus, miſeria certe hominis, etſi non malitia Sapientis.* En quemadmodum ex Auguſtino in humanis vitæ caſibus, quod certius definire volumus, & porro certum eſſe putamus, quandoque falſum ſit, & tamen ingruat eadem ipſa definiendi neceſſitas, ut ideo perniciosius interdum ſit ab omni temperare judicio, quam de eo, quod incidit, decernere, ut prudens ratio ſuggeſſerit. Quod in propoſita ſpecie dictum eſt, aptari ex æquo aliis poteſt, quæ nonniſi ea certitudinis ratione innoteſcere nobis queunt, ut aliter tamen abſolute loquendo ſe habere poſſint. Talia ſunt, de quibus prudentes viri conſultari ſolent, quæ bona ſunt, & utilia ad bene vivendum in univerſum; ejuſmodi multa eveniunt in hominum commercio, ubi de juſti pretii determinatione agitur, quæ multiplex eſſe poteſt ex multis adventitiis cauſſis non niſi prudentiæ judicio expendendis, de æſtimatione perſonarum, qua judicamus alteram alteri in certo negotio, aut officio præferendam

rendam publici boni cauſſa, aut alterius neceſſitatis intuitu, de exæquatione inter delicta, & pœnas; quis enim accurate definiverit, quot plagæ, & qua violentia incuſſæ atrocitatem certi ex. gr. furti adæquent? Idem affirmetur de imperfectorum officiorum neceſſitate, puta de liberalitate, miſericordia, gratitudine, æquitate exercenda, quæ aliquando nonniſi ex adjunctis oportet definire; ut interim mittam quæ in legibus ipſis aliquando innui, ſubaudiri aliquando videtur indulgentia, & venia, quæ *latitudinem quamdam*, ut inquiunt, *moralem* efficit; quia & in legibus ipſis vis adſtringendi mortales non eodem ſe modo ſemper habet, ſed circa quaſdam actiones præcipiendas, aut vetandas laxior, quandoque circa alias ſtrictior apparet: unde eſt, ut aliud jure ſtricto, aliud ex æquitate deberi dicatur, de quibus omnibus Puſendorfius lib. 1. de jur. Nat., & Gent. cap. 2.

XXI.

Ex his patet 1. quænam ſit, quæ toties in hac cauſſa producitur, *moralis certitudo*, quamque in rebus particularibus morum obtinere plerumque receptum eſt (*a*). Non enim ea eſt, quam principiis agendorum, aliiſque evidentioribus cauſſis competere diximus, & recte *moralem certitudinem perfectam* appellaveris; ſed quæ ex ſignis quibuſdam, & argumentis, quæ VVolfius nominat *requiſita ad veritatem*, Phil. Rat. par. 2. ſect. 1., colligitur, quamque nonniſi *moralem imperfectam* rectiſſime dixeris, quia licet valeat animum prudenter certum efficere de

(a) *Quæ, & qualis ſit moralis certitudo in particularibus caſibus obtinens.*

de rei veritate, attamen non excludit penitus *poſſibilitatem* contrarii, ſed quæ non timetur, quippe imprudens eſt. Nempe *in agibilibus*, ut loquitur D. Thomas 2. 2. q. 123. ar. 7. *per prudentiam diſponuntur actus humani*. Prudentia enim *perfectio* quædam *rationis eſt*, ibid. ar. 12., ſed ut ratio in dato genere perfici poteſt. Atqui in ejuſmodi variis, & contingentibus rebus, circa quas actus humani plerumque verſantur, non poteſt ratio perfici, ſaltem ubique, & ſemper, per evidentiam demonſtrationis, quæ tantum in neceſſariis locum habet, & ex ſua natura determinatis, ſive illud fiat ob tenebras naturæ quaſdam, ſive ob rerum ſimilitudinem. Ergo ea tunc in pretio habebitur *perfectio rationis*, quæ ſolum pro rei natura, & modo obtineri poteſt, cujuſmodi eſt illa certitudo ex ſignis collecta non neceſſariis quidem, ſed plerumque veritatem attingentibus, quæ ſolum in peculiaribus negotiis, & rebus præſto ſunt. Namque eatenus ratio perfici dicitur, quatenus in verum pro modo rei dirigitur, ut poſſibile eſt, quod omnino facit prudentia, quæ utpote virtus *intellectualis* ſuo ipſius ordine, & nutu tendit in verum, quod ipſius intellectus & objectum, & perfectio eſt.

Accidit ferme in hujuſmodi variabilium cognitione, quemadmodum circa futura quædam uſuvenire ſolet, quæ ſcilicet homines præcognoſcere nequeunt, niſi ex quibuſdam eorum ſignis, & ex præſente complexione rerum, ut ſæpe faciunt prudentes, qui ex præteritis memoratis, & præſentibus intellectis de iis, quæ eventura ſint, conjectantur. Eo modo, qui providi paſſim apud alios audiunt, advigilant rebus ſuis, & quando certius haberi

beri nequit experimentum, omni ope contendunt, ut eam ſaltem negotii rationem capiant, quæ pro ipſius natura ſuppetere inquirenti poteſt. *Nunquam expectamus nos*, ajebat Seneca lib. 4. de benef. cap. 33., *certiſſimam* (quæ ſcilicet haberi nequit) *rerum comprehenſionem, quoniam in arduo eſt veri exploratio, ſed ea ire, qua ducit veriſimilitudo. Omne hac via procedit officium. Sic ſerimus, ſic navigamus, ſic militamus, ſic uxores ducimus, ſic liberos tollimus, quum horum omnium incertus ſit eventus. Ad ea accedimus, de quibus bene ſperandum eſſe credimus &c.* Haud aliter, inquam, de particularium quorumdam cognitione dicendum, ubi & ſe ſe determinandi neceſſitas ingruit, & aliunde non niſi ex lucentibus hinc inde quodammodo ſtricturis veritas colligenda eſt, modo ex iis ſatis prudens de illa judicium effici queat. Longe enim plura ſunt, quæ ea ſolum ratione diſcimus, aut tenemus, quam alia, quod attinet ad ſingulares agendorum cauſſas. Quare S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus part. 1. Summæ tit. 3. cap. 10 ſententiam in hac re Gerſonii Pariſienſis Academiæ Cancellarii referens, & probans, *Certitudo*, inquit, *quæ requiritur in materia morali, non eſt certitudo evidentiæ, ſed probabilis conjecturæ ... Non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis ... magis ad unam partem, quam ad aliam ſe habentibus*. Ita Judex, ut vidimus, quando aliter fieri nequit, finit controverſias; ita & alia in hominum vita negotia abſolvuntur. Prudentia porro filiorum hujus ſæculi, quod ſpectat ad humana officia, debet eſſe filiorum lucis norma in his, quæ

ad Deum ſunt. Neque enim aliter e. g. certi eſſe poſſumus de noſtra, aut aliorúm præparatione in ſacris faciundis, adminiſtrandis, aut percipiendis neceſſaria, quam ex ejuſmodi argumentis, quæ ſigna appellavimus veritatis. Quod ſemel in hac cauſſa dictum ad alias transferri volumus, quæ ejuſdem generis ſunt, & in quibus ideo par ratio viget.

XXII.

II. Patet etiam ex dictis revera ejuſmodi certitudinem prudenter inductam pro moralibus cauſſis ſufficere, quando alia haberi non poteſt (*a*). Namque ſi ſola veritas homini propoſita eſt tamquam agendorum norma, ſive faveat ipſius libertati, ſive eandem coërceat, nec ea alio modo, ut præjudicatum eſt, in ſingulari, de quo agitur, negotio eſt apta cognoſci, niſi per argumenta prudentiæ; manifeſtum eſt certitudinem inde exiſtentem ejus veritatis ſatis eſſe, ut homo ſe ſe ipſum determinet ad id, quod eo modo, cujuſque rationis ſit, verum percipit, ideſt legis præſcripto conſonum. Quippe eo pacto certus eſt, ut ponitur, quantum natura rei poſtulat, & patitur, de honeſtate ſuæ actionis, nec poteſt indiligentiæ, aut alterius vitii argui, quod majorem certitudinem non habuerit, quæ ex rei conditione non erat, atque eo ipſo optanda quidem homini fuit, ſed nullo modo parabilis. Hinc propterea non erit cur hoc loco iterum, quod *tutius* eſt, aut dicitur, obtrudatur, quod quum, etſi vere tale ſit, non habeatur præceptum, ubi veritas legis pro natura negotii ſatis conſtare intelligitur; idcirco vere nequit ſaltem

(a) *Ut ſufficiat ea moralis certitudo pro rei natura ad hominis determinationem &c.*

tem in univerſum requiri, quippe, ut antea diximus, non quod tutius, ſed quod verum nobis tenendum lege propoſitum eſt.

Et ſane moralem certitudinem, ut in gravibus vitæ negotiis, ita & in aliis ſufficere, quando major notitia de rei veritate nequit obtineri, & aliunde talis ea eſt, ut ad prudentem aſſenſum adducat, & quod ex adverſo eſt, non videatur, niſi contemnendus ſcrupulus, tum ex prædictis conſtare poteſt, tum ex recepto communi ſenſu. *Expecta*, ajebat Seneca laudato loco de humanæ vitæ negotiis agens, quorum exitus prudentia tantum licet veſtigare, *expecta, ut, niſi bene ceſſura non facias, & niſi comperta*, ideſt ad oculum demonſtrata, *veritate nihil moveris, relicto omni actu vita conſiſtat. Dum veriſimilia me in hoc, aut illud impellant, non verebor beneficium dare ei, quem veriſimile erit gratum eſſe*. Quis enim, ut rem ad mores propius transferamus, certus uſquequaque eſſe poterit de juſtitia ſua apud Deum, quæ tamen ad quædam, uti par eſt, ſancte perficienda omni modo neceſſaria eſt? Quis de vi, & intentione actus, quo hæc ipſa juſtitia paratur, quo diligitur Deus, aliiſque ejuſmodi, quæ etiam ex affectuum aliorum hominum cognitione, ac judicio pendent, ſibi quid abſolute tanquam indubium, ac firmum polliceatur, quæ videlicet vel illuſtrium Sanctorum ſtudia effugerunt, & curas? Satis erit igitur, quam pro ſingularibus cauſſis habere licet, certitudo moralis, ut cenſeamur prudenter nos ipſos determinare, niſi forte quis velit in pleriſque abſiſtendum eſſe ab officio, quod cum per ſe malum eſt, tum nihil perniciosius in rem communem cogitari poteſt.

Accideret in hac parte, ut alia mittam loqui, quod cuidam Herodico, ut memorat Ariſtoteles, qui quum nihil aliud ageret per totam vitam, niſi ut valetudinem impenſius curaret, atque ita ab infinitis pene rebus abſtineret inani metu, corporis interim uſu quaſi multatus eſt. Sic hominem, cui, quod vitet, numquam ſatis cautum eſt in horas, adhuc opprimet improviſa vis leti, quæ ſemper rapuit, rapietque gentes. Id ipſum exprobratum eſt olim quibuſdam Philoſophis, qui quum incerta eſſe omnia profiterentur, neque adeo ſenſibus, quibus quaſi nuntiis animus utitur ad res cognoſcendas, crederent, miſerabilius fallebantur, quam ſi credidiſſent, ubi opus erat, licet aliquando error poſſet irrepere. Multa eſſet mihi copia memorandi officia, quæ implenda ſunt, nec tamen alia nituntur certitudine, niſi quæ prudentiæ dicitur. Sic etſi graves juris ſint pejerati pœnæ, quot tamen reperire eſt, qui perfidum dixere ſacramentum? Numquid propterea teſtibus in judicio ſtandum non erit, quod non ſine multa, & gravi ratione inſtitutum eſt divino, & humano jure? Sed enim hæc prætermitto, quæ ſatis obvia ſunt, & jam ſuperius indicata. Tantum referam, quæ Auguſtinus habet lib. 2. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 5. *Homines ſumus: unde aliquid aliter ſapere, quam ſe res habet, humana tentatio eſt... In nullo autem aliter ſapere, quam res ſe habet, Angelica perfectio eſt. Quia itaque homines ſumus, ſed ſpe Angeli ſumus* (Matth. 22.), *quibus æquales in reſurrectione futuri ſumus, quandiu perfectionem Angeli non habemus; ideo dicit Apoſtolus* (1. Cor. 10.): Tentatio vos non apprehendat, niſi humana. *Humanum eſt ergo aliquid aliter, quam*

res

res ſe habeat, ſapere &c. Ne autem tentatione divina abripiamur, illud in omnibus curandum erit, ut animum afferamus in conſulendo liberum, neque delicto, neque libidini obnoxium; ut veritatem diligamus, quæramus, ut poſſumus, ſicut fert natura negotii. Ea enim ſola, ut antea diximus §. XIV., nobis propoſita eſt, quam ſequamur, ut manifeſtari, & cognoſci ab homine per opportunam diligentiam poteſt; quæ etiam, ut hoc moneamus, & gravior, & accuratior eſſe debet, quo præſtantius, aut difficilius eſt id, de quo quæritur; notum eſt enim, quod & ipſum naturæ lumen oſtendit, *ubi majus periculum intenditur, ibi procul dubio eſſe plenius conſulendum*, cap. 3. de elect. in 6. Atque hæc quidem de neceſſariis officiis intelligenda ſunt; namque in liberis ſi quis voluerit eo, quod perfectius eſt, abundare, atque ab iis etiam abſtinere, quæ per legem licent, integrum cuique jus erit, dum error abſit, neque gravior cauſſa pro tempore in adverſum trahat.

XXIII.

Sequitur porro ex his, quod & jam alibi innuimus, opus, quod quis putabat bonum ex inducta, ut ipſi viſum prudenter eſt, morali certitudine, licet ex ſe ejuſmodi non ſit, quia ex objecto, ut præconcipitur, veritati repugnans, attamen non adſcribi ipſius agentis vitio, quia quod præter omnem prorſus animi ſententiam incidit, involuntarium eſt; quod autem tale eſt, non tribuitur culpæ, quæ non niſi a voluntate eſſe intelligitur. Immo, quod probe in hac cauſſa advertendum, quum ſola veritas homini ſequenda lege propoſita ſit, nullus dubito, quin eo in caſu bonus ſit hominis affectus,

quo, ut potuit, veritatem eſt ſecutus, etſi contigerit in re ipſa decipi, quia videlicet affectus iſte, atque propoſitum animi habetur ut quid ſeparatum ab objecto, quod in ſe vitiatum eſſe concipitur citra omnem hominis culpam (*a*). Qua in ſpecie retineo, quod ſupra dictum §. XVII., nihil corrumpere actum humanum poſſe, niſi quod ad ipſum aliquo modo pertineat, ut humanus eſt. Quum autem ille error, de quo agimus, hujuſmodi humanum actum, qua humanus eſt, non attingat, inde conficio prædictum voluntatis actum, qui eo in caſu definitur bene agendi propoſito, ejuſmodi involuntario errore non infici. Ex quo & illud etiam ſequitur in opere ex ſe non bono, quale generatim eſt, quod non licuiſſet a ſciente fieri, poſſe adhuc intelligi voluntatem, ideſt aliquem voluntatis actum bonum, ut conſtituitur ipſo bene agendi voto, quod etiam in re aliqua non bona contingere per involuntarium errorem poteſt, ubi reapſe talis error admittendus ſit.

Atque huc pertinere videtur inſignis Juliani Pomerii ſententia lib. 3. de vita contemplativa; ſic enim ſcribit: *Hi, qui prudentiæ participatione prudentes effecti Deo ſuo non pedibus, ſed ſanctis moribus appropinquant, ex ea parte, qua ſunt dono Dei prudentes, nec ſuo perire poſſunt, nec alieno peccato.* Talis porro mihi eſt eorum prudentia, qua ſe ſe probi, & pii determinant, ut nihil aliud, niſi quod vere bonum eſt, in omnibus quærant, & velint.

(a) *Quid dicendum ſit de eo, qui pro certo habens aliquid ut bonum, aut permiſſum, in illo ipſo penitus involuntarie deceptus eſt.*

ſint. Eſt enim id genus prudentiæ donum Dei, & ex hac parte pius homo numquam fallitur, quia vere bonum eſt ſic velle; hinc rectus ſemper eo modo ipſius affectus eſt, atque adeo actus determinationis, ut ex tali affectu procedit. *Ex eo autem*, ſubdit, *quod nec dum ita eſt eorum perfecta prudentia, ſicut in illa vita erit, ubi perfecte videntibus nullus error obrepere omnino poterit, etiam prudentes aliquoties peccatis fallentibus acquieſcunt, non voluntate depravati, ſed humano errore ut homines lapſi, nec adhuc tota prudentiæ, ac ſapientiæ perceptione perfecti, ſicut ibi erunt, ubi nec ignorare aliquid, nec peccare jam poterunt*. Ejuſmodi porro eſt prudentia humana, qua decipi etiam juſti in alicujus rei, quam eligunt, veritate poſſunt, quæque tantum abeſt, ut quod ex Deo eſt, inficere queat, quantum alienum eſt ab omni fide rationis bonum, aut voluntatis per aliquid, quod omnino citra rationem, & voluntatem eſt, corrumpi. Atque hanc quidem diſtinctionem inter agentis animum, & opus ipſum quandoque obtinentem agnoſcere quoque viſus eſt S. Thomas, quando animadvertens 2. 2. qu. 110. art. 3. quoſdam in Scripturis laudari, quorum opus in ſuſpicionem venire poterat mali, eos commendatos inquit non propter perfectam virtutem, ſed propter quamdam virtutis indolem in ipſis elucentem, *ſcilicet quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quædam indebita facienda;* quo modo explicat Judithæ factum, & laudes ipſi delatas cap. 15. Id quod multo magis de eo, qui involuntarie deliquit bonum quid agere putans, ſubaudiendum

 eſt.

eſt. Cæterum addit idem Pomerius: *Hic vero, ſi potuiſſet a peccato recte factum perfecte diſcerni, nunquam ab occultis ſuis oraret ille mundari, qui ait: Ab occultis meis munda me.* Quod non ita accipiendum eſt, quaſi involuntarie factum imputetur, in quo eſſet manifeſta repugnantia, ſed quia difficile eſt, immo etiam impervium homini certo noſſe, num omnem, quam oportebat, adhibuerit diligentiam ad inveſtigandam in peculiari negotio veritatem, quem videlicet ſæpe mollis inertia vincit, & affectuum occulta perturbatio, quæ in rebus morum præcipue locum habere naturæ vitio ſolet; & etiam quia vere fidelis, ac pii erga Deum eſt non ſolum nihil committere, quod contra Dei præſcriptum eſſe cognoſcatur, verum etiam illud ipſum improbare, quod utcumque etiam per improviſum errorem exciderit. Utroque ſenſu piis, & probis omnium occultorum, & eorum etiam, quæ fortaſſe incurioſis elabi potuerunt, venia a Deo petenda eſt, & ut ſibi in omnibus conſulant, & ut animo rejiciant, quæ etiam incogitanter adverſus ordinem admiſſa ſunt: ut interim mittam neminem reperiri poſſe in hac vita penitus immunem a ſorde, ſaltem ex earum genere, quas pro nativa infirmitate parum humana cavit natura; & rurſum quemque, dum veniam petit erroris cujuſcumque admiſſi, eo ipſo majus a Deo lumen impetrare, quo agnoſcat tenebras ſuas, ad eumque veniat, qui ſolus poteſt hominem figere in veritate. Sic ſapiens ille judex ex Auguſtino lib. 19. de Civ. Dei cap. 6. qui non *ex nocendi voluntate, ſed neceſſitate neſciendi*, ideoque non *ex malitia ſapientis, ſed ex miſeria hominis* fallitur, eam adhuc, quam agnoſcit in iſta neceſſitate

rate miſeriam in ſe ipſo odit, & ſi pie ſapit; clamat ad Deum: *De neceſſitatibus meis erue me*: pſal. 24.

XXIV.

Quæſtio itaque nunc eo revertitur, ut videamus qualia ejuſmodi argumenta ſint, quibus moralis paratur certitudo, cui nixam conſcientiam in rebus morum ſufficere diximus, ut quis prudenter ſe ſe ipſum ad id, quod eo modo cognovit ex lege eſſe, determinet (a): & quoniam, ut dictum eſt, ea moralis certitudo non alio ſpectat, niſi in verum, quod per legem in actu particulari eſt, prout ad licitum, vel illicitum refertur; hinc neceſſe eſt, ut ejuſmodi, de quibus loquimur, argumenta ex ſe apta ſint pro rei natura, & modo ejuſmodi verum demonſtrare. Quo fit, ut ejus generis argumenta non debeant eſſe ad arbitrium inducta, ut aliquid, quod placet, utcumque ſuadeatur, ſed quæ in verum ſpectent vi ſua, ut pro ſingulari negotio manifeſtari poteſt, neque adeo indifferentia ad falſitatem ſint. Namque ſi ea aſſumuntur, ut ponitur, ad veritatem dignoſcendam, qui fiat, ut æque in falſum ſpectare poſſint, quod vero adverſum eſt?

Hinc ex hoc capite refellitur eorum agendi ratio, qui, modo quidquam etiam leviter probabile ſubierit animum, continuo ex eo ſe determinant; quaſi vero id genus argumenti aptum ſit rei, aut opinionis cum veritate nexum oſtendere, atque ita prudentem parere certitudinem; cui nimirum argumento

(a) *Quæ, & qualia ſint argumenta, quibus veritas pro rei conditione detegi poteſt, deque ejuſdem cognitione moralis certitudo comparari.*

gumento ne in communibus quidem, minimeque gravibus humanæ vitæ negotiis fideretur. Eo modo phantaſmata quoque videri poterunt vera, ſi animus velit plus eorum ſpeciei tribuere, quam par ſit, immo ea profecto ratione in incertum etiam vocari poſſet quidquid eſt maxime inviolabile, & ſanctum, quum nihil plane reperire ſit, adverſus quod non aliqua ſuſpicio, difficultas, aut adparens ratio excitari queat, nihilque ſit tam bene dictum, aut conſtitutum, quod male intelligendo, aut ineptæ rationis uſu nequeat depravari. Quum igitur hic agatur de veritate in particulari negotio cernenda, quæ per legem ſit, haud ſatis erit argumentum quodcumque adhibere, ſed immo illud unum, aut plura oportebit adſumere, quæ ex ſe apta ſint rem finire, ſeu, quod eo modo in re veri eſt, declarare. Eo enim ſolo argumenti genere cognoſci poterit veritas, de qua quæritur, ac de ejuſdem cognitione moralis induci certitudo, quæ ad juſtam determinationem neceſſaria eſt.

XXV.

Argumentum autem quodvis, quod ad rei alicujus cognitionem aſſumatur, vel ex rei ipſius natura, vel ex auctoritate eſt (*a*). Ratio enim colligit intrinſeca veritatis indicia, quæ ex re ipſa pellucent, cujuſcumque ordinis, aut naturæ ſit; & quoniam in re, ut nunc quæſtio eſt, contingente verſamur, ea colligit ratio, quibus conſuevit plerumque ejuſdem rei veritas oſtendi. Eo modo

(a) *Argumenta veritatis, & certitudinis alia ex ratione, alia ex auctoritate ſunt.*

do agebant Academici ipſi, qui quum exiſtimarent veritatem alto velut puteo demerſam in ſe cerni, ac reperiri non poſſe, conſectabantur maxime veriſimilia, ut per ejuſmodi quaſi veritatis ſigna, quæ ex negotii cujuſque indole, & adjunctis, aut ex facta contentione cauſſarum exiſterent, id ipſum tuerentur, quaſi proximius ad veritatem accedens. Auctoritas vero in ſubſidium rationis eſt, quando aut quis ea non pollet intelligendi vi, qua aliquid pro ipſius natura aſſequatur, aut quando illud ipſum tale eſt, ut non poſſit, aut non expediat melius, quam auctoritate finiri; quod maxime in peculiaribus morum negotiis intervenit, quæ ſaltem pro communi populi doctrina, & regimine non oportuit, niſi quadam auctoritate proponi, & ut vulgus ab inquirendi cura plerumque liberaretur, & ut tandem aliquis poneretur locus, & cauſſa, in qua pro ſui conditione, & ſtatu plerique omnes quieſcerent. Hinc argumenta ejuſmodi, quibus conſcientia moraliter certa parari de peculiaris negotii veritate poteſt, ut ad mores pertinet, non alia ſunt, & habentur, niſi *ratio*, quæ ex natura petitur rei, ut quodam modo ipſa ſe manifeſtat, & *auctoritas*, quæ vel rationem communit, vel in ejus locum arceſſitur, ubi ratio tam liquida non eſt, ut poſſit ad prudentem aſſenſum adducere.

Hæc porro ex ſe ſatis conſpicua ſunt. Tantum admoneo, quam hic nominamus, atque inducimus, auctoritatem non eam eſſe, quæ divina eſt, aut ex Eccleſiæ judicio prodit inerrantiæ privilegio donatæ; ea enim tantum abeſt, ut ſolum moralem eam, de qua loquimur, certitudinem producere valeat,

quin

appellantur, quibus ſolis competit *juſta*, ut loquitur, *miſſio populum jure proprio docendi*; qui ſoli, quod ſpectat ad morum doctrinam, ſibi creditas animas debent Deo tanquam rationem de ipſis reddituri, ut ajebat D. Paullus Hebr. 13., quorum proinde auctoritas in hujuſmodi rebus ſi abſque evidente, & certiſſima cauſſa imminuatur, metuendum eſt, ne univerſa eccleſiaſtici regiminis forma, & ratio divinitus conſtituta peſſum eat, quum Eccleſia non conſtet, niſi ex Paſtoribus, & Plebe, illis docendi, huic præcipue diſcendi facultate collata, &, ut ajebat Auguſtinus lib. de util. credendi, *vera religio ſine quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto poſſit*. Quæ quidem omnia, & alia, quæ fuſe perſequitur laudatus Scriptor, quid aliud probant, niſi ut ſummam, quæ Paſtoribus in proprium gregem competit, docendi poteſtatem, ſic obſequium, ac fidem, quam iiſdem *vivendi præcepta dantibus* adhibere par eſt, niſi evidens contra ſingularem eorum ſententiam, aut ſatis idonea pateat exceptio?

XXVI.

Itaque quum duo tantum ſint argumenta, quibus repræſentari alicujus ſententiæ, aut rei cum veritate connexio queat, ratio ex ipſa rei natura, ac adjunctis petita, & auctoritas, quæ ut plurimum in prioris ſubſidium venit, eique conjuncta eſt, ut conſcientia moraliter certa de alicujus rei, aut operis honeſtate habeatur, alterutrum, aut utrumque ſimul argumentum, ut poſtulat negotii ratio, inducendum eſt; quippe non aliter, ut ponimus, manifeſtari propoſitæ cauſſæ veritas patitur, aut poſtulat (a).

In

(a) *Ut firmioribus tantum argumentis credendum ſit &c.*

In quorum quidem argumentorum inveſtigatione, & uſu recta, ut ajunt, fide, ideſt ex veritatis cognoſcendæ amore procedendum eſt, ne quis ſibi data opera illudat; quod tum fiet, quando potiori rationi, & auctoritati minor, aut ad rem non pertinens cedat; eo enim ſolum modo poteſt ingenuo animo rei cum veritate connexio repræſentari, quippe quod infirmiore nititur argumento tale videri nequit, quia in alterius conflictu quod minus conjunctum cum veritate videtur, debet neceſſario ut non ſatis conjunctum, ſaltem pro eo tempore, apparere, quum ea ſit contrariorum ratio, ut quo propius quidquam ad certum terminum accedit, eo magis alterum ab illo diſtare, atque disjunctum eſſe intelligatur.

Atque huic plane principio nititur communis doctrina, qua traditur in obſcuris *veroſimilius* ſequendum eſſe, quum ſcilicet plenior veritatis cognitio haberi nequit, & aliunde aliqua deliberatio capienda eſt. Veroſimilius eſt autem, nemine contradicente, quod graviore ſeu rationis, ſeu auctoritatis momento nititur, quippe non aliter, quam argumentis ejuſmodi conſuevit veritas manifeſtari, eoque firmius, quo illa majoris ponderis ſunt. Hinc Benedictus XIV. in Encycl de uſuris tom. 1. Bullar., & in altera Encycl. de Præparat. ad annum ſanctum, quum docuiſſet non debere quemquam privatis opinionibus ſuis nimium adhæreſcere, e veſtigio addidit poſt neceſſarium, & diligens examen eas partes ſuſcipiendas eſſe, quum ſcilicet in ejuſmodi rebus verſamur, ubi veritas non lucet ipſa per ſe, quas *tum ratione*, *tum auctoritate plane confirmatas intelliget*, vel, ut ibidem ſcribit

bit, in eam ſententiam concedendum, *cui magis ſuffragari ratio, & auctoritas favere cognoſcitur*. Eo quippe modo tenemus verum, ut poſſumus in ſubjecta materia, dum id ſequimur, quod vel unum ratio, & auctoritas plane confirmant, vel quod præ alio ut magis confirmatum apparet. Regula hæc adeo communi ſenſui conſona, & quæ omnes ferme difficultates exterminat, tradita etiam, atque propoſita olim fuit a Ludovico Pio Imperatore in hac ipſa, de qua agimus, morum doctrina. En ipſius capitulum Addit. 3. c. 32. *Nullus Sacerdotum unquam . . . ſecus judicet, quam quod in Canonibus ſacris invenerit, aut quod illi ſecundum ſanctarum Scripturarum auctoritatem, & eccleſiaſticam conſuetudinem rectius viſum fuerit. Rectius*, inquit, ideſt quod animadverterit auctoritati, ac legitimæ conſuetudini congruentius. Quod ad rationem ſpectat, id ipſum docuit Lockius, de qua re cumque agatur, cujus veſtigare, ac tenere velimus veritatem. Primo enim ait, antequam aſſenſus alicui propoſitioni adhibeatur, accurate colligenda eſſe omnia, quæ illam communire videntur, aut infirmare; deinde iſthæc argumenta ſingula ſine partium ſtudio expendenda eſſe tantum pro gradibus virium, quos habent. Tertio tandem ei ſolum parti aſſentiendum, cui ſuffragentur validiora argumenta, & pro rata portione virium, quibus hæc argumenta aliis præſtare intelliguntur. *Abregé de l'eſſai de M. Locke ſur l'entendement &c. Liv.* 4 *ch.* 14. Atque hoc quidem modo, dum ei parti aſſentior, quæ gravioribus argumentis confirmata videtur, non aliud ago, niſi quod prudens ſolet, ubi in ejuſmodi rebus quidquam judicandum eſt; dum autem nihilo plus credo, aut tribuo ſen-

tentiæ

tentiæ, quam quod ipſius momenta ferant, ut contraria ſuperare percipiuntur, vito præcipitem, atque inſolentem definiendi arrogantiam, qua ſæpe plus tribuitur opinioni certitudinis, aut roboris, quam ex ſe habeat, aut habere intelligatur ex vi rationum, quibus communita eſt.

XXVII.

Ex his conſequitur 1. quum iſthæc moralis certitudo conſcientiæ non alia ratione obtineri queat, niſi per memorata argumentorum genera, quæ ex ſe apta ſunt demonſtrare rei, aut ſententiæ conjunctionem cum vero pro ſubjectæ materiæ indole, ſequitur, inquam, ea argumenta, ſeu ſigna, aut indicia, quæ id minus demonſtrent, non poſſe in aliorum conflictu in uno, eodemque homine moralem certitudinem parere de rei veritate, quia abſurdum eſt ex ipſo rei conceptu, ut poſſit moraliter certum videri, quod per ipſa argumenta apparet minus verum (*a*). Diximus enim certitudinem ſuo ordine in verum ſpectare; unde non poterit ut certum videri, quod ut minus præ alio verum ex ipſis rei argumentis percipitur. Argumenta enim non poſſunt quid amplius efficere, quam quod efficiant, & ſi nequeunt rem ut talem menti repræſentare, nequidem etiam efficere poterunt, ut quis ſibi bona fide perſuadeat rem aliter eſſe, atque ex ſubjectis argumentis intelligit, aut eam ſe certitudinem habere, quam animadvertit ex cauſſis eidem non conſtare. Hinc per argumenta minus aliquid

(a) *Nulla moralis certitudo rei, pro qua minora argumenta cum gravioribus confligere intelliguntur.*

aliquid demonſtrantia præ aliis in ordine ad verum nunquam effici poterit in intelligente conſcientia moraliter certa.

XXVIII.

Sequitur II. neque etiam admitti poſſe conſcientiam moraliter certam pro utraque contradictionis parte in uno, eodemque homine, quæcumque vis, aut ratio utrinque fingatur argumentorum (*a*). Sive enim alterum credat, ut moraliter certum, ſive alterum, nunquam fieri poterit, ut dum alterum tale putat, id ipſum ſentiat de oppoſito; quod contra naturam intellectus eſt, ut duo contradictoria conjungat, & æque putet vera eſſe. Si veritas una eſt, nec poteſt pugnantia ſecum adverſis frontibus componere, intellectus, qui ſuo nutu tendit in verum, ne quidem illa ſimul in uno, eodemque veritatis puncto conjungere poterit, atque adeo ſibi ut certo vera perſuadere, quæ ſe ſe pellunt mutuo. Ex quo propterea efficitur non poſſe quemquam ullo modo de utraque ſimul contradictionis parte moralem obtendere conſcientiæ certitudinem, quaſi utraque vera ſit, atque eo modo quam maluerit, prudenter eligere queat. Nimirum ut una tantum veritas eſt, ita & una ſolum in ordine ad verum, omnibus immutatis, in uno, eodem homine certitudo. Veritas in utramque partem flexibilis non eſt; ergo nec certitudo, ſi reapſe talis habeatur, poterit ad duo extrema fluere, & refluere, quæ ſe ſe ex adverſo reſpiciunt, ſibique invicem contradicunt.

(a) *Item nulla moralis certitudo conſcientiæ in uno, eodemque homine pro utraque ſimul contradictionis parte.*

Nec juvat dicere utramque contradictionis partem veram videri poſſe ſaltem pro diverſo tempore, & modo, quo placet alterutram conſiderare, ſcilicet vel quia in hanc potius, quam in aliam quis ſe ipſum defigit, vel quia aliorum adverſæ partis momentorum velut oblitus in iis tantum ſiſtit, quibus impetus quodammodo in vacuum animum fiat. Quis enim unquam prudens, & cordatus homo ſibi perſuadeat eum, cui veritas cordi ſit, ita comparatum eſſe poſſe in ejuſdem inveſtigatione, ut putet alteram tantum partem conſiderandam eſſe, quo ſibi queat de veri cognitione blandiri? Agitur hic de quæſtione, quæ in re mutabili, & fluxa verſatur, ut ideo ipſa rei mutabilitas admonere inquirentem debeat de utriuſque partis cura. Vel ipſa poſſibilitas veri ex parte altera an non excitare, & acuere ingenium debet, ut exploret, num forte illic reapſe lateat, quod hactenus conſideratum non eſt, vel conſulto prætermiſſum? Itaque hæc exceptio, qua dicitur utramque partem contradictionis veram, atque adeo moraliter certam alicui videri poſſe, pro ut voluerit tantum alterutram conſiderare, nullius momenti eſt, ſi de probo quidem agatur, & ingenuo, qui veritatem ex animo quærat. Non enim eo modo de futuris, aliiſque negotiis, quorum veritatem, aut exitus noſſe velit, mediocriter prudens philoſophabitur. Ne ipſi quidem Academici, quorum non ſemel producta ſententia eſt, etſi omnem veritatis cognoſcendæ ſpem abjicerent, hunc ejuſdem inquirendæ probaviſſent modum. Fatebantur ii ſuum probabile, quod latiſſime patebat, poſſe ad alicujus propoſitionis partem *ſine aſſenſione* videlicet neceſſaria invitare; at interim negabant aſſen-

aſſenſionem ejuſmodi iniri ſine ratione poſſe, & quidem vehementius impellente, quam ferret conquiſita alterius partis cauſſa. *Ut verbi gratia*, ajebat ex eorum ſententia Auguſtinus lib. 2. contra Acad. cap. 11. *utrum heſterna nocte tam liquida, ac pura hodie tam lætus Sol exoriturus eſſet, ſi nos quiſquam rogaret, credo, quod nos id ſcire negaremus, diceremus tamen ita videri*. Non quæro nunc, an ſatis idoneum haberi poſſit ſignum ex nocte illuſtri ad divinandam cum aliqua certitudine lucem conſequentis diei; quum eadem ſæpe cauſſa, quæ noctu detergit cœlo nubila, interdiu obducat polum. Tantum urgeo, quemadmodum Academici non ex arbitrio in hac, aut illa parte ſibi probabilitatem fingerent, ſed eam ex ratione ipſa non quidem neceſſario efficiente, ſed præ alia efficiente tamen definiendam eſſe exiſtimarent: *Et talia*, inquiebat Academicus ſectæ ſuæ nomine, *mihi videntur omnia, quæ probabilia, vel veriſimilia putavi nominanda*. Atque ad hoc confirmandum ne verbum quidem addam. Satis eſt enim veteris Philoſophiæ, & ejus quidem, quæ deſperabat verum videre, exemplum, ut intelligamus nihil abſurdius eſſe, quam ſibi verum ad arbitrium in hac, vel illa parte comminiſci; quod tum fit, quum altera ſine altera conſideratur, aut una præ alia inſpicitur, quando ex adverſo ipſius probabilitatis indoles id poſtulat, ut nonniſi perpenſis utrinque momentis res diſcernatur, ut ei tantum parti tribuatur aſſenſus pro cognitionis modo, cujus ad alteram comparatæ & gravior, & firmior ratio eſt. Ex quo fiet, ut ſi altera revera probabilior videatur, ideſt propior vero, altera non amplius talis videri poſſit, ut cum alia confertur,

confertur, quæ quidem collatio in re contingente ad cognitionem veritatis omnino neceſſaria eſt.

XXIX.

Venio nunc ad conſcientiam incertam, qua quis ſibi conſcius eſt, ut diximus §. XVIII., ſe neſcire veritatem rei, quam inquirit, vel adhuc circa eam in dubio eſſe (*a*). Nimirum eo ſenſu *Conſcientia* adhuc dicitur tale judicium, non quod quidquam de veritate ſciat, quam aſſecutus non eſt homo, ſed quia ſe ſe ipſum excutiens novit ſibi necdum liquere, quod in quæſtione poſitum eſt, quaqua ex cauſſa talis ignoratio profluat. Hinc in dubio ſemper ponitur conatus aliquis animi ad inveniendum verum; quippe ſi de re agatur, quam non curet quis ſcire, proprie tunc ſimplex habebitur neſcientia rei, non incertitudo, aut dubium. Quo fit, ut dum animus nititur aliquid noſſe, & ex quacumque cauſſa non poteſt, ſaltem ut fert ejuſdem natura, tum in ambiguo eſſe dicatur reſpectu rei, quam inquirit. Ex quo intelligitur conſcientiam certam a dubia, ſeu incerta differre, quod illa ſit *dubitandi ſecura*, ſaltem ut fert conditio rei, de qua quæritur, altera non item, cui adhuc hæret anceps cura de propoſiti veritate.

Eo modo dubium definiri conſuevit *motus animi indifferens in utramque partem*, ut eſt apud Iſidorum in libr. Ethymol. Quum enim, uti probe explicat Angelicus quæſt. 14. de veritate, intellectus circa rem propoſitam, de qua aliquid affirmandum, vel negandum eſt, non inclinetur ad unam magis, quam ad alteram partem, ex hoc ipſo intelligitur eumdem

(a) *Expenditur notio conſcientiæ incertæ, & natura dubii explicatur.*

dem veluti fluctuare inter utraque contradictionis extrema. Quamobrem dubii communi uſu non ſemel iis comparantur, qui incerto feruntur mari, & ſpem inter, ac metum velut penduli fluitant; aut aliis, qui vagantes per implicitas errore vias, unde unde ſe ſe ipſos extricent, neſciunt. Idem etiam veteribus viſum eſt. Homerus dubitantem fingit tamquam ſuſpenſum in aëre, qui nulli inſidens puncto eſt *in medio Terræ ſimul, & ſtellantis Olympi*; Ariſtoteles velut eum, qui eſt vinculis impeditus, ne ulterius progredi queat; & Virgilius ſic apte alternantis animi curas dubio prognatas explicat Æneid. 4.

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In parteſque rapit varias, perque omnia verſat.

Hæc videlicet ex omnium ſententia prorſus tenenda ſunt, ut intelligatur & quæ vera incertitudinis, ſeu dubii natura ſit, & qui ejus effectus; namque ex horum notione maxime pendent, quæ nunc de incerta, ſeu dubia conſcientia, quod pertinet ad moralem aliquam practicam, ut inquiunt, veritatem, dicturi ſumus.

XXX.

Jamvero incertitudo hæc, ſeu dubitatio, quoniam ex defectu cognitionis veritatis exiſtit, quæ inquiritur, ex duplici poteſt eſſe cauſſa, vel quod nullæ, aut non ſatis idoneæ occurrant animo rationes, quibus res finiatur, vel quod æquales appareant pro utraque contradictionis parte (*a*). Sive enim verum

 non

(a) *Ut incertitudo, ſeu dubium comparate ad alicujus rei veritatem enaſcatur ſive ex defectu rationum, ſive ex apparente æqualitate earumdem.*

non invenias, quia neſcias, aut non habeas viam, qua ad ejus cognitionem procedendum ſit, ſive quia ignores, utra ducat ad illud ex duabus, quæ adverſæ invicem ſunt, quoad pertinet ad notitiam veri, nihil intereſt; quippe de eo ſemper in incerto es, nec ejuſmodi dubitatio eximi poteſt animo, niſi per inventionem ſaltem exiſtimatam veri, quæ tunc nulla eſt. Cui enim parti te prudenter addicas, ſi vel nulla habeas indicia veritatis, vel ea hinc inde tibi videantur æqualia? Nihil in hoc opere voluntati negotii eſt; tantum intellectui, cujus eſt verum cognoſcere. At ſi æqualia ſint utrinque pondera, vel nulla, lanx in ſuſpenſo eſt. Ex quo fit, ut optime recepta ſit ea diſtinctio, quæ jamdudum in ſcholis obtinuit, ut aliud nempe dubium dicatur de alicujus rei veritate, quod ex defectu rationum exiſtit, & *negativum* appellatur, aliud ex æquali, ut apparet, rationum pondere emergens, quod *poſitivum* dicere conſueverunt.

Appoſite ad hanc rem Ariſtoteles, qui utriuſque dubii naturam, & cauſſam expendens ait 1. Topic. cap. 9. Problemata eſſe ea, de quibus ſunt ſyllogiſmi contrarii, quæ ſcilicet dubitationem exhibent, utrum ſic ſe habeant, an ſecus, propterea quod in utramque partem ſint rationes probabiles; tum ea, de quibus rationem non habemus, quum magna ſint, & ardua, putantes difficile eſſe, ut afferatur ratio, quamobrem ita ſint. Problemata autem dixit, quæ ob memoratas cauſſas utrinque ſunt dubitabilia, num hoc, vel illo modo ſint intelligenda, qualia multa a Philoſophis inquiſitionis gratia proponuntur, & alia etiam, quæ familiari ſermone uſurpantur, ut audientibus difficultas, aut ſu-

cus

cus fiat, quemadmodum illud e. g. fuit Samſonis ad ſodales ſuos, de quo lib. 3. Reg. cap. 10. Id ipſum ferme ad unguem ex Philoſopho expreſſit Angelicus qu. 14. de veritate ar. 1., ubi exemplum dubitantis in iiſdem problematibus ponit, de quibus certum aliquid cognoſci non poteſt *vel propter defectum moventium, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem*. Sic vere dubii erant, qui olim, ut explorarent ancipitem fatorum viam, aut quem ipſis finem dediſſent Dii, Babylonios tentabant numeros, nec tamen inde colligere poterant, quo ſibi quidquam ominarentur, aut ſi quid noverant, eo tantum pertinebat, ut æqualia hinc inde futurorum indicia perſpicerent. Et quidem quum aliquis ſcire quidpiam laborans nec tamen quæſtionis exitum invenit argumentorum defectu, eumdem pro eo, quod quæritat, in dubio verſari nemo unus, quod noverim, contradicit. Verum, quod ad eam partem attinet, pro qua æqualia utrinque momenta adparere finguntur, non defuere, qui putarent inde opinionem potius gigni, quam dubium, quod utraque pars ſatis, ut videtur, confirmata ſit, utraque voluntatis electioni permiſſa; quaſi vero tunc non amplius de veritate ipſa quæratur, quæ lucere non poteſt, ubi contradictio in rationibus eſt, ſed de argumentis ipſis tantum, quæ ſine ullo ad verum ordine ipſa per ſe ſint prudentis electionis objecta, quod memini jam antea a me refutatum. Mitto nunc quod de ſimili opinione dici ex Auguſtino poſſet Enchirid. cap. 59., & lib. de utilitate credendi eam eſſe potius *errorem opinantium ſe ſcire, quod neſciunt, quæque nunquam ſine vitio eſt, & quod ille ediſcere non poſſit, qui ſibi jam ſe ſcire perſuaſit,*

ſi modo illud diſci poteſt, & quod per ſe ipſa temeritas non bene affecti animi ſignum ſit. Solum inſto per rationem minime fieri, ut tunc opinio aliqua vel levis de veritate haberi queat, quum paria utrinque in adverſum argumenta urgere videntur. Quum enim opinio nequeat induci niſi per putatam ſaltem cognitionem veri, undenam poterit in his rerum adjunctis ratio ſibi utcumque perſuadere ſe veritatem attigiſſe? Non quidem per indicia, quæ ſe ſe pellunt invicem, & æqualía ſunt pro utroque contradictionis extremo; neque etiam per voluntatem, cujus non eſt pro arbitrio tollere, ſeu ponere dubia, aut verum ipſum, ut ſi cæcus iter monſtrare velit, oſtendere. Concedam etiam, ſi placet, argumenta ſe ſe non elidere, ut illi volunt, ſed immo in ſua quæque integritate manere. At interim illud ſemper conſtabit neutra vi ſua poſſe mentem defigere, ut æſtimare queat hic potius, quam illic exiſtere veritatem. Ita quidem concluſit, & porro ex naturæ ſenſu concluſit feſtivus ille apud Terentium Senex, qui quum duos conſuluiſſet ſuper conjugio filii peritos juris excipiens contrarias eorum ſententias: *Feciſtis probe*, inquit: *Incertior ſum multo, quam dudum*. In Phormione act. 2. ſcena 4.

XXXI.

His conſtitutis certum eſt etiam nec naturam per ſe, aut ſtatum materiæ, de qua agitur, nec ſolam temporis conditionem, quæ adjaceat operi, aut quæſtioni, quæ proponitur, mutare poſſe, aut excutere dubii exiſtentiam, & cauſſam, demonſtrando videlicet ut certum, quod ſive ob defectum, ſive ob apparentem æqualitatem rationum incertum

eſt

eſt (*a*). Namque dubium, ut antea monuimus, & res ipſa per ſe loquitur, tolli nequit, niſi per præſumtam ſaltem inventionem veri, quam idcirco ex ſe nec diverſitas cauſſæ, quæ tractatur, efficere poteſt, nec temporis, aut alterius extranei adjuncti ratio; quippe hæc ad conſiderationem quidem cauſſæ pertinebunt, ſed non ad efficiendam ejus, quæ non noſcitur, veritatem. Ergo illud etiam ex antea dictis conſequens erit, de quacumque re ſermo ſit, & quovis tempore, animum ſemper dubium eſſe, quando alterutro ex memoratis modis impedita veri cognitio fuerit. Ex quo propterea etiam ſequitur, ut rem ad moralem, in qua verſamur, cauſſam conferamus, ſive agatur de ſpeculativa tantum quæſtione, ut loquuntur, ſive de practica, ſive de jure, aut de facto, ſive de opere jam perfecto, aut etiam implendo, quotieſcumque aliquo modo verum non luceat, quaqua ratione id fiat, animum ſemper in incerto eſſe: quod etiam nunc ad uberiorem dicendorum explicationem ſtatuendum erat.

Scilicet hæc quoque obſervanda ſunt adverſus quoſdam, qui putantes olim, ut ſupra dictum eſt §. III., aliud eſſe verum ſpeculativum, aliud practicum, inde etiam concludebant multa, quæ ſpeculative dubia eſſent, uſu ipſo certa fieri poſſe, quaſi vero ſola executio, aut operis exequendi propoſitum quidquam ex ſe conferre ad rei, vel animi certitudinem poſſet, aut objectorum naturas interververtere. Quod plane non intelligo qua ratione eorum animos invaſerit, niſi forte ſibi per errorem fin-

(a) *Quemadmodum dubii natura pro varietate materiæ, & temporis, in quo illa conſideratur, nec mutetur, nec pereat.*

finxerint aliquam hominum conſuetudinem poſſe in agendo rectum, aut firmum reddere, quod ſecus per rationem eſt. Id, quod jam vel a temporibus ſuis notaverat, atque proſcripſerat S. Gregorius Nyſſenus Homil. 2. in Canticum canticorum his verbis: *Multi homines non judicant ipſi, quemadmodum ſe habeant res naturæ, ſed eorum, qui vixerunt, intuentes conſuetudinem, aberrant a ſano rerum judicio, non prudentem aliquam ratiocinationem, ſed rationis expertem conſuetudinem boni, & boneſti conſtituentes Judicem . . . , quum ſit incertum, quo ſit unumquodque eorum redditurum poſt hanc vitam. Non enim de futuris ſatis tuto fidejubet conſuetudo, cujus finis ſæpe numero invenitur grex hædorum, non ovium . . . . Qui autem aſpicit ad id, quod eſt proprium humanæ naturæ, hoc eſt autem ratio, deſpiciet quidem rationis expertem conſuetudinem, nullum autem bonum eliget, quod non afferat lucrum animæ.* Sed enim hæc prætermitto, de quibus jam alibi. Venio ad incertitudinem legis, in qua præcipue cauſſa poſita eſt. Contendunt enim quidam etſi in facto ex. gr., ubi æqualia utrinque momenta ſint, vere ſubſit dubitandi ratio; num illud, de quo quæritur, præſtitum reapſe fuerit, an non, negant tamen hoc ipſum contingere in lege, quando incerta ſit, ſaltem quod attinet ad effectum obligationis. Namque, inquiunt, quum lex incerta eſt, atque adeo ejus obligatio, tunc jus certum libertatis, quæ competit cuique, prævalet, atque ita ſaltem quoad agendi cauſſam omne dubium eximit. Quod quidem quam inutile ſit, & falſum, paucis explico. Utor itaque permiſſo, quum dicitur in æqualitate argumentorum pro diverſa parte hominem vere

anci-

ancipitem hærere circa veritatem, ideſt exiſtentiam legis obligantis, an non. Solum quæro, an excuti dubium poſſit, quod ad operationem pertinet, per jus certum, ut conſtituitur, obtinentis tunc libertatis. Atqui hoc plane abſurdum eſt ullum certum libertatis jus fingere, quando incerta lex; & cauſſam affero. Illud tantum in moribus integrum eſt homini agere, quod per legem licet, quippe omnes actus legi conformandi ſunt, ut recti habeantur, & boni, quod omnino præceptum eſt. Jamvero quando lex incerta, atque adeo ambiguum eſt, num in ea ſpecie liceat homini agere, an non, hoc, vel illo modo, non poteſt abſolute liberum cuiquam dici, quod agere, vel non agere poſſit, eaque, vel illa ratione, quia ex dubio conceſſionis, vel prohibitionis legis naſcitur in facto dubium, num illud liceat nec ne. Ergo falſum in eo caſu dubium, quod habetur legis, eximi quoad facultatem agendi per certitudinem, quæ nulla tunc eſt, libertatis. Non eſt neceſſe hic quærere, quod a quibuſdam eſt diſputatum, utrum *permiſſio* vere ſit actus legis, an vero propriæ tantum exceptio libertatis, quando lege conſtricta non eſt. Hoc ad rem nihil attinet. Sive enim actus legis ſit, ſive libertatis exceptio, ut quis honeſte agat, ſemper requiritur, ut vel permiſſio illa, vel exceptio certa aliquo modo ſit. At ubi certitudinem alterutrius invenias, quando ipſa incerta lex eſt, a qua una vel permiſſio eſt, vel legitima, ac juſta libertatis exceptio? Fruſtra quæreretur hic de ulla libertatis adverſus legem poſſeſſione, quippe nec certa poſſeſſio ejuſdem obtrudi poteſt, ubi incertum, an lex obliget, nec ne. Quod quum ne in civilibus quidem negotiis admittatur, quando dubium

eſt

eſt de lege Principis, multo minus admittendum, quum agitur de divinæ legis imperio, quæ & æterna, & naturæ ipſi ſaltem generatim congenita eſt; unde primum cujuſque juris principium eſt, quod & Thomaſio viſum Juriſprud. div. lib. 1. cap. 3., *Imperanti pare*, quod, ut ad Juriſprudentiam divinam transfertur, ſic ſe habet: *Deo pare*, *quia eſt imperans*. Hinc nemo poteſt ullum aliud ei principium præponere, quo in dubio ſe ſe ipſum regat inutili, & falſa ſuæ libertatis exceptione, niſi vanitatis, & arrogantiæ vitio accuſetur, ut eſt in libro Jobi cap. 11. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur*, *&* *tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat*. Quod de incertitudine obligationis dicitur vere obtinente, ubi pares utrinque rationes ſint, an lex vigeat nec ne, id ipſum locum habet, de re quacumque agatur, adeoque de opere ſeu faciendo, num ſcilicet illud per legem liceat, an non, ſeu facto, quod ad eamdem cauſſam revocatur, nempe an quid vere præſtitum nec ne fuerit, quia in utroque caſu res definiri per ullam veram certitudinem, aut prudentem alterutrius partis perſuaſionem poteſt. Quare ubi res ad licitum, vel illicitum referatur, ſaltem quod pertinet ad Dei legem, utrumque eaſdem leges ſequetur, quas in dubio ſervandas pro rei ſtatu mox præſtituemus.

XXXII.

Quæritur igitur nunc quid conſilii capiendum ſit, ubi de honeſtate, aut turpitudine actionis dubium incidit (*a*). Qua de re illud generatim ſtatuitur

(a) *Ut non liceat cuique cum dubio ad legis ordinem quoquo modo pertinente agere*.

tuitur, quod & ex ſuperioribus effluit, nemini fas eſſe cum tali dubio agere, aut in eo quo demum cumque modo quieſcere, etiam ubi de præteritis ſermo ſit. Quippe qui ſic dubius agit, aut nihil de eo, quod egerit, curat, ſive ex lege fuerit, ſive adverſus ipſam, eo ipſo demonſtrat ſe nihil de legis cuſtodia laborare, nihil de ejus violandæ periculo, aut culpa, quæ ex opere ipſo contracta eſt, atque ita ſe ſe ipſum, aut res ſuas adminiſtrans eo uſque procedit, ut quodammodo ſuam voluntatem, atque arbitrium legi præficiat. Atqui porro quidquid ejuſmodi fuerit, & quacumque ex parte conſideretur, prorſus in vitio eſt. Namque ſe ſe objicere voluntario, & prudenti legis violandæ periculo, ut in dubio accidit, aut legem quocumque modo contemnere, nemine contradicente, peccatum eſt, & quidem pro gravitate, aut natura rei, vel actionis, cujus cauſſa quis adit legis periculum, aut legem ipſam temnit. Ex quo & illud magis efficitur, quod ſuperius conſtitutum, non licere cuiquam agere, aut ſe ſe ad aliquid determinare, niſi moralem pro rei negotio certitudinem habeat de honeſtate conſilii ſui, & actionis; quod & naturalis ratio docet, & ordinis cujuſque tranquillitas poſtulat, ſicut etiam propriæ ſalutis cura: quæ proinde certitudo quum in dubio ejuſmodi nulla ſit, ſive de præterito agatur facto, ſeu de opere futuro, in proclive eſt nullo modo cum ejuſmodi dubio agendum, aut in ipſo quieſcendum, quando prudens ſuſpicio de crimine, aut opere contra legem admiſſo eſt.

Docuit

Docuit id Tullius lib. 1. de officiis cap. 9. his verbis: *Bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum ſit, an iniquum: æquitas enim lucet ipſa per ſe, dubitatio cogitationem ſignificat injuriæ*; ideſt, ut explicat Heineccius lib. 1. elem. de Jur. Nat., & Gent. cap. 12. §. 47., *qui dubitans de æquitate actionis tamen agit, eo ipſo prodit animum injuriam faciendi Deo*, quæ nimirum ex rei indole, & gravitate penſatur, & ex animo, quo quis voluit ſubire diſcrimen. Qua in re etiam animadvertendum eſt, etſi contingeret hominem falli in periculi, ſeu mali æſtimatione, attamen quidquid deliquerit, ipſi vitio tribui, ubi poſſibilis ipſi fuerit rei exploratio, quia quicumque eo in caſu obrepſerit error, eidem, ut ponitur, voluntarius eſt, eaque de cauſſa fuit ſub electione; non enim decuit ita agere cum præſenti, vel poſſibili exiſtimatione mali. Unde & Apoſtolus, ſubdit Heineccius ex textu Græco, ſcribit Rom. 14. *Qui ambigit, ſi ederit, condemnatus eſt, quia non edit ex fide*; quare ibidem antea dixerat, ut idem ex Græco refert: *Unuſquiſque in ſenſu ſuo plane certus eſto*. Atque hæc porro doctrina ſenſui naturali innititur. An prudens ille, ſibique ſatis conſulens, qui id attentaret, unde ex æquo ſibi bonum, aut malum immineret? An quis ſine cauſſa incederet per ignes ſuppoſitos cineri doloſo? Atqui hic non agitur de re, ex qua exiſtere aliquod bonum poſſet, ſed unde certum eſt malum, quia verum peccatum eſt ſe ſe violandæ legis, ut eo modo fit, periculo objicere. Etſi enim eo in caſu obligatio certa non ſit ex. gr., quod lex ad hoc adſtringat, vel non; eſt tamen indubia ea juris naturæ præceptio, & quidem

in

in omnibus obtinens, ne quis ſe exponat ordinem turbandi periculo, quippe ordo prævalere debet hominis voluntati, cui ipſa ſe ſe ſubjiciat neceſſe eſt. Qua in re adparet, quemadmodum toto cœlo differat hoc periculum, quod aditur in dubio, legis fruſtrandæ, ab illo, quod adhuc poſſibile concipitur in opinione moraliter certa de operis permiſſione. Periculum enim, quod dubitanti ſiſtitur prudens eſt, & proxime operi adjacet, quod patratur; certum porro malum eſt huic ſe diſcrimini committere, quod nec legis amorem ſapit, nec propriæ integritatis curam; contra aliud periculum, quod ex abſoluta poſſibilitate oppoſiti in ſententia cæterum per omnia prudentiæ argumenta ſecundum rei naturam certa exiſtere adhuc aliquo modo percipitur, tum imprudens, & remotum eſt, ita ut firmitatem aſſenſus non concutiat; tum vero ex ſe nullum invehit malum, & quia ſola veritas ſequenda eſt, ut ex rei negotio manifeſtari poteſt, & quia aliunde ſi forte contingeret hominem falli, citra ejus culpam error eſt; ut interim prætercam in illo actum cum nullo adverſus legem affectu eſſe conciliabilem, qui adhuc hic obtinet, ubi quis, ut potuit, legis veritatem ſecutus eſt. Quod autem hactenus diximus de opere futuro, ſeu faciendo, an non, ubi cadit ſub legis periculo, idem ipſum de facto intelligi debet, ubi incertum, an hoc, vel illud commiſſum, quod contra legem fuerit? Falſum enim circa hoc in præterita nullum homini jus eſſe, niſi oblivionis. Namque etſi irritum effici nequeat, atque diffingi, quodcumque retro eſt, quemadmodum nec infectum reddi, quod fugiens ſemel hora vexit; ſarciri tamen aliquo modo violatus ordo poteſt, aut

ſal-

ſaltem, quæ fuerit, culpa elui, ut in Deum admiſſa eſt, iis beneficiis, quibus eidem placuit hominum generi ſive in re certa, ſive in incerta conſuli.

XXXIII.

Ex iis duo conſequuntur, quæ inſtar regulæ in ejuſmodi cauſſis dubiis tenenda ſunt (*a*). 1 quando re, uti par eſt, explorata certum non affulgeat, aut ſufficiens lumen, unde veritas cognoſcatur, & aliunde integrum homini ſit nullam circa id deliberationem capere, conſultius id, quidquid eſt negotii, dimittetur tanquam dubium, quam ut quis ullam ineat ſe ſe determinandi viam. Ut enim S. Auguſtinus de quibuſdam ejus generis capitibus ſcribit in Enchir. cap. 59., quæ poſt multam inquiſitionem nihil exhibent, quo definiantur: *Quid* inquit, *opus eſt, ut hæc, atque ejuſmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum diſcrimine, quando ſine crimine neſciuntur?* Idem docuit in libro de fide, & operibus his verbis: *Quæ dubia ſunt, omni modo conandum eſt, ne fiant .... Quid enim opus eſt in tantum diſcrimen ambiguitatis caput mittere?* Ita quidem ille de incertis quibuſdam nuptiis, & earum diſſolutionibus; quod pro omni caſu obtinere poteſt, in quo liceat ab omni judicio, vel actu temperare. Quod quidem intelligendum eſt, ubi diligens rei, & veritatis inquiſitio præceſſerit; namque multa ſunt, quæ quiſque debet vehementius explorare, ut aſſequatur veritatem, & aliunde hujus

(a) *In dubiis, quæ certa ratione excuti nequeunt, conſultius eſt, ſi fieri poſſit, ab omni judicio, & actu abſtinere.*

hujus amor, & cura ſemper in pretio eſt; id quod pro rerum, & perſonarum conditione, ſicut etiam cæterorum adjunctorum cauſſa æſtimandum eſt.

XXXIV.

II. Quotieſcumque tamen aliquid in re dubia deliberandum ſit juſta premente neceſſitate, quod non raro accidit in hominum vita, vel quum duo ex. gr. concurrunt diverſe animum trahentia, vel quum in ambiguo eſt, num dato in caſu pateat libertati locus, an vero præceptum ingruat, tum profecto expedita, & neceſſaria ratio deliberandi erit, ut id teneamus, qua parte minus periculi eſt, ſeu quod tutius, omnibus prudenter conſideratis, apparet (*a*). Quum enim in quavis deliberatione, aut conſilio illud prorſus homini neceſſarium ſit, ut caveat legem offendere, quæ regula eſt agendorum, profecto quando veritas legis in promtu non eſt, ſeu cognoſci nequit pro negotii natura, ex rectæ rationis principio, & uſu erit, ut tunc quiſque eligat, quod minus in legis violandæ periculum adducit, alioquin ſuam quodammodo libertatem legi præferet, cui ſemper male creditur, quando ex adverſo ſuſpicio legis eſt; quippe prudens adire legis periculum, ut proprio commodo ſerviatur, non eſt, niſi ex legis contemtu, & perturbato quodam amore ſui. Hinc propterea in iis rerum adjunctis illud principii loco tenendum erit, ut id ipſum quod tutius eſt, ſeu magis removet a peccandi periculo amplectamur, minus tuto dimiſſo; ſecus crimen erit voluntarium ſubire periculum ut cujuſque gravioris

V cauſſæ

(a) *Quando quidquid deliberandum in dubio eſt, tenendum quod tutius.*

cauſſæ, ſic maxime legis, ac ſalutis, in quo quis vivus, videnſque pereat.

Eo modo regitur in omnibus cujuſque generis negotiis humanæ vitæ oeconomia. *Quum hæc ſit conditio futurorum*, ajebat Arnobius lib. 2. adverſus Gentes diſputans de incertis tum vitæ, tum ſalutis rationibus, *ut teneri, & comprehendi nullius poſſint anticipationis attactu, nonne purior ratio eſt ex duobus incertis, & in ambigua expectatione pendentibus id potius credere, quod aliquas ſpes ferat, quam omnino quod nullas? In illo enim periculi nihil eſt, ſi quod dicitur imminere, caſſum fiat, & vacuum; in hoc damnum eſt maximum, ... ſi quum tempus advenerit, aperiatur non fuiſſe mendacium*. Eadem porro regula viget, ubi de legis periculo agatur, quod ſi adeas, peccas, ſin minus, voluntas, & cura vitandi criminis in lucro eſt. S Auguſtinus etiam eadem ferme ratione nonnullos perſtringebat, qui quum ad Catholicos migrare vellent, malebant tamen antea apud Donatiſtas baptizari, quod honeſte id fieri poſſe, & citra periculum exiſtimarent. Sic enim ſcribit lib. 1. de baptiſmo cap. 5. *Illic non recte accipi* (baptiſma) *Catholici, ad quos migraturus es, dicunt: recte vero illic accipi illi, a quibus migraturus es, dicunt. Iſtud itaque, quod ii dicunt, quos poſtponis contradicentibus illis, quos ipſe anteponis, aut falſum eſt, aut, ut mitius dicatur, incertum. Vera ergo falſis, aut incertis certa præpone ... Accipere ergo* (baptiſmum) *in parte Donati ſi incertum eſt eſſe peccatum, quis dubitet certum eſſe peccatum non ibi potius accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum?* Patet autem hic S. Auguſtinum certum dixiſſe, quod tutius, quia rem ad incertam hypo-

theſim

theſim adduxerat, ut nempe eoſdem generali quadam, ac faciliori ratione convinceret. Prætereo Juris Pontificii decreta, quibus non ſemel confirmatum eſt, ut *in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem*. Urgeo ſolum naturalem, quæ cuique imminet, obligationem ſequendi, ut poteſt, legem. An vero ita comparatus ille, qui in dubio rem ex ſuo arbitratu potius, quam ex legis ſtudio, & amore definit? Talis porro, qui minus tutum eligit præ tutiore hoc ipſo impingens contra prima ipſa agendorum principia. Ita Eminentiſſimus de Polignac Lucretium perſtringebat libro ſui operis primo, verſ. 1097.

Alterutrum quin ſit, non, ut confido, negabis:
In dubiis porro, quæ pars eſt tutior, illam
Recta ſequi ſuadet ratio.

Fruſtra hic opponerentur quædam juris principia, quæ vel nihil faciunt ad rem, ubi de lege Dei agitur, vel eandem potius confirmant. Quid enim ſi *quum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori?* An non hoc ex eo ipſo principio deſcendit, quod tutius eligi debeat in dubio, ſeu illa pars, ex qua minus timetur mali? Et quidem ita reſcripſerat Trajanus Aſſiduo Severo non debere quemquam damnari de ſuſpicionibus, quia *ſatius eſt impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare*. Dig. lib. 48. tit. 19 l. 5. Quid, ſi receptum civili jure eſt, ut *in pari cauſſa potior ſit conditio poſſidentis?* Ut omittam, quod ſuperius animadverſum eſt, nullam in dubio poſſeſſionem libertatis fingi adverſus legem poſſe maxime æternam Dei, nonne hoc ipſum tutius eſt, ut quiſque in rei poſſeſſione permaneat, qua jam fruitur, ſe-

mel ac adverſus eum nulla ſatis efficax affertur exceptio? Alioquin poſſeſſores omnes immortali prope timore tenerentur, ne ſuſpicione adverſus ipſos propoſita hoc ipſo exturbarentur a rebus ſuis, quod cum per ſe grave, ac permoleſtum eſt, tum vero contra boni publici curam. Idem dicatur de altero familiari proloquio, quod frequentius in hac cauſſa jactatur, *dubia in benigniorem partem eſſe interpretanda*. Quod profecto concedam locum habere, quum ea pars minimum periculi habeat, aut invidioſa non ſit; reſiſto, ubi de legis agatur diſcrimine, cujus cauſſa anima in dubio eſt. Ecquis enim a certo periculo liberet, quando quis ſic ſe habens ſibi potius ſervit, quam Deo? Itaque hoc non de dubio legis intelligendum eſt, ſed præſertim de eo, quod perſonarum dicitur, in quo profecto & tutius, & æquius ſequimur, quando in iis rerum adjunctis bene de iiſdem potius judicamus, quam male, quæ benignior quidem, ſed ſimul juſtior ſententia eſt. *Pax enim*, ajebat Auguſtinus Enar. in Pſ. 147., *proclivior eſt ad bene credendum de homine, quam ad male ſuſpicandum. Non ſe multum dolet errare, quum bene credit etiam de malo; pernicioſe autem, quum male ſentit forte de bono. Neſcio, qualis ſit: Quid perdo, ſi credo, quia bonus eſt? Si incertum eſt, licet, ut caveas, ne forte verum ſit, non tamen damnes tanquam verum ſit.* Quo pertinebat etiam illud Tullii in epiſtola ad Quinctum Fratrem: *Ut quiſque eſt vir optimus, ita difficillime eſſe alios improbos ſuſpicatur.* Solis malis reliqui, & quidem plerumque boni ſuſpectiores præ aliis ſunt, ſive quia aliena virtus, quæ infra ſe poſitos prægravat, ipſis formidoloſa eſt, ſive quia ut eſt eorum ingenium pro-

clive

clive ad libidinem, ſic ex ſua natura cæteros fingunt: *In via ſtultus ambulans, quum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat*. Eccleſiaſtis cap. 10.

XXXV.

Reliquum eſt, ut pauca nunc exhibeamus, quibus tutior pars a minus tuta in dubio, uti par eſt, ſecernatur. Quo in capite primum res ex propriæ libertatis ad legem comparatione definienda eſt (*a*). Scilicet ubi veritas per ullam moralem, ſeu prudentem certitudinem non habetur, tutius judicatur, quod legi favet, atque arbitrio proprio reſiſtit. Qua de cauſſa etiam Barbeyracius non ſemel tutiorem dixit ſententiam, quæ cupiditati adverſatur. Cupiditas porro eſt, quæ contra animi bonum, & generatim contra id omne, quod legis eſt, viget; unde eamdem inducit Apoſtolus Rom. 7. tanquam legem membrorum pugnantem contra legem ſpiritus. Hinc proinde tutius erit, quod ſpiritualibus favet. Nec eſt, quod quis hic clementiam, aut benignitatem nominet. Exitialis eſt illa clementia, qua quis in dubio ſe ſe pro ſua libertate determinans adit peccati diſcrimen, quod omni modo tanquam *a facie colubri* fugiendum eſt. Eccleſiaſtici cap. 21.

XXXVI.

Deinde eo in caſu pro tutiore etiam habebitur ſententia, cui majus pro tempore videtur jus ſuffragari (*b*). Sic, ut rem declarem exemplo, quod Prælatus

(a) *Tutior pars generatim habetur, quæ cupiditati adverſatur.*

(b) *Tutior, cui pro tempore ſuperior auctoritas favet.*

latus docet, aut præcipit, cæteris paribus, habetur ut quid propria ſuſpicione potentius, & tutius, quia jus, quod ſuperiori poteſtati competit, docendi, aut præcipiendi, per ſolam alterius dubitationem non infirmatur, aut eximitur; immo ſæpenumero ea una ratio, & cauſſa eſt, qua quis laborantem animum non ſemel diſſolvat, ut antea obſervatum eſt §. xxv. Id etiam agnovit Puſendorfii Interpres in adnotationibus ad lib. 1. de jure Nat. & Gent. cap. 3., ubi ſcribit eum, cui dubium hæret tantum in intellectu, poſſe aliquando *activo judicio* non dubitare*; quoniam credere poteſt in re dubia obſequendum ſuperiori*. Quæ diſtinctio, inquit, judicii duplicis quin in multis actionibus locum habeat, negari haud poſſe concedit ipſe Grotius lib. 2. de jure Belli, & Pacis 26. §. 4. Id quod non alia ratione fieri intelligitur, niſi quia in praxi, ut loquuntur, quid novi incidit, nempe ſuperioris juſſio, quæ jus fortius ingerit, quam abſtracta de re tantum in ſe ipſa conſiderata ratio dubitandi. Videantur, quæ diximus §. III., & §. xxv.

Neque hic ea de cauſſa, quod probe advertendum eſt, hominis auctoritatem præferimus ordini legis, aut Deo; namque ſi conſtaret, aut adhuc admodum probabile appareret, omnibus prudenter conſideratis, quod præcipitur contra divinæ legis veritatem, juſſionemque eſſe, tunc profecto Deo potius obediendum eſſet, quam hominibus, ut re, & verbis docuerunt Apoſtoli Act. cap. 5. Quo in argumento etiam inſigne eſt, quod in ſimili cauſſa dixerat Athenienſibus Ethnicus Philoſophus Socrates apud Platon. in Apologia: *O Viri Athenienſes, di-*

ligo

ligo vos equidem, atque amo, Deo tamen parere malo, quam vobis. Cujus quidem rei ratio eſt, quia ſupremæ auctoritati, a qua omnis poteſtas eſt, cuncta ſubſerviant oportet; & quemadmodum nec Curatori obeditur, ſi contra Proconſulem jubeat, nec Proconſuli, quando aliud Imperator ſtatuit; ita id multo magis de Deo intelligendum eſt, cui jus omne in omnes, atque in Imperantes ipſos ſummum arbitrium eſt. At aliter ſe habet res, quando quis in dubio verſatur, & æque dubitat, num, ſi quid tale agat, aut omittat, in culpa ſit. Quippe tunc aliqua ratione dubium exſolvendum eſt, & nunquam in iis rerum adjunctis tutius expeditur, quam ſi legitimæ pareatur auctoritati. Hinc D. Thomas 2. 2. q. 104. ar. 5. triplicis generis obedientiam diſtinguens, quarum alia *ſufficiens* eſt, quæ in neceſſariis, altera *perfecta*, quæ in liberis, ſed honeſtis paret, alia *indiſcreta*, quæ etiam ad vetita ſe ſe porrigit, cum hanc poſtremam in vitio ponit, tum vero alias aſſerit ad officium, vel perfectionis gradum pertinere. An vero indiſcreta erit obediendi ratio, quum adverſus jus certum imperandi, quod ſuperiori conſtat, privata ſolum exiſtit ratio ſuſpicandi, aut plerumque imprudens dubitatio?

XXXVII.

Addo, quod ultimum in hac cauſſa deliberandi principium eſſe poteſt, quando ex duobus alterutrum neceſſario eligendum eſt, illud alteri omnino præferendum, quod pro re nata præſtantius videtur, aut majoris boni (a). Difficile eſt enim, ut in conſulendo duo ita ſe ſe menti ſiſtant æqualia,

 ut

(a) *Demum & illud in dubio tutius habetur, quod majoris boni cauſſam, & ordinem exhibet.*

ut alterum alteri non præſtare intelligatur. Hinc propterea, quoties negotio urgebimur, charitas, religio, juſtitia, & per conſequens recta ejuſdem adminiſtratio, bonum pacis, vita animæ, & corporis ſeu noſtra, ſeu aliorum, honor verus, ac ſolidus virtutis quum excellentioris ordinis bona ſint, aliis omnibus anteferenda erunt, quæ minoris ſunt, cujuſmodi generatim habentur, quæ dici ſolent bona libertatis humanæ. Quod quum fiet, tum ordo naturæ ſervabitur, ex cujus ratione eſt, ut dignius ſemper præponatur alteri, tum vero etiam hac deliberandi, agendique norma bono publico conſuletur, quod & cujuſque legis ſcopus, ac finis eſt, & quavis privata utilitate præſtabilius.

Dixi difficile eſſe, ut cuique res pro tempore conſideranti, quæ ſe ſe inter deliberandum offerunt menti, omnino æquales inter ſe videantur, quia nempe eſt in rerum natura ordo quidam, & diſcretio bonorum, quam ſi intueamur, mirum, ſi a veritate, ac juſtitia exciderimus! Nihil quidem hic de religione, & charitate dico, quæ ſatis obvia ſunt. Loquor tantum de aliis, quæ in communibus negotiis obveniunt. Nonnulla habentur ſacris in literis ejuſmodi ſecretionis exempla, quibus edocemur alia aliis bonis præferenda eſſe, prout conſtitutus inter ipſa dignitatis, aut neceſſitatis ordo poſtulat. Sic lib. 2. Machab. cap. 5., quia Templum ad hominum ſalutem ordinatum eſt, ſalus hominum ipſi quodammodo præferenda eſt, quia *non propter locum gentem, ſed propter gentem locum Deus elegit*. Chriſtus etiam non ſemel ejus ordinis conſiderationem docuit. Quum Diſcipuli Sabbato ſpicas neceſſitatis cauſſa vellentes increparentur a Phariſæis, ſic

ſic Divinus Magiſter calumniam depulit, ut ſimul oſtenderit, quemadmodum Deo miſericordia acceptior ſit, quam moroſa, quæ ab ipſis obvertebatur, externorum rituum obſervatio: *Si ſciretis, quid eſt: miſericordiam volo, & non ſacrificium: nunquam condemnaſſetis innocentes*. Matth. 12. Hoc ipſum refertur clarius Marci 2., ubi accuſantibus in eadem cauſſa Phariſæis ita Chriſtus reſpondens inducitur: *Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter Sabbatum*. Id quod etiam de aliis omnibus adventitiis legibus, ac præceptis dixero, quæ ex ſe tantum referuntur ad ipſius hominis bonum. Aliud eſt, quando agitur de vera, proprieque dicta juſtitia, de bonis rationis æternæ, propter quæ homo ipſe eſt factus; namque illa ſemper prævalent cuilibet ipſius hominis bono, quippe qui ad illa idem ipſe Creatoris lege directus eſt. Videatur quid ſimile circa æſtimationem ſanctitatis rerum, vel perſonarum apud D. Thomam 2. 2. q. 99. ar. 3. Idem affirmari par eſt, quando de aliis bonis agitur, maxime ut ſe habent ad publicam felicitatem. Quilibet enim, ut membrum eſt alicujus ſocietatis, ad illam ipſam naturæ ductu ordinatur tanquam ad totum pars, ut ideo utilitas cujuſque communis utilitas ſit, quemadmodum & communis utilitas uniuſcujuſque bonum ob conſtitutam inter hæc duo neceſſitudinem. Hinc juſtitia legalis, ut ajunt, ſeu generalis, vi cujus actus in bonum publicum diriguntur, omnibus propoſita eſt, quam videlicet potiſſimum ſequantur. Quocirca ſicuti nulla ratio juris, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducuntur, duriore interpretatione a publicæ felicitatis cuſtodibus contra ipſorum commodum

dum producantur ad ſeveritatem; haud aliter iniquum eſt, ut, quibus legum obſervatio incumbit, propriam utilitatem communi præferant, & quaſi malo publico alantur, quod omnino contra ordinem eſt. Hinc proinde in æſtimatione bonorum ea præcipue habebitur ratio, ut illud præſtantius intelligatur, quod publicæ felicitati congruentius. Multa enim (quæ Stoicorum apud Tullium frequens animadverſio eſt) ſæpe apud privatos, ut inter ſe contrahunt, juſta habentur, quæ non ſemper boni publici intuitu honeſta ſunt; quorum exemplum videre eſt lib. 3. de Offic. cap. 7. Eadem etiam ratio haberi poterit in ipſa, quando neceſſaria eſt, & ex tempore ingruit, interpretatione legum, ut earum præcipue cauſſa, & finis communis utilitas intelligatur. *Omnes enim leges*, ajebat idem Tullius lib. 1. de Invent., *ad commodum Reipublicæ referre oportet, & eas ex utilitate communi ... interpretari. Ea enim virtute, & ſapientia majores noſtri fuerunt, ut in legibus ſcribendis nihil ſibi aliud, niſi ſalutem, atque utilitatem Reipublicæ proponerent* ... Hinc *nemo leges legum cauſſa ſalvas eſſe vult, ſed Reipublicæ*. Ex quibus patet, quemadmodum pro tempore bonorum delectus haberi oporteat, ut ſcilicet in dubio ſaltem illud alteri præferatur, quod pro communi utilitatis ſtudio magis viſum fuerit expedire; illud enim ut cujuſque legis ſcopus eſt, ſic & legitimæ interpretationis fundamentum. Atque eo porro fine propoſito haud obſcurum erit etiam in dubio inter particularia bona diſcernere, prout alia aliis tanquam excellentiora, aut tutiora præferenda ſunt.

XXXVIII.

XXXVIII.

Atque hæc quidem pro iis generatim dicta ſint, qui aliquo modo ratiocinari valent, atque ita ex rerum inter ſe, vel ad certum finem comparatione de earum differentiis cernere, & quod tutius, aut præſtabilius eſt, ſequi (*a*). Namque & aliud genus eſt hominum timidum maxime, & ſuſpicioſum, quibus perperam ejuſmodi conſilia ſuggeſſeris, ſed alia ratione providendum eſt. Ii enim in certis, incertiſque rebus plerumque ſemper anguntur, quibus nec mens, nec color fixa ſede manent, pavidi, inſtabiles, nec unquam pares ſibi, quos communi vocabulo *ſcrupuloſos* dicere conſueverunt. Horum porro multiplex differentia eſt pro diverſis cauſſis, unde exiſtit varius in ipſis modus, & ratio cogitandi. Quidam enim, atque ii plerumque boni, dum caute vitant omnia, quidquid habere poſſit ſpeciem mali, interim ea ipſa, quæ officii, aut excellentioris virtutis ſunt, gelide, trepideque miniſtrant, quod eos vitio carentes ſemper ludat, aut vexet importuna imago vitiorum. Et, quod ad iſtos attinet, non abs re fuerit eoſdem ut probos, ac pios monere iſthæc ipſa contemnere, ad majorem in Deo fiduciam excitare, quo alacrius decurrant virtutis iter, quod cœptum eſt. Sunt enim hæc plerumque temperamenti vitia, non animi, quibus etiam interdum Sanctorum mendoſa fuit natura. Tantum cavendum, ne horum cauſſa officium ullum deſerant. Alii, dum nimium prudentes ſibi eſſe volunt, perpetuo ſcrutantes futuri temporis exitum aliquando, quod adeſt, &

(a) *Quid cum meticuloſis, vel inepte anxiis agendum.*

& præſens eſt, omittunt componere, quia prævalet ipſis metus futurorum, quo continuo jactantur, & anxia cordis cura. Hos videlicet, ut tempeſtas reſedit, opportune docueris compeſcere miſeros tumultus mentis, quæ in vitio eſt, quando ad impermiſſa contendit, & dum cœli rimatur plagas, quod coram eſt, non videt. Alii demum ſunt, quos occulta ſuperbia fovet, & dum ſibi ipſis videntur ſapere, vix alios audiunt, atque ita perſæpe fit, ut negotia alia ex aliis nectentes nova ſemper religione detenti vix quidquam agant in omnibus dubitabiles. Qui nimirum ſeverius caſtigandi, certaque lege jubendi ſunt iniquam vitii cauſſam recidere, & ſtultorum inſtar alieno, ac Paſtorum maxime ſtare judicio. Atque hoc poſtremum omnibus præcipiendum eſt, qui ſibi quaqua de cauſſa non ſufficientes graviſſimorum hominum ductu regi debent. Nihil de aliis dico, quos alterius generis cauſſæ in tranſverſum agunt, de quibus ex inſtituto agere non eſt hujus loci. Cæterum qualeſcumque ejuſmodi cauſſæ ſint, illud ſemper certum erit, quod pro omnibus valet, homines aut ſuo, ſi ſanum ſit, aut alieno judicio vivere debere, quando ſibi ipſis non conſtant.

XXXIX.

Ex his omnibus, quæ hactenus diſputavimus, ſatis patere arbitror, quod propoſitum, nempe qui modus cognoſcendæ moralitatis actuum humanorum ſit, & quæ ejus cognitionis neceſſitas, atque uſus. Namque certum eſt moralem actuum conditionem non percipi, niſi per quamdam legis ad opus comparationem, & recte ductam ſententiam; id quod ali-

(a) *Prædictorum omnium concluſio*.

aliquando expeditius eſt, aliquando majorem poſtulat diligentiam. Quædam enim practicæ, ut inquiunt, veritates quandoque intimo ſenſu, & quadam evidentiæ ſpecie conſtant; aliæ nonniſi per prudentiæ argumenta quædam, prout fert natura rei, innoteſcunt, quæ quidem vel rationis, vel auctoritatis ſunt. Ea porro, quæ moralem pro negotii conditione pariunt certitudinem de operis honeſtate, ſatis eſſe diximus, quando uberior lux haberi nequit, ut quis ſe ſe ipſum determinet, quia non aliud homini abſolute propoſitum eſt, niſi, ut quod honeſtum eſt, ſequatur, ideſt enim veritatem legis, ſive agenti faveat, ſive reſiſtat, hoc eſt vel cohibeat libertatem, vel ad aliquid aliud agendum impellat. Quando vero per moralem, ſeu prudentem certitudinem veritas non adparet, tunc vere, & proprie comparate ad hanc dubium eſt, ſive id ex defectu rationum eveniat, ſive ex apparente æqualitate earumdem pro utraque contradictionis parte. Demonſtratum eſt autem non licere cum dubio de honeſtate ſui operis agere, quod certum peccatum ſit ſe ſe incertis committere. Proinde vel quidquid ejuſmodi eſt, melius tanquam dubium dimittetur, vel ſi deliberandum aliquid, eligendum quod tutius. Tutius vero diximus, quod, omnibus inſpectis, magis removere percipitur a peccandi periculo, quale eſt quodcumque impenſius legi favet. Quod tum fiet, quando ea pars ſeligatur, quæ maxime cum cupiditate pugnat, aut quam communit in dubio ſuperioris auctoritas, aut tandem quæ pro re nata cauſſam exhibet præſtantioris boni, aut magis neceſſarii; qua de re jam ſatis multa dicta ſunt.

PARS

PARS IV.

De imputatione Actuum humanorum, quæ agenti ſit.

I.

NOn agitur hic de eo imputationis genere, quo aliena merita, aut præclara facta, ad quæ quis nihil concurrit, quandoque aliis tribuuntur ad certum effectum producendum, quod etiam aliquando apud homines & in naturæ defectibus, aut alienis vitiis obtinet, ut interdum fortunæ delictum, quod ab extranea cauſſa, vel ex parentibus, aut affinibus eſt, arguant, quum tamen illud ſolum vere homini turpe ſit, quod meruit pati (*a*). Prioris quidem generis imputationis, quo ob aliorum merita aliquis erga alterum abundat in bonis, cum frequens occurrit in veteri Teſtamento mentio, tum vero inſigne ejus exemplum habetur in Iſaac, Gen. cap. 26., cui Deus ob paternæ præſertim fidei, & obedientiæ merita ſignificavit ipſi ſe facere bona, quæ facit: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes, pro eo, quod obaudivit Abraham pater tuus vocem meam &c.*, & alibi: *Multiplicabo ſemen tuum propter Abraham patrem tuum*. Qua de re S. Auguſtinus lib. 16. de civ. Dei cap. 36. Neque de eo etiam imputationis ordine loquimur, quo in civili ſocietate ſæpenumero avorum facinora ad filios, ac nepotes pertinere

(a) *Recenſentur quædam imputationis ſpecies, quæ extrinſecæ homini ſunt &c.*

tinere intelliguntur; quod ſolet eſſe nobilitatis gentilitiæ origo, & quædam quaſi ad publicos honores via, ſicut olim apud Germanos *inſignis nobilitas, aut magna patrum merita Principis dignationem etiam adoleſcentulis adſignabant*, ſicut eſt apud Tacitum de moribus Germanorum c. 13., & apud Polybium Hiſt. lib. 6. Hæc enim imputatio, cujuſque rationis, & ordinis ſit, quum circa aliena verſetur, ad quæ quis nihil, ut conſtituitur, propria voluntate contulit, quæque idcirco ex gratia, atque liberalitate quadam exiſtere conſuevit, nihil ad rem pertinet, in qua tantum agimus de illa, quæ homini ſecundum naturæ legem vere, & proprie fiat, quæque idcirco extraneas ejuſmodi rationes, ut in actum non influunt, omnino excludit.

II.

Itaque, ut ad rem propius accedamus, *imputare* hic, ut id nominis latiſſime patet, nihil aliud eſſe concipitur, quam alicui tribuere quidquam, quod ab ipſo tanquam cauſſa, vel occaſione profluxerit (*a*). Cauſſæ autem nomine intelligitur, quod proxime, atque immediate in effectum influit: occaſio autem, quod remote, atque indirectius ad illud ipſum, quod ſecutum eſt, pertinuit. Et quidem de vario, ac multiplici modo, quo quis in aliquid influere poſſit, ſatis dictum eſt prima hujus operis parte §. XVI. XVII. & ſeq., ut ideo nihil videatur, aut ſit in hac cauſſa retractandum. Hinc proinde his inſiſtendo principiis nihil cuiquam imputari poterit, cujus ille quo demum cumque modo cauſſa, aut occaſio non fuerit; quod

(a) *Quid imputare generatim, & latiſſime.*

quod in hoc argumento inſtar cujuſdam generalis regulæ tenendum eſt. Atque ea porro de cauſſa motus quicumque naturæ, ſive ab intranea, ſive ab externa prorſus cauſſa producti non imputantur, quemadmodum nec quidquid demum ab ipſo agente non fuerit, utcumque damnum aliquod in rebus ad ſe, vel ad alium pertinentibus extiterit, ſicut ex. gr. in caſu naufragii accidit, quando nulla propria culpa eſt: quis enim adeo iniquus erit, ajebat, licet in peſſima cauſſa, Anicetus Libertus apud Tacitum 14. Annal. 3., *ut ſceleri aſſignet, quod venti, & fluctus deliquerunt?* Atque hoc porro eſt, quod ab aliis *Imputabilitas* dicitur, qua primum antea concipitur, num quid ab altero factum, vel non factum fuerit, aut numquid in illud influxerit aliquo modo, antequam illud ipſi dicatur imputari, quod etiam obſervavit Pufendorfii Explicator in adnot. ad lib. I. de jure Nat. & Gent. cap. 5. *Quando diſpicitur, an actio aliqua ſit moralis* (ideſt tanquam bona, vel mala homini tribuenda) *primum in mentem venit, an ea imputari queat.*

III.

Sed quum homini quidquam, qua tali, tribuitur, non ſolum quærendum eſt, num quid ab ipſo proceſſerit utcumque velut a cauſſa, aut occaſione, ſed maxime, num profluxerit ab ipſo, ut homo eſt. Animadvertimus autem I. parte §. II. & III. &c. hominem ut talem non conſtitui, niſi per rationem, & voluntatem, adeoque nonniſi ex rationis, & voluntatis uſu definiendum quidquid eidem

(a) *Quid imputare quidquam homini, ut homo eſt.*

eidem, qua tali, ut cauſſæ, vel occaſioni adſcribendum eſt. Qua de cauſſa & ab imputatione, quæ proprie homini fit, ſecernuntur ea, quæ utcumque ab ipſo fuerint facta, non tamen ex rationis, aut voluntatis uſu prodierunt, ſive quia nullus, ſive quia impeditus fuerit; qua de re jam alibi. Atque ea ratione etſi vere quis aliquid effecerit, adhuc tamen illud non habebitur, ut ipſius hominis actus, qua homo eſt; unde ne quidem illud ad bonum, vel malum cujuſcumque ordinis ipſi tribuetur, & ſi quidem dicetur excuſari, illud improprium erit, quia non eſt hominis facinus malum, quod fecit. Cæterum quia homines præcipue reſpiciunt effectus, qui ſequuntur, atque tribui ſolent, hinc vere aliquando ſic ſe habentes excuſari dicuntur. Quo ſenſu Modeſtinus dig. lib. 48. tit. 8. l. 12. *Infans, vel furioſus, ſi hominem occiderint, lege Cornelia non tenentur: cum alterum innocentia conſilii tuetur: alterum fati infelicitas excuſat.*

IV.

Jamvero quod ab homine eſt agente, ut homo eſt, ſeu per rationem, & voluntatem, illud omnino ipſi dicitur voluntarium, 1. par. §. VII. VIII., quod non poteſt concipi ſine illarum facultatum uſu (*a*). Ergo quum nihil homini, ut talis eſt, tribui queat, niſi ut ab ipſo per prædictarum facultatum uſum deſcendit, conſequens fiet, quidquid demum eidem tribuatur, ipſi ut tali adſcribi non poſſe, niſi quatenus voluntarium fuit. Hinc ejuſmodi imputationis, quæcumque ſit, fundamentum erit

(a) *Nihil homini, ut homo eſt, atque agit, imputari poteſt, niſi quod fuerit voluntarium.*

ipſum voluntarium, quippe ſine illo ne cogitari quidem aliquid poteſt, quod tribui homini ſub ea ratione queat, qua homo eſt, atque ut alis agit.

Dum voluntarium dico imputationis fundamentum, haud equidem excludo conditionem libertatis, quæ in re morali maxime neceſſaria eſt, ut quid adſcribatur laudi, vel vitio. Sed tantum primam, ita dixerim, rei cauſſam, ſeu radicem intelligo, & generatim quidem, prout ad quamcumque actionem pertinet; quæ homini tribuatur, ut homo eſt, aut agit. Quædam enim ſunt, quæ ab homine fiunt, & eidem, qua tali, ut auctori tribuuntur, quæ ſolo voluntario nituntur, ut quum ex. gr. cogitans de beatitudine eamdem vult, quam certe non poteſt non velle; qui profecto actus homini tanquam auctori tribuitur, licet nequeat eam inſuper habere, aut nolle. Quod igitur hic de voluntario dicitur ut imputationis fundamento latius, & generatim accipiendum eſt, prout quidquam homini adſcribitur tanquam actio ab ipſo profecta. Eo ſenſu quoque SS. Patres, ac præſertim D. Auguſtinus non infrequenter locuti ſunt, tametſi, quod pertinet ad bonum, vel malum morale, in voluntario libertatis conditionem ſubaudierint. Sic S. Doctor lib. 12. de civ. Dei cap. 3. diſtinguens naturæ vitia ab iis, quæ ſunt voluntatis, inquit *neminem de vitiis naturalibus, ſed de voluntariis pœnas luere*; & cap. 8. *non neceſſarios, ſed voluntarios defectus juſtam pœnam conſequi*; & in epiſtola 154. ad Publicolam: *Abſit, ut ea, quæ propter bonum, ac licitum facimus, ſi quid per hæc præter noſtram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur*. Scio equidem hæc, quæ de propriis cujuſque vitiis, & actibus dicta ſunt, de-

bere de voluntario libero intelligi, ſine quo nihil proprie eſt morale ipſi homini. Sed enim nihil ver[illegible] a primo capite arceſſere, quod eſt vo-l[illegible] actum, & uſum dicit propriarum hom[illegible]atum, atque ita poſtea ad alia de-ſcen[illegible], quæ ad moralem imputationem omnino neceſſaria ſunt; quod volumus ex æquo ad cujuſque ac[illegible]his genus, & ordinem pertinere.

V.

Ex hoc porro duo corolaria ſequuntur (*a*). I. quum nihil homini tribui poſſit tanquam auctori, niſi prout illud ipſi voluntarium eſt, conſequens fit nihil ipſi vere, ac juſte imputari poſſe, niſi ſecundum eamdem ipſam rationem, qua eſt voluntarium. Quum autem voluntarium ſecundum ſui rationem aliud directum ſit, aliud indirectum, ideſt vel in ſe, vel in cauſſa, ad quod poſterius revocatur etiam, quod dicitur moraliter voluntarium vi alicujus præcepti, quod quis potuit, & debuit implere, I. par. §. XVI. XVII. &c., ſequitur neceſſario, ſi quid imputetur homini, ſeu tribuatur tanquam ab ipſo profectum, illud eidem adſcribi non poſſe, niſi pro ratione, & modo, quo ipſi voluntarium fuit. Hinc abs re prorſus ut directe voluntarium tribuetur, quod nonniſi indirecte eſt, & ex adverſo; quum iſthæc ipſa diverſa rem aliquam efficiendi ratio ſoleat quid majus, vel minus indicare ex parte ipſius voluntatis, prout in datum objectum, quod attigit, inclinata eſt. Quod quum ex ipſa communi ratione, ac ſenſu innoteſcat, non

 eſt

(a) *Hinc quidquid imputatur homini, nonniſi pro ratione, & modo, quo voluntarium eſt, tribui poteſt.*

eſt cur exemplis illuſtretur. Quippe ad imputationis, quæ quoddam veluti judicium eſt, veritatem pertinet, ut non aliter quidquam tribuatur homini, atque eſt, ideſt ut ab ipſius voluntate profluxit.

V I.

II. Quum aliud ſit voluntarium ſimplex, & abſolutum, ideſt quod omni ex parte tale eſt, aliud ſub aliquo tantum reſpectu, in quo ſemper intervenit aliqua alienatio animi, ſeu repugnantia; itemque, quum in utroque gradus agnoſci poſſint majores, vel minores, pro ut quid vividius, aut remiſſius concupitum eſt, quemadmodum 1. par. docuimus §. XIII. & XIV., hinc illud etiam ad juſtam imputationis legem, cauſſamque pertinebit, accuratius investigare, aut conſtituere quo gradu quidquam voluntarium fuerit, ne quidquam gravius, aut minus tribuatur homini tanquam ab eo intentum, quod ſecus eſt (*a*). Conſtat enim e. gr. quæ *mixtæ* actiones dicuntur, & ſunt, ut quæ partim ex voluntario, partim ex involuntario conſtant, minus imputari, quam quæ uſquequaque voluntariæ ſunt; qua de re & alibi cauſſas minuentes ex parte ſive intellectus, ſive voluntatis ipſius rationem voluntarii jam numeravimus, ideſt prima hujus operis parte, ubi de his dictum eſt. Hinc S. Auguſtinus lib. 2. de peccat. merit. & remiſſione pro ejuſmodi gradibus voluntarii ſeu in bono, ſeu in malo voluntatis bonitatem, vel malitiam definivit ajens, *ſi juſtitiam magis diligimus, voluntatem magis bonam, ſi minus, minus bonam eſſe; ſicuti ex adverſo non bona eſt,*

(a) *Rurſus nec eidem illud ipſum tribuitur, niſi pro gradibus, quo voluntarium fuit.*

eſt, *ſi omnino non diligimus*, *immo non modo mala*, *ſed etiam peſſima*, *ſi nullo modo juſtitiam diligimus*. Id quod pro re quacumque obtinet, cujus homini tanquam auctori imputatio fiat, quæ quidem ſemper pro voluntarii gradibus æſtimanda, & tribuenda eſt.

VII.

Jamvero, ut prima parte obſervatum eſt, voluntas non modo agendo, ſed etiam non agendo influere in aliquid valet; quippe & non actio, ſeu omiſſio a voluntate eſſe poteſt, ut quæ ſibi temperat, ne in actum erumpat, a quo refugit, aut abſtinet tanquam a re ſibi injucunda, & permoleſta (*a*). Conſtat enim voluntatem vim ſuam volendo, aut nolendo explicare, quæ quidem *noluntas*, ut loquuntur, etiam in operis prætermiſſione vel in ſe, vel in cauſſa ſubauditur, ut quum vel data opera quid refugit voluntas, vel cauſſa ab ipſa poſita eſt, unde quidquam prætermitteret. Hinc proinde actus nolendi quivis ſeu per modum repugnantiæ ſe habeat, ſeu omiſſionis tantum, ut voluntarius eſt vel in ſe, vel in cauſſa, eidem erit homini, qua talis eſt, imputabilis, nec niſi ſecundum rationem, & gradus, quo ejuſmodi actus a voluntate eſſe concipitur tanquam actus ſuus, aut ſua prætermiſſio. Quapropter non agendo aliquid voluntas, ad quod tenetur, ſive ad modum repugnantis ſe habeat, ſive omittentis tantum, tam erit in culpa, cæteris paribus, quam ſi quid opere ipſo egiſſet contra præſcriptum legis; quippe lex non ſolum prohibendo aliquid

(a) *Idem imputationis ordo viget*, *ubi de remiſſione agitur*.

quid vim ſuam exerit, ſed etiam jubendo, ut quid fiat, quod idcircó inique contra legis ordinem negatum, aut prætermiſſum eſt: id quod ſemper erit homini, ut dixi, ſecundum rationem, & gradus æſtimandum, quibus negatio, aut omiſſio actus concipitur voluntaria. Eo pertinet, quod ait D. Thomas 1. 2. q 19. ar. 2., *principium bonitatis, & malitiæ humanorum actuum eſſe ex actu voluntatis*, quia ſcilicet ſine aliquo voluntatis influxu nihil eſt, quod homini tribui ut bonum, vel malum queat, ſive illud actione, ſive omiſſione tantum contineatur.

VIII.

Porro autem quandoque non ſolum ex actione, verum etiam ex ſimplici prætermiſſione actus quidam ſequuntur effectus, qui ejus ſe ſe habent veluti conſectaria, quæ inde ſuo nutu fluunt, aut fluere intelliguntur, quemadmodum etiam prima parte explicavimus §. XVII. & XVIII., atque experientia ipſa teſtatur (a). Jamvero negari nequit, quin imputabile homini ſit, quod eſt ipſi voluntarium, quippe & ab illo deſcendit agente, vel non agente, ut homo eſt. Ergo neque etiam negari poterit, quin & eidem vere, & proprie tales effectus ſecundum eorum naturam imputari queant, pro ut ſcilicet ipſi ſunt voluntarii, & ſecundum gradus, quo ipſi voluntarii ſunt. Sunt enim quidam effectus, quos directe poteſt quis velle tanquam finem, ad quos datam cauſſam aſſumit; alii, quos potuit velle, dum neglexit in effectus inquirere, quos cognoſcere poterat ex data cauſſa, vel prætermiſſione actus ſecuturos.

Res

(a) *Rurſus eadem ratio imputandi obtinet circa effectus omiſſionem conſequentes.*

Res exemplis poteſt declarari . Sic qui ſtantem columnam proruit, ex cujus lapſu cognoſcit, aut cognoſcere potuit alterius mortem, aut damnum ſecuturum, cauſſam voluntariam poſuit ejus effectus, qui proinde ipſi pro ratione voluntarii, & ſecundum naturam rei imputabilis eſt, ut ſi ejus effectus fuerit auctor, & cauſſa. Quod pertinet ad effectus conſequentes omiſſionem, res etiam manifeſta eſt maxime in ignorantiæ, & erroris cauſſa. *Qui neſciunt*, ajebat Auguſtinus lib. 1. adverſus Julianum Eclanenſem Epiſcopum, *quid appetendum, quid vitandum ſit in agenda vita, ipſam boni appetendi, malique vitandi ignorantiam patiuntur peccandi neceſſitatem. Neceſſe eſt enim, ut peccet, qui neſciendo, quid facere debeat, quod non debet facere, facit*. Ubi certe effectus malus ſequi concipitur ex negligentia ſciendi, quæ pro officio ſcienda erant, eſtque proinde vi cauſſæ antegreſſæ (niſi fuerit retractata) ut voluntarius, ſic etiam imputabilis. Hinc varia ignorantiæ genera, ex quibus, ut illa voluntaria eſt, ſequitur juſta pro diverſis effectibus cauſſa imputationis. Alia enim eſt *ignorantia ſpeciei*, quam Jureconſulti dicunt *ignorantiam facti*, quæ ut ex temeritate, aut ignavia eſt inquirendi, quod decuit, præbet cauſſam imputandi, quæ contra ordinem ex ea ſecuta ſunt, ſicut quum quis opus ipſum, cui lex applicanda erat, aut de eo ferendum judicium, ſatis non conſideravit, unde error obrepſit. Dixi *ut ex temeritate, aut ignavia inquirendi contracta eſt*: nam quæ a voluntate nullo modo profluxit ignorantia, ea non reum proprie, ſed miſerum facit hominem, qui ejus cauſſa, vel occaſione lapſus eſt, qualis fertur Oedipus fuiſſe, qui cum ignorata matre Jocaſta

uxore ducta concubuit. Alia eſt *ignorantia ſenſus communis*, quam definire poſſis communem tuæ civitatis, vel nationis prudentiam, qua id ſequaris, aut fugias, quod omnes tui cives ſentiunt ſequendum, aut fugiendum; quæ ideo dat ſaltem in externo foro imputationi cauſſam, ſi ex illa peccatum ſit; quippe & eam *culpam latam* appellant Juriſperiti, & quaſi *dolum* cenſent. Rurſus alia eſt *ignorantia generis*, ſeu rationis æternæ, qua deliberati peccare dicuntur, dum id cavent ſcire, quod potuiſſet admonere officii, maluntque inſanientis ſapientiæ, quæ ex voluptatum æſtimatione eſt, conſulti errare, quam ad ejus legis rationes vitam exigere. Tandem alia eſt *ignorantia ſui*, qua delinquunt, qui in delicias, & vitæ luxus effuſi, dum ſe ſe ipſos ignorant, ſe per otia, divitias, aliaque vitiorum irritamenta quærunt; cui & altera ſpecies affinis eſt, quæ *ignorantia* dicitur *rerum ſuarum*, qua negligentes, & incauti in propria commoda peccare ſolent. Scilicet, ut illuc, unde abii, redeam, hæc omnia ignorantiæ exempla, quæ etiam accommodari poſſunt errori, in re quacumque verſetur, modo ſit voluntarius, aperte demonſtrant, quemadmodum ex omiſſione aliqua plures effectus ſequi poſſint, iidemque imputabiles, pro ut vitioſæ negligentiæ cauſſa quidquam turbatum eſt. Immo ex hoc ipſo capite pendet, quod nunc communiter tradi ſolet, & porro certiſſimum eſt, non requiri ad peccandum, neque adeo ad ipſius peccati imputationem, ut animum ſubeat præſens aliqua animadverſio, dubium, aut ſuſpicio criminis; quippe & hujuſmodi cognitionis defectus potuit in cauſſa voluntarius eſſe, ut quum quis neglexit in legis verita-

tem inquirere, uti per ipſum erat, & ſciendi obligatio poſtulabat.

IX.

Ex iis patet primam imputabilitatis, vel imputationis cauſſam, quæ ex parte hominis habeatur, ut quidquam ipſi tribui tanquam auctori, qua homo eſt, poſſit, eſſe voluntarium ipſum; neque enim aliter homo, ut talis, auctor cujuſque actionis, omiſſionis, aut effectus eſſe, vel concipi poteſt, niſi per voluntatem, quæ ex antecedente rationis cognitione ſe ſe determinat (a). Ex quo illud etiam ſequitur, quod antea conſtitutum, quum fundamentum imputationis ſit voluntarium, cujus cauſſa actio, omiſſio, vel effectus quilibet intelligitur hominis eſſe, ut homo eſt, non aliter poſſe cujuſcumque rei imputationem eidem fieri, niſi pro ratione, & gradu, quo in illud ipſum ſua voluntate influxit; alioquin quidquam ipſi tribueretur tanquam auctori, ut homo eſt, quod ab ipſo vere, qua tali, non profluxit.

Atque hoc etiam, quod probe notandum, valet pro actione aliena, aut ab alia cujuſque generis cauſſa producta, quoties quis teneretur, & poſſet effectum impedire. Quippe id facit ratio legis, ut quotieſcumque obligationem alicui injecit quidquam faciendi, ſemel ac ille deſuit officio, quod poterat implere, habeatur tanquam moralis cauſſa eorum, quæ prævideri potuerunt ſecutura. Namque non potuit id contingere ſine aliquo in rem ipſam conſenſu, dum qui poterat aliquid impedire, & tenebatur, non reſtitit: quod quidem ad omnia ſive juſtitiæ, ſive humanitatis, aut charitatis officia porrigitur, modo

quis

(a) *Concluſio dictorum.*

quis iiſdem tunc vere adſtringeretur ſeu ratione muneris, aut pacti, ſeu divinæ legis cauſſa, quippe quæ imperfecta eſſe poteſt hominis alicujus ad alterum obligatio, ut puta quia alter non habeat jus ſtrictum aliquid exigendi ſaltem in externo foro, poteſt tamen eſſe perfecta ipſius reſpectu Dei obligatio, ſemel ac certa lege ad illud ipſum obſtrinxiſſet. Huc pertinet, quod ſcripſit Tullius lib. 1. de officiis cap. 7. *Qui non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ, tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut amicos, aut patriam deſerat*: & Seneca Troad. v. 291. *Qui non vetat peccare, quum poſſit, jubet*. Idipſum docuit S. Paullus Rom. 1., quando commemoratis multis, quibus ſe ſe implicabant olim gentes, criminibus, ita concluſit: *Qui talia agunt digni ſunt morte, & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Videatur S. Thomas 2. 2. q. 62. ar. 7.

X.

Sed imputare quidquam homini, qua talis eſt, atque agit, non ſolum id poſtulat, ut quod fit, ab ipſius facultatibus profluat, quibus eſt homo, cujuſmodi ſunt ratio, & voluntas, ex quibus conſtituitur voluntarium, ſed ſimul etiam, ut quod ab illis profluxit facultatibus, ita libere factum fuerit, ut nulla ipſis dominans neceſſitas intelligeretur, quæ interceperit electionem. Certum eſt enim nos ex. gr. beatitudinem ſcientes, ac libentiſſimos velle, quin tamen poſſimus velle contrarium; quia in ejuſmodi viget quædam anticipata determinatio naturæ

[illegible] *ad imputationem proprie dictam, quæ in* [illegible] *moribus obtinet, voluntarium liberum prærequiratur*.

naturæ ad bonum ſuum, ut aliter ſe habere non poſſit, atque præordinata eſt, ut nempe eam neceſſario velit, & appetat. Quum autem imputare proprie nihil ſit aliud, quam homini tribuere datum actum tanquam ſuum, ideſt qui non ſolum ab ipſius facultatibus fuerit, ſed ab ipſo etiam deliberante factus, quo unico ſenſu intelligitur actus in ipſius hominis poteſtate eſſe, atque ejus ſubjacere dominio; conſequens fit ad veram, & proprie dictam imputationem non voluntarium quodcumque ſufficere, ſed omnino requiri voluntarium liberum, ſeu quod actus, vel quidvis aliud a voluntate deliberata procedat; quæ altera conditio eſt ex parte hominis requiſita ad proprie dictam imputationem.

Patet id ex communi ſenſu. Quoties accuſatur quiſquam, quod aliquid fecerit, vel non, ſi poteſt caſum in neceſſitatem aliquam rejicere, continuo id facit. Quare vero? Quia tunc prætendendo cauſſam, aut vim aliquam ſibi dominantem, neceſſario putat etſi per ſe factum, tamen ſibi ut eligenti, ut domino, aut arbitro tribuendum ſaltem in origine, atque in cauſſa non eſſe, quod ita geſtum eſt. Eo ſenſu improbi, ajebat Tertullianus in Apologetico, *qui nolunt ſuum eſſe, quod malum agnoſcunt, malæ mentis impetus vel fato, vel aſtris imputant*; ut ſcilicet demonſtrent per ipſos non fuiſſe ab actu, vel ab ejus partis proſecutione temperare, de qua accuſantur. Univerſum fati ſyſtema olim obtinens idipſum docebat, ut ferunt Annæi Senecæ verſus lib. epiſt. 18.

Duc, ſumme Pater, altique Dominator Poli,
Quocumque placuit, nulla parendi mora eſt.

Adſum

Adſum impiger. Fac nolle: comitabor gemens,
Maluſque patiar facere, quod licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Atque ea etiam ratione qui nunc ullum bonum, vel malum morale hominis eſſe negant Increduli in actibus ſuis, unde hoc repetunt, niſi ex eo, quod omnia putent regi æternis, univerſalibus, immutabilibus legibus, & hominem huic ſubjectum ordini, non aliter, atque alia omnia, neceſſario agi, & devolvi ipſa converſione naturæ? *Traité ſur la Tolerance ch. 13. dans la note*. Non equidem abnuo falſum eſſe in peculiari electione quorumcumque bonorum, aut rerum particularium hominem ulla fati, aut alterius generis neceſſitate trahi, quod prima parte demonſtratum eſt; quippe quæcumque obtrudatur ratio, ut id ſuaderi queat, ſemper intimi ſenſus teſtimonium obſiſtit, ex quo uno principium eſt ſciendi, quidquid in nobis accidat; falſum item Dei præſcientia, aut legibus eam libertatem eximi, quam idem ipſe Deus legibus ſuis voluit humanæ naturæ adjacere, & cujus proinde ſenſum inſeruit minime profecto fallacem, quippe qui univerſalis eſt, foretque Deo inſcribendus inde conſequens error, ſi in eo homines fallerentur. At interim illud ſemper conſtat, quemadmodum ſi liber non eſſet homo in electione eorum, quæ vult, aut facit circa particularia objecta hujuſce vitæ, nunquam ipſi imputari actus tanquam eorumdem Domino poſſent, a quibus ſcilicet non potuiſſet ipſe ſibi temperare, quod tamen a communi ſententia alienum eſt. Ex quo patet, ſive eos, qui libertatem electionis circa prædicta homini abrogant, ſive alios, qui hanc negant ad

impu-

imputationem homini faciendam requiri, univerſi generis humani ſenſum, & theoriam exturbare, a qua & communia negotia, & legum ſtatuta, & virtutum, atque vitiorum actus, & cætera, quæ inde conſequuntur ſive in præmiis, ſive in pœnis, omnino pendent. *Non enim*, ut exemplum in una re ponam, *furis eſſet iniquitas, neque homicidæ, qui ne volens quidem poterat manum continere ob ineluctabilem neceſſitatem ipſum ad agendum impellentem*; quemadmodum nec ullum hominis bonum, aut meritum eſſet, *ubi neceſſitas, aut fatum dominaretur*, ſicut congruenter hominum ſenſui S. Baſilio ſer. 1. de virtute, & vitio animadverſum eſt. Sed enim & hoc fatum, & hanc neceſſitatem ſibi ipſis dominantem invexerunt homines, ut culpas ſuas in Deum rejicerent, dum interim ſuperbus Stoicus ſibi quemque æquum parare animum volebat. Error, quem vel ipſi veteres Poetæ repudiarunt interdum victi veritate, & ſenſu ipſo naturæ. Quare Homerus, qui tam ſæpe fatum, & neceſſitatem commemorat, atque Helenam ipſam inducit tanquam impulſam a Deo, ut rem intolerandam faceret, tamen Odiſsea 32. quaſi injuſtitia admonitus nefariæ imputationis, ſic Jovem introducit graviter de hominibus querentem apud Deos:

Papæ quantopere mortales Deos accuſant!
Ex nobis enim ajunt eſſe mala; illi vero ipſi
Suis ſtultitiis, præter fatum, dolores habent.

XI.

XI.

Ex his porro ſequitur 1. ad imputationis moralis cauſſam referri minime poſſe, quæ vere, & proprie coacta dicuntur, & ſunt, qualia habentur, quæ majoris rei impetu, cui obſiſti non potuit, invitis acciderunt, de quibus fuſe prima parte §. xxxix., & ſeq., immo nec eo etiam pertinere, quæ interna, & abſoluta neceſſitate eveniunt, aut fiunt (*a*). Primum enim, quod dicitur abſolute coactum, ad paſſionem potius, ut inquiunt, refertur, quam ad actionem, paſſionem, inquam, involuntariam, quia eidem, ut ponitur, voluntas omni modo reſiſtit. Hinc propterea, quod tale evenit, negatur eſſe imputabile, non ſolum quia non liberum, ſed etiam quia non voluntarium. Alterum vero, quod ex interiore neceſſitate deſcendit, etſi voluntarium eſſet, ut puta quia libens quis illud vellet, non eſſet tamen in caſu vere urgentis abſolutæ neceſſitatis liberum, neque adeo tribui homini poſſet, ut domino actuum ſuorum, ſaltem pro ea parte, in qua talis neceſſitas dominata eſt.

Et quidem coacti, ſeu violenti, ut voluntario opponitur, jam exempla dedimus in prima parte citato loco, quibus unum addimus, quo magis intelligatur ex Dei ipſius auctoritate non imputari, quod ita ſecutum eſſet. Deuteronomii cap. 22. quum Deus ſtatuiſſet pœnas, quibus etiam in hac vita ſubjici volebat virginum corruptores, &, quæ aliquo modo conſenſiſſent flagitio, virgines, ut ſi ex. gr. *puella non clamaſſet, quum eſſet in civitate,* e ve-

(a) *Hinc non ſolum coacta, ſed etiam quæ ex neceſſitate naturæ abſoluta eveniunt, non imputantur, ſaltem in genere morum.*

e veſtigio ſubjicit: *Sin autem in agro repererit vir puellam, .. puella nihil patiatur, nec eſt rea mortis, quoniam ſicut latro conſurgit contra fratrem ſuum, & occidit animam ejus, ita & puella perpeſſa eſt: ſola erat in agro, clamavit, & nullus fuit, qui liberaret eam.* Ubi adparet, quia res ad paſſionem tantum ex parte puellæ, & quidem involuntariam prorſus utpote repugnantem voluntati contrahebatur, nihil quidquam ipſi imputatum fuiſſe criminis, aut vitii. Immo S. Auguſtinus lib. 1. de civ. Dei cap. 18. de violenter oppreſſis virginibus ſermonem habens negat eas pollutas dici poſſe, aut pudicitiam amiſiſſe, quando in apprehenſa, & oppreſſa carne exercita fuit libido non ſua. *Si enim*, inquit, *hoc modo pudicitia perit, profecto pudicitia virtus animi non eſt, nec pertinebit ad ea bona, quibus bene vivitur, ſed in corporis bonis numerabitur, qualia ſunt vires, pulchritudo, ſana, integraque valetudo, ac ſi quid hujuſmodi eſt: quæ bona, etiamſi minuantur, bonam, juſtamque vitam omnino non minuunt.... Abſit hic error, & hinc potius admoneamur ita non amitti corporis ſanctitatem, manente animi ſanctitate, etiam corpore oppreſſo, ſicut amittitur corporis ſanctitas violata animi ſanctitate, etiam corpore intacto.* Quod exemplum in hac re poſitum ad alia etiam pertinebit, quæ contra alterum ipſo repugnante peracta ſunt. Et vero eadem ipſa Deuteronomii auctoritate uſus eſt S. Gregorius Thaumaturgus in ſua Canonica Epiſtola, ut oſtenderet nihil eis criminis tribuendum, quibus perſecutionis tempore aut vitium per vim oblatum, aut vetitus cibus in os ferramento injectus, quia iſthæc omnia coacta, & violenta erant, neque adeo eorum voluntati adſcri-

adſcribenda. Quod non contingeret in metu, quia adhuc voluntarium abſolute eſt, quod metu fit, quippe, ut habetur in jure, qui metu impulſus quidquam facit magis agere, quam pati convincitur, qua in re maxime metus a violentia diſtinguitur, ſicut etiam alibi dictum eſt. Quod vero ſpectat ad illud, quod neceſſarium diximus, ut ſe ſe in aliqua parte explicat, ejus exemplum produci ſolet in amore ſui, ſeu appetitione beatitudinis generatim, tumque in averſatione, & fuga contrarii; quippe quum hæc ex naturæ conditione, atque ordine deſcendant, non tribuuntur homini tanquam arbitro, ad quæ ſcilicet vi ſua abſolute determinatus eſt. Dixi in ea parte, qua ejuſmodi neceſſitas ſe ſe explicat; namque etſi amor beatitudinis neceſſarius ſit, ſicuti & infelicitatis fuga, ut illa beatitudini habetur oppoſita, neque adeo in his liberæ appetitioni, aut electioni locus pateat; tamen actus circa eadem liberi ſunt, prout ſcilicet de iis cogitare volumus, aut non cogitare &c., & ſub ea ratione imputabiles; at non prout volumus, aut repudiamus, circa quæ aliter nos ipſos habere non poſſumus. Nec juvat hic dicere, quod Auguſtinus ſcripſit lib. 22. de civitate Dei cap. 30., liberum arbitrium adhuc habituros Beatos, immo magis liberum, quia *a delectatione peccandi uſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum*. Namque hæc quidem arbitrii perfectio erit patriæ propria, & quæ jam ceſſit in præmium virtutis, quia videbunt ipſam *eſſentiam bonitatis*, a qua alienari non poterunt; at interim non erit illud, quod modo requiritur, liberum arbitrium ad moralem imputationem, quæ ſcilicet ad rationem valeat meriti, vel demeriti, & porro alterius

generis

generis ſecundum providentiæ ordinem poſtulat libertatem, ut de quolibet ſancto dicitur, dum adhuc in terris eſſet: *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* Eccli. c. 31. Servandi nempe erant, ut idem adnotat S. Doctor laudato loco, *gradus divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare poſſet homo, noviſſimum, quo peccare non poſſet, atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret.* Atque ea plane de cauſſa ſcripſit etiam D. Thomas 1. 2. qu. 21. art. 2. *Actus naturales non eſſe in poteſtate naturalis agentis, quum natura ſit determinata ad unum, & ideo licet in actibus naturalibus ſit peccatum,* (ideſt perturbatio naturæ aliqua, ut in motibus ſubitaneis, & improviſis cupiditatis, & ſimilibus, qui ex ipſa natura, aut ejus vitio conſequuntur) *non eſſe tamen ibi culpam*, quia ſcilicet in eos homini nec poteſtas, nec arbitrium eſt. Huc referri quoque aliquo modo poteſt, quod ajebat Seneca lib. 4. de benef. cap. 9. *Non eſt liberalis, qui ſibi donat, nec clemens, qui ſibi ignoſcit, nec miſericors, qui malis ſuis tangitur, ſed qui aliis. Ita etiam nemo ſibi ipſi beneficium dat, ſed naturæ ſuæ paret, quæ movet ad refutanda nociva, & ad appetenda proficua.*

XII.

Sequitur II. perperam cum abſoluta coactione, aut ea neceſſitate, qua natura ad aliquid unum vi ſua determinata eſt, confundi alterius generis impulſum ad aliquid faciendum, qui improprie neceſſitas dicitur, cujuſmodi eſt vehemens ex ſentiente appetitu, aut alia adventitia cauſſa ad quidquam

exſtimulatio (*a*). Quippe quum ejus generis motio, quæcumque fingatur, (niſi forte perturbatis ſenſibus penitus rationis uſum intercipiat) adhuc nativam ſuam rationi, & voluntati vim relinquat, qua ſe ſe ipſam determinet, conſequens fit ex hac cauſſa nec voluntarium penitus, nec liberum in conſequente determinationis actu tolli; quod ex eo fit, quia quum liberum arbitrium non aliud ſit, niſi facultas quædam rationis, & voluntatis, neque adeo ſit corpus, aut actus organi corporei, nunquam contingere poteſt, ut ullus corporeus incurſus eam ſubmovere penitus queat, manente rationis, & voluntatis uſu, quippequæ facultas incorporea eſt, ut principia, in quibus inſidet, nec adeo apta extraneo alterius generis impetu coërceri. Qua de cauſſa & ea, quæ incitante paſſione fiunt, ut adhuc a ratione, & voluntate ſe ſe ipſam determinante profecta, vere, & proprie ſecundum rationem, & gradum deliberationis poſſunt, ut rei natura tulerit, moraliter imputari, ideſt homini tanquam ſuorum actuum domino, & arbitro tribui.

Et vero, ut rem latius explicemus, unde fit, ut ingruente vehementi paſſione in ſentiente appetitu plerique hominum cedant? Num quod corpus, aut corporis organici virtus animum ipſum repugnantem vi ſua pervincat? Ineptias. Vires corporis ad ſpiritum uſque non pertingunt, ut ex ipſo veluti actum extrahant, & ſi ille proprio motu non cedat, infra ipſum ſemper tumultus erit, & quem-

(a) *Ut adhuc imputetur, quidquid fiat alicujus paſſionis rationem prævenientis impulſu, modo maneat rationis uſus.*

quemadmodum de extranea timoris cauſſa dictum eſt, nunquam fieri poterit, ut ſæviente quovis cordis motu, juſtum, ac tenacem propoſiti virum ullus ardor, aut impetus mente quatiat ſolida. Quod quum ita ſit, ſicut quiſque ex intimo ſenſu ſuo percipere poteſt, jam inde apertum eſt occaſionem tantum actus ex corpore, aut corporis motu eſſe poſſe; at ſufficientem, ut inquiunt, cauſſam nonniſi in anima exiſtere, quæ vel ipſa ſe ſe paſſionibus ſubjicit, antequam ratio in conſilium adhibita fuerit, quod *Prævolatio* a quibuſdam dici conſuevit, vel non permanet in his, quæ conſilio rationis fuerunt præſtituta, quod quidem genus vitii *Debilitas* nominatum eſt: utrumque cum negligentia animi conjunctum, qua vel penitus conſultationem rationis prætermiſit, vel non firmiter intendit ad reſiſtendum paſſioni per judicium rationis, quod habebat. Quod autem hic de ſentientis appetitus motu diximus, de alio quovis externo, etiam qui ponatur ab aſtrorum influxu in corpus eſſe, ſubaudiendum eſt, quia non poſſunt hæc, & ſimilia directe in ſubſtantiam incorpoream imprimere, & quidquid producere valeant in corpus, nunquam illiuſmodi effectus ex ſe ſufficiens cauſſa eſſe poteſt actus, niſi animus ipſe ſe ſe corporeæ impreſſioni accommodet arbitrio ſuo. D. Thomas 2. 2. q. 95. ar. 5. & q. 156. ar. 1. Id quidem habere poſſet locum, quod etiam admonuit priore quæſtione Sanctus Doctor, quoties intellectus, ſeu ratio non differrent a ſenſu, ut olim Empedoclem, alioſque exiſtimaſſe auctor eſt Ariſtoteles lib 3. de anima cap. 3. Senſus enim ut externis, aut intimis impreſſionibus cietur, atque afficitur, ſic

& neceſſario ab iiſdem agi, ac permoveri poteſt. At intellectus etſi ſenſibus utatur quaſi nuntiis rerum, ipſe tamen ſenſus non eſt, neque adeo iiſdem legibus ſubeſt, ut neceſſario, & contra propoſitum ſuum flecti ipſe poſſit ad aliquid, ſicut nec voluntas, quæ in ratione eſt. Et quoniam Helvetius *de l'eſprit diſc. 3. ch. 1.* in hac cauſſa veterum illorum ſyſtema reſtaurare conatus eſt, ut nempe oſtenderet intelligere ipſum *ad ſenſibilitatem phyſicam* revocari, ex quo poſtea ſequeretur, quod idem ſtatuit *ch.* 4, nullum in particularibus determinationibus homini arbitrium conſtare; haud abs re fuerit paucis attingere, quæ idem Philoſophus habet, ut oſtendat intellectum inter, & ſenſum differentiam. Primo enim, inquit, ſentire animalibus ineſt omnibus, quippe ſenſus ipſis communis eſt; intelligere vero nulli, cui non inſit ſublimior facultas, ratio, ſeu quod ejus nomine notari conſuevit. Deinde ſenſus propriorum ſemper eſt verus, & nemo decipitur in eo, quod ſentit, quia ſentiri non poteſt id, quod non eſt; intelligere autem contingit & recte, quod eſt prudentia, & ſcientia, & opinio vera, & non recte, ſeu falſo, quum obtinent eorum contraria. Rurſus quo magis quidquam intelligibile eſt, eo magis intelligitur, ab eoque etiam ad inferiora deſcenditur; contra ſenſus non poteſt ſentire ex vehementi ſenſibili, ut ſonum ex magnis ſonis, neque ex fortibus odoribus, & coloribus videre, aut odorari. Tandem, ut alia prætermittam, intellectus in indiviſibili tempore, & indiviſibili intellectione contraria ſimul percipit, de iiſque cernit, ut inter album, & nigrum, immo & de illis, quæ diverſi plane gene-
ris

ris ſunt, ut album, & dulce, quod fieri non poſſet, niſi in eodem puncto hæc ſimul præſentia haberet; ex quo Ariſtoteles concludit ſenſorium quoddam commune admittendum eſſe, in quod quæ diverſorum ſenſuum ſunt, omnino concurrant, & referantur, quodque ideo corporeum non ſit, utpote ſimul, & in eodem puncto tam contrarias, diverſaſque impreſſiones excipiens; id quod in corpore, & in eadem corporis parte eodem ſimul tempore contingere non poſſet. Ex quo nimirum etiam colligi poteſt, facultatem cognoſcentem, & judicantem, quæ unico etiam actu hæc ſimul percipit, juncta habet, ac diſcernit unica perceptione, non debere cum corporeo ſenſu confundi, neque adeo impreſſionibus corporeis ejus virtus ita ſubjici, ut earum impetu neceſſario flectatur, aut moveatur in conſequente determinatione, quaſi corpus eſſet, quod hactenus demonſtrandum erat. Videatur etiam P. Gerdil *Diſſertazione dell' origine del ſenſo morale prop.* 1. 2. 3. &c.

XIII.

Sequitur III. tametſi adhuc tanquam abſolute libera haberi debeant quæcumque ex paſſionis cujuſcumque impulſu ratione, & voluntate fiant, minus tamen adhuc imputari, ſive in malo, ſive in bono, quæ ita geſta fuerint præ his, quæ tranquillo animo ſint facta, ob minorem ſcilicet, qui tunc concipitur deliberantis animi influxum (*a*). *Minus enim*, inquit D. Thomas 1. 2. q. 77. a. 6., *eſt in nobis exiſtens, quod ex impulſu paſſionis fit,*

(a) *Ut minus imputetur homini, quod ex præveniente paſſione factum eſt, quam quod tranquillo animo.*

quam quod ratio, & voluntas ex ſe agunt; ut ideo communi judicio mitius ex. gr. peccent, qui impetu, quam qui conſilio nocentes fuerint, ut etiam legibus receptum eſt. Enim vero, licet manente rationis uſu poſſit adhuc homo contra ingruentes motus judicium ſuum tueri, & temperare ab actu, nihilominus quia ſemper aliqua turbatio inde evenit, & quo magis homo ad unam partem propellitur, eo minor remanet ad oppoſitum indifferentia judicii, in quo præcipue vis arbitrandi ſita eſt, fit inde, ut arbitrium aliqua ex parte præpeditum intelligatur eo ipſo, quod difficilior redditus ſit, atque implicatior ejus uſus, atque ita minus imputentur, quæ ejus turbationis, ſeu difficultatis cauſſa facta ſunt, quam quæ ex ſola ratione deliberante profluxerint.

Atque huic quidem principio innititur, quod ajebat D. Thomas 2. 2. q. 154. ar. 3. *quanto aliquis ex majore paſſione impulſus peccat, tanto levius peccatum eſſe...., quia ſcilicet difficilius eſt vincere vehementiam hujuſmodi paſſionis*. Cui perſimile eſt quod ſcripſit Grotius lib. 2. de jure Belli, & Pacis cap. 20. §. 31., *omnino tenendum eſſe, quo animi eligentis judicium magis impeditur, quoque magis naturalibus cauſſis, eo, quod delinquitur, minoris eſſe*. Quod quidem ut plenius intelligatur variæ paſſionis, ſeu libidinis cauſſæ, & ſpecies diſtinguendæ ſunt. Alia eſt enim libido, quæ primigeniæ culpæ vitio inſtar cujuſdam habitus omnibus, & etiam infantibus ineſt; atque hæc dum vim non exerit ſuam, aut impetum ante voluntatis electionem, nihil minuit de natura, aut imputatione actus, quia alioquin omnia peccata eſſent diminuta, quum nullum

proveniat

proveniat, niſi ex aliquo inordinato appetitu boni, qui revocatur ad hanc ipſam cupiditatem ſecundum illud Apoſtoli 1. ad Tim. cap. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas*. Alia libido eſt, quæ conſiſtit in inclinatione ipſius voluntatis, puta quia quis illam in ſe ipſo excitavit data opera, ut dulcius re vetita frueretur, aut quam repetitis actibus accendit, unde habitus exiſteret, cujuſmodi ſunt mores diuturna conſuetudine firmati; atque hæc tantum abeſt, ut culpam minuat, quin potius aggravet, quia, quicumque demum ſequatur impetus, aut turbatio, ea ex electione fuit voluntatis, quæ etiam obtinet in habitu jam contracto, quoties quis non dat operam, ut illum exterminet; quare *Intemperati*, quorum voluntas inclinatur ad peccatum ex propria electione, quæ procedit ex habitu per conſuetudinem acquiſito, gravius peccare intelliguntur, quam *Incontinentes*, quos temporarius, idemque non quæſitus motus paſſionis ad malum trahit. D. Thomas 2. 2. q. 156. ar. 3. Alia tandem libido eſt, quæ ex appetitu ſentiente orta rationem prævenit, atque impetum facit in animum nihil tale volentem, quo modo dictum eſt naturam nos intus formare ad omnem fortunarum habitum, juvare, aut impellere ad iram, aut ad humum mœrore deducere, aut alios in nobis motus efferre; & hæc porro libido eſt, quæ culpam extenuare dicitur, quia ſcilicet ea de cauſſa præpeditus aliquo modo concipitur propriæ electionis uſus, aut ſaltem difficilior redditus; unde minus homini tanquam arbitro, & domino tribuendum, quod ita geſtum eſt. Etſi enim vires ſenſitivæ corporis eo uſque pertingere non poſſint, ut

animum neceſſario, aut violenter infle&tant, tamen inſtar cujuſdam diſpoſitionis poſſunt ad quoſdam actus inclinare; quos jam, ita dixerim, in corpore inchoant, quia videlicet & earum operationes quidquam conferunt ad actum intellectus, & voluntatis, *in quantum ſcilicet*, ait D. Thomas 2. 2. q. 156. ar. 1., *intellectus a ſenſu accipit, & voluntas impellitur a paſſione appetitus ſenſitivi*. Eo ſenſu ajebat Virgilius Æneidum 6. animas terrenis artubus, moribundiſque membris hebetari; ex quo magna eſſe ſolet (licet non unica) perturbationum cauſſa.

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, nec auras
Suſpiciunt clauſæ tenebris, & carcere cæco.

Ejuſmodi autem aliqua in anteceſſum perturbatione exiſtente, quis neget minus expeditam eſſe rationem, ut fungatur officio ſuo, & quidem quo fortior eſt paſſionis impetus? Sic qui maxime acuti ſunt, & cholerici ſolent appellari, plerumque velocitatem quamdam iræ patiuntur, quæ voluntate quæſita non eſt, ſed ex ebullitione quadam exiſtit ſanguinis, qui cordi affuſus eſt, ab exhalatione, & fuligine bilis proveniente. An porro quis dixerit eum, cujus præcordiis talis motus inæſtuat, perinde ſe habere, atque illum, qui ſoluto pectore quidquam cogitat, conſiderat, eligit? Sic etiam melancholici ob terream corporis habitudinem vehementiſſime inflammantur, quod experientia compertum eſt. Numquid autem ex ejuſmodi ardore, qui aliquando rationem prævertit, acrior non exiſtit impetus, cui difficilius obſiſtitur? Idem proportione quadam de aliis dicendum

eſt,

eſt, qui ob mollitiem temperamenti non admodum tenaces ſunt propoſiti, quod ſæpe in fœminis conſpicuum eſt, idemque videtur eadem de cauſſa in phlegmaticis contingere. Scilicet ubi vividior in hos ex cauſſa aliqua rationem præveniente impreſſio fiat, quis non agnoſcat ob ſingularem naturæ infirmitatem eos tunc minus comparatos reddi, ut, quod rationis eſt, exequantur? Ita quidem D. Thomas memoratis locis probat gravitatem culpæ in iis temperari pro peculiari, & propria, quæ tunc viget, difficultate ſe ſe, uti par eſt, determinandi, quod illis non contingit, qui curis expeditis, & pacato animo quidquam deliberant. Idem etiam de timore docuerat Angelicus 2. 2. qu. 125. art. 4., quo nimirum *imponitur homini quædam neceſſitas aliquid faciendi*, & hac de cauſſa elevari culpam dixerat. Ex quibus colligitur omnes ejuſmodi, quicumque ſint, affectuum, aut paſſionum incurſus non minuere peccatum conſequens ex ea parte, qua rationem aliquam habeant vitii, vel negligentiæ, ſed ex illa tantum, qua citra ullam voluntatis electionem inſurgunt, & incitamentum acrius præbent ad aliquid agendum. Num autem vividius homo cupiditate trahatur, an ira, quæ ejus veluti ſatelles, ac vindex eſt, an timore, quo alienatur a malo, ſummo ſtudio olim quæſitum eſt. Et quidem plerique dixerunt cum Auguſtino lib. de honeſtate mulierum cap. 2. *inter omnia certamina diriora eſſe prælia caſtitatis, ubi eſt quotidiana pugna, & rara victoria*, quia ſcilicet difficilius eſt contra hoſtem pugnare, qualis eſt delectatio, qui perpe-

tuo hæret lateri, quam adverſus iram, cujus ſuror brevis eſt; alii vim iræ cum Ariſtotele prætulerunt cupiditati, quia illa hominem velut extra ſe rapit perturbatis ſenſibus, quod non facit, vel ſaltem non adeo vehementer, cupido; alii tandem cenſuerunt ſummam præ omnibus in hominem eſſe vim timoris, quod nemo ſit, qui non magis dolorem fugiat, quam appetat voluptatem, quum etiam immaniſſimas beſtias videamus a maximis voluptatibus abſterreri dolorum metu. Sed enim hæc latius excutere non eſt hujus loci, quippe, quod ad rem attinet, ſatis eſt, quod jam conſtituimus, qua qua de cauſſa concutiatur homo, dummodo vis metus voluntatem prævertat, quo acrior illa fuerit, eo mitius delinqui propter turbatam aliquo modo electionem, aut difficilius redditum propriæ libertatis exercitium. Tantum addo, quæ hactenus dicta ſunt de paſſionibus, ut ad malum pertinent, aut ſollicitant, eadem etiam, judice D. Thoma 1. 2. q. 77. ar. 6., locum habere circa bonum, quod ex aliqua paſſione fiat. Etſi enim paſſio bona conſequens judicium rationis, qua quid honeſti efficitur, meritum augere intelligatur, quia ea in origine ex ipſa voluntate fuit, & felix eſt, quam quis ſibi paravit, neceſſitas, quæ in meliora compellit; tamen, inquit, ſi paſſio ſic præcedat, *ut homo magis ex paſſione, quam ex judicio rationis moveatur ad bonum agendum, talis paſſio diminuit bonitatem, & laudem actus*, quia videlicet eo in caſu minus conſtitit electionis ipſi voluntati, quemadmodum hactenus declaratum eſt.

XIV.

XIV.

Ex his facile fuerit explicare quid de naturæ paſſionibus ſentiendum, de quibus diu magnum inter mortales certamen fuit (*a*). Quidam enim earum veluti apotheoſim celebrarunt, quaſi ex iis, quidquid boni, aut magnifici in rerum natura ab hominibus factum eſſet, prodierit, & ſine illarum aculeis iners animus ad vitium æque, ac ad virtutem langueſceret; alii vero eaſdem, ceu malas, & noxias proſcripſerunt, quod earum ſemper contra rationem conatus ſit, nec adeo unquam eſſe poſſit earum objectum laudabile. Quo factum eſt ut etiam hac de cauſſa olim Stoici negarent unquam paſſiones in ſapiente, ideſt cordato viro locum habere, & ex adverſo Platonis diſcipuli affirmarent eaſdem juſto uſui patere poſſe cuicumque vel ſapientiſſimo, ſi quidem ratione moderentur. Itaque res, ut mihi quidem videtur, ex ipſa nominis ſignificatione aperienda eſt, ut probe, quod quæritur, teneatur. Si enim paſſionis vocabulo intelligantur perverſi naturæ motus, quibus in vetitum nititur, & contra præſcriptum rationis, nullus dubito, quin hæc ſint primigeniæ culpæ vitia, quibus male mulctata natura eſt, atque ea ratione quidquid perturbatum eſt, & ad malum inclinat, nuſquam poſſe bono deputari; quibus idcirco obfirmata mente reſiſtendum, quippe nunquam poteſt earum bonus uſus intelligi, niſi quatenus cedunt in exercitium virtutis, qua animus non mollitur, ſed quod majore vi faciendum eſt.

(a) *Quid de paſſionibus ſentiendum, quibus affici animus poteſt.*

eſt, enititur. Quod ſi paſſionum nomine naturales illæ affectiones denotentur, quibus generatim timor, aut fuga a re injucunda ſignificatur; vel propenſio hominis in aliquid, quod e re ſua, vel aliorum eſſe videatur; tumque apertum erit, eaſdem, ut ajebat D. Thomas 2. 2. q. 115. ar. 1. ex Philoſopho, *nec laudabiles, nec vituperabiles eſſe, quia ſcilicet non laudantur, neque vituperantur, qui iraſcuntur, timent &c., ſed qui circa hæc aut ordinate, aut inordinate ſe habent*; quo ſenſu ſcribebat etiam S. Auguſtinus lib. 9. de Civ. Dei cap. 5. Deo ſubjiciendam eſſe mentem regendam, & juvandam, mentique paſſiones ita moderandas, atque frænandas, ut in uſus juſtitiæ convertantur; atque ideo *in diſciplina noſtra non tam quæri, utrum pius animus iraſcatur, ſed quare iraſcatur; nec utrum ſit triſtis, ſed unde ſit triſtis, nec utrum timeat, ſed quid timeat*. Ex quibus aperte intelligitur paſſiones hoc poſteriore modo acceptas ex ſe nec meritis accenſeri, nec vitiis, quippequæ flecti in utramque partem poſſint, & ex æquo boni, ac ſummi eſſe materies mali, prout iiſdem uſus animus ad malum fuerit, vel ad bonum, ideſt ut tulerit rectæ rationis ordo, cui illæ ſubſerviant neceſſe eſt.

Et quidem paſſiones priore modo acceptæ, ut quid turbatum ſonant contra ordinem, tranquillitatemque rationis, communi vocabulo *perturbationes* appellari conſueverunt, quæ tam ſæpe homines ad perniciem devocant, & niſi eis obſiſtatur, parant peccati regnum. Hinc ſub ea ratione quis ejuſmodi paſſiones laudet, aut tanquam indifferentes habeat, quarum finis interitus eſt? Fateor

equidem,

equidem, ſi eiſdem non conſentiatur, eas perſonæ vitio non deputari, immo & apponi lucro, quod iiſdem reſiſtatur; at interim negaverit nemo ejuſmodi ad naturæ depravationem pertinere, qua ſemel perturbato ipſius ordine ad Deum, quod primum accidiſſe docet religio Parentum humani generis culpa, turbatus quoque fuit inferiorum virium ordo ad rationem; ut nempe quæ rebellis æquiſſimo, ſanctiſſimoque Domino fuit, ipſa in ſe pateretur triſtes inobedientiæ effectus, & miſerrimam legis peccati ſervitutem. Agnoverunt id aliquo modo etiam ethnici Philoſophi, qui quum ejuſmodi perverſos effectus viderent, atque in ſe ipſis experirentur, nec tamen cauſſam noſſent, unde tanta in homines derivata clades, inde exiſtimarunt nos non ut a matre, ſed ut a noverca natura editos in vitam, & ſicut corpore nudo, fragili, & infirmo, ſic etiam animo anxio ad moleſtias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines. Itaque has omnes ejus generis paſſiones in naturæ vitio ponimus, ſed quæ homini non tribuuntur ad culpam, quandiu ratio perſtat in officio, immo inde facit cum tentatione proventum. At alia res eſt de paſſionibus alterius generis, quas recte *naturales affectus* appellaveris, nec ex ſe ad malum ſollicitant, (utraſque enim ſignificat verbum Græcum, ex quo paſſionis nomen eductum eſt). Illæ enim quum impetum in rationem non faciant, immo & iiſdem uti illa tanquam inſtrumentis poſſit ad aliquid efficiendum, ex ſe nec laudandæ, nec accuſandæ ſunt; ſed totum quidquid erit negotii, ex ipſius rationis uſu pendebit, prout eas adjunget operi ſecundum

dum ordinem, quo agendum, aut non agendum eſt. Atque de iis porro paſſionibus admittitur quod quidam ajunt, ſine illis hominem, ſaltem ut nunc eſt, concipi non poſſe, & ſi eæ omnino abeſſent, futuram in homine perfectam inertiam, atque inſenſibilitatem, quæ plerumque non ſine magna mercede contingit immanitatis in animo, & ſtuporis in corpore. Quid enim eſt vitii, ſi quis cupiat, metuat, lætetur, ægreſcat, quando res ita poſtulat, & porro illud ſecundum rationem eſt? Sunt enim ii nativi motus, quibus natura concutitur nutu proprio, ac ſuo, & quibus ipſa admonetur vel officii, vel proprii defectus. Sic alimentorum ſuſtentaculis indigemus: ſi ſuavia non ſint, quæ ore ſumuntur, nec ſumi poſſunt, & nauſeando ſæpe reſpuuntur, & pernicioſa ſunt cavenda faſtidia. Non ſolum itaque cibo, ſed etiam cibi ſapore indiget infirmitas corporis noſtri. Quum ergo natura quodam modo poſcit ſupplementa, quæ deſunt, paſſio quidem erit, ſed non perturbatio, fames, aut ſitis, ſed non erit vocanda libido, quemadmodum & hæc duo probe diſtinguenda ſunt, quæ & in ipſo Ænea diſcrevit Poeta Æneid. I. *Exemta fames*, & *Amor compreſſus edendi*. Igitur in his paſſionibus, ut adjacent naturæ, nihil vitii, ſed bonum, aut malum tantum habetur, prout in iis ordo rationis ſervatus eſt, aut non. Nec aliter profecto de aliis memoratis dicendum, quæ cupiditate, metu, lætitia, triſtitiaque finiuntur. Amor enim inhians habere, quod amatur, cupiditas eſt; id autem habens, eoque fruens, lætitia eſt: Fugiens, quod ei adverſatur, timor eſt; idque, ſi acciderit, ſentiens triſtitia

eſt.

eſt. Proinde mala ſunt iſta, ſi malus eſt amor; bona, ſi bonus. Sed bonus, aut malus amor tum ex re ſubjecta, tum ex ejuſdem ad rationem ordine definiendus eſt. Dicat nunc Helvetius, *de l'eſprit diſc. 3. ch. 6. 7.* 8., & qui cum eo ſentiunt, paſſionibus deberi quidquid magnum, atque mirabile hominum ingenio, & arte perfectum eſt. Dicant eaſdem ita ſe habere in moribus, & operibus mortalium, ſicut in phyſicis motus, qui omnia creat, perimit, conſervat, renovat, & quo deficiente jacent univerſa. Dicant ex paſſionibus eveniſſe, ut primus omnium, quiſquis ille fuerit, fragilem commiſerit pelago ratem, ut convalles æquatas, ſubverſos, aut perfoſſos montes videamus, conſtrata maria, aut contracta jactis in altum molibus, & quæ olim obtinuerunt, Pyramides Mempheos, & Lacus Mœrios, & Rhodium opus. Dicant ex iiſdem ipſis fieri, ut identidem admiremur Duces non indecoro pulvere ſordidos, & milites ſudore multo diffluentes corpora; rurſus ut impalleſcant libris, qui in literarum ire plauſum deſiderant. Haud equidem id abnuero multam ex paſſionibus in his cauſſam exiſtere potuiſſe. At interim ſemper affirmabo in re morali, quidquid demum id fuerit, quod factum eſt, illud omne aut bonum, aut malum in eo ordine eſſe, aut fuiſſe, prout ex rationis præſcripto peractum eſt, aut ſecus, quemadmodum & in genere phyſico tale etiam habetur, quod factum, prout ſecundum regulas artis fuerit, aut contra. Neque enim putandum, quum paſſiones vituperamus, id repudiari, quod ex iiſdem ſecundum rationis judicium effici poteſt, aut po-

tuiſſet

tuiſſet boni; ſed exceſſum, ſed vitium, ſed pravum finem vituperamus. An quæ avaritiæ, ſuperbiæ, luxui, perverſæ cupiditati ab iiſdem tribuuntur opera, non potuerunt aliquando ex magnanimitate proficiſci, qua quis ex rationis ordine ad magna opera, eximioſque honores contendit? An non fortitudini, quæ utitur etiam ira, & audacia, ut quod factu difficile, ac periculoſum eſt, exequatur? An non magnificentiæ, quæ eſt rerum magnarum, & excelſarum cum animi quadam ampla, & ſplendida propoſitione agitatio, atque adminiſtratio? Non quæro hic quid de hominum factis, ac præcipue Ethnicorum ſentiendum ſit. Solum affirmo quæcumque admirabilia dicantur ſeu ingenii, ſeu artium opera ſive in bello, ſive in pace peracta, ea & bene fieri ab hominibus potuiſſe, & male, quod pertinet ad moralem ordinem, prout ex virtutis, ſeu rectæ rationis præſcripto, & norma prodierint, aut non. Sic accidit in rebus omnibus. Creatura quævis quum bona ſit, & bene poteſt amari, & male: bene, ſcilicet ordine cuſtodito; male, ordine perturbato. Nec eſt, cur in egregiis facinoribus, rebuſque magnis primas ſemper vitio concedamus. Quod grande dicitur ex vitio profectum, idem ipſum potuit ex aliqua humana virtute manare. Si ex vitio proditum, corruptio quidem hominis fuit, non virtutis infirmitas. Cæterum miſera profecto eſt, & triſtis Philoſophia, quæ de præclare geſtis angitur, ac laborat, nec ſe expedire ab iiſdem poteſt, niſi ineptos fines, & cauſſas ſine virtute perpetuo comminiſcatur. Non puto æquum eſſe, ut in omnibus vileſcat Socrates, aut ſemper

accuſetur

accuſetur Regulus. Reſiſtit naturæ ſenſus, ſicut etiam rationis vox, ne quæcumque egerint illi præclara, omnia ex vitio prodiiſſe putentur. Obiter moneo diſtinctionem, quam conſtituimus inter paſſiones, & affectus, quorum alii naturales dicantur, & ex ſe extra vitium, alii cum naturæ perturbatione conjuncti, agnitam quoque a veteribus Philoſophis fuiſſe, dum ex illis quoſdam eſſe dixerunt; quos oporteret animo coërceri, & frangi eadem plane ratione, qua servi a dominis fatigantur, ut optima pars animi, ideſt ejuſdem ſapientia in tuto ſit, quales ſunt vitioſæ, imbecillæque partes, ut libidines, ut iracundiæ, ut perturbationes cæteræ, alios autem tradiderunt affectus eſſe, quibus animus imperaret, ſicut imperat corpori, cujus ſervitio utitur, aut ut rex civibus ſuis, aut parens liberis, quod nempe ex ſe dociles ſint, pareant facile, & ad virtutum officia traduci poſſint, quales dicuntur affectus pure naturales, & qui ſecundum ſui naturam ſine vitio ſunt. Sic enim Regum, ſic Imperatorum, ſic Magiſtratuum, ſic Patrum, ſic Populorum imperia civibus, ſociiſque præſunt, quemadmodum his affectibus animus. Immo, quod maxime in hac cauſſa obſervandum eſt, id ipſum innuere viſus eſt Auguſtinus lib. 4. contra Julianum. Quum enim iſte damnata concupiſcentia, cujus nomine venit quæcumque alia libido, inde concluderet ſenſus alios quoque videndi, audiendi, guſtandi, olfaciendi, atque tangendi in vitio ponendos eſſe, opportune Auguſtinus ſtultam conſecutionem depulit, animadvertens aliud eſſe ſen-

tiendi vivacitatem, vel utilitatem, vel neceſſitatem; aliud ſentiendi libidinem. Vivacitas enim ſentiendi, inquit, eſt, qua magis alius, alius minus in ipſis corporalibus rebus pro earum modo, atque natura, quod verum eſt, percipit, atque id a falſo magis, minuſve diſcernit. Utilitas ſentiendi eſt, per quam corporis, vitæque, quam gerimus, ad aliquid approbandum, vel improbandum, ſumendum, vel rejiciendum, appetendum, vitandumve conſulimus. Neceſſitas ſentiendi eſt, quando ſenſibus noſtris etiam, quæ nolumus, ingeruntur. At libido ſentiendi eſt, quæ nos ad ſentiendum ſive conſentientes mente, ſive repugnantes appetitu carnalis voluptatis (quod idem audiendum de quavis alia re vetita) impellit. *Hæc eſt*, ſubdit, *contraria dilectioni ſapientiæ, hæc virtutibus inimica*. Ex quo ſequitur, quum libido tantum ex ſe perturbatum quid ſonet, & inferat, ſecus vero & vivacitas ſentiendi, & ejus utilitas, necnon ejuſdem neceſſitas, quæ ex ſe adjaceant naturæ, ſequitur, inquam, cum illam in vitio eſſe, tum cætera ut per ſe non mala honeſte impendi poſſe in virtutum officiis, quæ quidem nos ad naturales paſſiones, ſeu affectus revocavimus. An porro dicemus, ut hoc etiam ad Helvetii argumentum transferamus, quæcumque ab hominibus præclare, aut magnifice geſta ſunt, ex libidine tantum profecta fuiſſe, nuſquam ex ſentiendi vivacitate, utilitate, atque etiam ejuſdem neceſſitate?

XV.

Sed hic quæſtio eſſe poteſt, quam ſæpe proponunt, & urgent Increduli, quomodo intelligi in actione hominum electio, atque adeo conſequens imputatio queat, quum homo, quidquid demum agat, aut velit, illud non conſectetur, niſi ex ipſo ſui amore, quo neceſſario ſe ſe ipſum proſequitur, ac bonum ſuum (*a*). Conſtat enim neminem quidquam appetere, aut attingere, niſi quia ſibi bonum videtur; adeoque tota, quanta dicatur in particularibus caſibus, hominis electio ex præcedentibus boni impreſſionibus pendebit, hincque quidquid faciet neceſſarium erit, ut ex naturalibus impreſſionibus proditum, quibus proprius amor excitatur ad hoc, aut illud proſequendum, neque adeo poterit ullo modo laudi tribui, vel vitio. Quo poſito res huc demum revocabitur, quum ex paſſionibus fiat, naturali propenſione, aut motu, ut hoc, vel illud bonum videatur, aut malum in his, aliiſve adjunctis, illud neceſſario ſequetur poſita paſſionum impreſſione, quæ vi ſua externorum objectorum incurſu excitari, atque manere poteſt, hominem nuſquam ex ſui arbitrio ſe determinare, atque adeo quidquid agat non eſſe ipſi ut domino ſuorum actuum imputabile. Quæ quidem difficultas niſi explicetur, quippequæ rem, de qua agimus, propius attingit, nutabunt omnia, quæ hactenus de imputatione dicta ſunt.

XVI.

(a) *Quomodo intelligi poſſit in actionibus hominum electio, & imputatio conſequens pro rei natura, licet ipſe ad nihil moveatur, niſi ex naturali amore ſui, ſeu boni.*

XVI.

Ut autem id declaretur tria mihi præmunienda ſunt, quæ profecto nequeunt in controverſiam adduci (*a*). Et quidem illud principio certum eſt hominem non eſſe ens, ut inquiunt, *pure ſenſitivum*, ſed præterea ratione pollere, atque vi intelligendi, in qua præcipue ſita eſt ipſius ab inferioribus naturis excellentia, atque diſtantia. *Omnis enim noſtra vis*, ajebat ex omnium ſententia Salluſtius in Bello Catilinario, *in animo, & corpore ſita eſt,... alterum nobis cum Diis, alterum cum belluis commune eſt*. Quicumque id negat, ipſe ſibi diſſimulat, aut invidet dignitatem ſuam, abjicit communem ſenſum, atque hoc ipſo indignus eſt, qui ab hominibus audiatur. Neque hic iterum dicatur (quod jam ſuperius refutatum) *rationem*, atque *intelligentiam* cum corporeo ſenſu, aut ſenſatione omnino confundi. Namque huic doctrinæ animus, & vox ipſa naturæ reclamat, & aliunde ipſa diverſa objecta, quibus ſenſus afficitur, & quæ intelligentia percipit, ſatis evidenter eorum diſcrimen oſtendunt, quin opus ſit diutius in hac cauſſa laborare. Addo tantum nobis ipſis nos conſcios eſſe de quadam vi nobis inhærente, qua ſimul intelligitur, & animi imperium exercetur ſupra corpus, quo utitur ad fines ſuos; vis, qua rector animus, & dominus ſe ſe ipſum regere concipitur, atque habere cætera, quin tamen ipſe habeatur, aut quaſi corpus conſtringi queat. Quo uno demonſtratur animum inter, & corpus differentia, quemadmodum etiam inter illius facultates

(a) *Duo in homine principia agnoſcenda, quibus agi poteſt intelligentia, & ſenſus.*

cultates, & ejuſdem corporis organa tanquam res toto genere diſtinctas.

XVII.

Conſtituo deinde, quod & ſenſu intimo percipitur, duplex bonum homini competere poſſe pro diverſa, qua eſt inſtructus, vi. Ut enim ſentiens eſt, quod habet etiam cum inferioribus naturis ſaltem in genere commune, reſpondet ei bonum quoddam, ut ajunt, ſenſibile, quod pro ſuorum organorum natura, ac virtute ipſum afficere poteſt magis, vel minus, hoc, vel illo modo, ut tulerit objectorum incurrentium in ſenſus impreſſio. Ut autem intelligens eſt, quoddam aliud habet, quo affici poteſt, bonum longe excellentius, cujuſmodi eſt, quod dicitur *ordinis*, atque *rationis*, vi cujus verum percipit, & pulchrum quoddam, quod ipſummet animum ad ſui approbationem movet, nec ideo tantum bonum eſt, quod ſentiatur, quemadmodum quod eſt dumtaxat ſenſibile, ſed bonum, quia in ſe habet intrinſecam quandam approbationis cauſſam nixam quibuſdam ideis recti, & juſti naturalis, de quibus toties ſecunda hujus operis parte dictum eſt, & quidem ex conſenſione, & ſenſu totius humanæ naturæ. Nec eſt, cur argumenta quærantur, ut hujuſmodi boni cognitio, & conſcientia excludantur. Senſus hic animi quavis argumentatione validior eſt. Id conari perinde fuerit, atque homini eripere conſcientiam ſui; quod omnino eſt abſurdiſſimum.

 XVIII.

(a) *Intelligentiæ, & ſenſui proprium quoddam, & diſtinctum bonum reſpondet.*

XVIII.

Tandem illud pono, quum præcipue ex animo, animique cognitione hominis natura, ac dignitas æſtimanda ſit, quippequæ ipſius ſupra cæteras infra ſe naturas excellentiam conſtituit, ita quod reſpondebit animo, atque rationi bonum, illud vere, & proprium, ac præcipuum eſſe bonum humanæ naturæ (a) Eſt enim illud, quod ipſi tantum convenit, quod liquidum in ſe prorſus, ac de æcatum percipitur, & in quo uno dignitas hominis ſita eſt. Non admodum laboraverit quiſpiam, quod tauri robur non habeat, aut velocitatem cervi, aut non ita acutum videat ut aquila. At omnes ſibi in ratione plaudunt, quæ omni corporeo bono præſtantior eſt, omnes de cognitione veritatis gaudent, atque ita labi, errare, decipi in rebus maxime ad hominis dignitatem pertinentibus, tum malum, tum turpe putant. Nullus eſt paſtor adeo rudis, qui ejus boni ratione, quod ex intelligentia eſt, propriaque hominis natura, ſe pecoribus non anteferat, atque hoc ipſo quod homo ſit, valeatque intellectu quædam & noſſe, & facere, in iiſque verſari, ad quæ bruta nullo modo pertingunt.

XIX.

His conſtitutis dico 1. ſi homo tantum corporeo ſenſu valeret, ac regeretur, profecto ipſe non ſecus ac inferiores naturæ ſolis corporeis impreſſionibus voluptatis, aut doloris, ideſt jucundis ejuſmodi, vel injucundis ſenſationibus determinaretur, quia unum tantum ipſi congrueret bonum ſenſibile,

quo

(a) *Bonum rationis, ſeu intelligentiæ ſenſibili bono præſtantius.*

quo poſſet affici, ac permoveri (*a*). Hinc quemadmodum *natura ſola totum efficit in operationibus brutorum*, ut fatetur ipſe Auctor *Emile t.* 1. *pag.* 30., quia nempe illa ad unum ſenſibile bonum determinata ſunt, haud aliter homo in ea hypotheſi non ſecus ac illa ſolo ejuſmodi inſtinctu ageretur, atque determinaretur ejus generis bonis. At, ut ſupra vidimus, aliter in homine ſe habet res. Præter bonum corporis, & ſenſuum aliud eſt, quod rationis dicitur bonum in ordine quodam conſiſtens ipſius hominis ad verum, & pulchrum intelligibile, quodque reſidet in quibuſdam principiis aut inſitis, aut obviis, quibus cognoſcit ut in aliis rebus, ſic maxime in moribus quid deceat, quid non, quid ſibi, quid aliis debeat, quod ſit virtutis officium, quæ turpitudo vitiorum. Ergo falſum eſt, quod ab adverſariis ponitur hominem tantum paſſionibus, uti eas accipiunt, corporeis determinari, ut ideo nonniſi illis agatur, & pareat, quidquid demum agat, aut velit. Habet quippe nobilius principium, & cauſſam boni, qua ſe ſe ipſum ratione, & intelligentia determinet, quam illud ſit, quod ſenſibus tantum objicitur, & proprium maxime brutorum eſt, quæ ut natura prona, & ſenſibus obedientia finxit, ſic nec quidquam altius ſapere poſſunt, aut appetere, quam lex corporis ferat, & ſenſibilis ſpecies boni.

Attigit hoc genus argumenti S. Auguſtinus lib. 4. contra Julianum, qui quum voluptates, libidineſque

 corporis

(a) *Homo in particularibus electionibus ſuis poteſt ſe ipſum regere per rationem, quin neceſſario dicatur agi boni ſenſibilis ſpecie.*

corporis ita laudaret, ut eas contra vim mentis efferret, & in hac cauſſa Ethnicorum, ac Stoicorum præſertim ſe auctoritate protegeret, ita eum repreſſit S. Doctor, ut ſimul docuerit, quale ſit hominis bonum, quod ipſum deceat vel ex eorumdem ſententia ſequi. Primum enim negat Stoicorum teſtimonio perverſum dogma defendi poſſe, quippequi nullam particulam boni humani in corporis voluptate poſuerint, & elegerint in pecoribus potius, quam in hominibus laudare libidines. Eorum namque opinioni, inquit, convenienter ait quodam loco Tullius *ſe non putare idem eſſe arietis, & Publii Africani bonum*. Rurſus commemorans quæ veteres lamentabantur de proclivitate hominis ad libidinem, deque aliis vitioſis animi partibus, *in quo tamen ineſſet obrutus quidam divinus ignis ingenii, & mentis*, concludit ex Tullio lib. 3. de Republica, quemadmodum corpus animo potius ſervire debeat ex ipſomet inſtituto naturæ, quippecujus dominatus optimus eſt, quam ut animus ſe ſe corporis voluptatibus mancipet: *An non cernimus*, inquiens, *optimo cuique dominatum ab ipſa natura cum ſumma utilitate infirmorum datum? Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, iracundiæque, & cæteris vitioſis ejuſdem animi partibus?* Ac tandem, ut alia præteream, quæ Auguſtinus ex veterum fide pro vivacitate mentis adverſus voluptatem corporis diſputat, ſatis fuerit producere Catonis exemplum, quo idem ipſe utitur in hac cauſſa S. Doctor. Intuere, ſic enim Julianum alloquitur, honeſto corde, ſi potes, [quo]d de Catone Poeta cecinerit (Lucan. lib 2.).

Urbi

Urbi, inquit, *Pater eſt*, *urbique maritus*:
Juſtitiæ cultor, *rigidi ſervator honeſti*:
In commune bonus, *nulliſque Catonis in actus*
Subrepſit, *partemque tulit ſibi nata voluptas*.

Non quærit quidem hic Auguſtinus, utrum in Catone vera virtus, honeſtaſque fuerit laudata; ſed interim ex veterum ſententia demonſtrat revera præter ſenſuum, & corporis bonum aliud homini propoſitum eſſe longe præſtantius, quod mentis, quod officii, quod rationis eſt, atque virtutis. Hinc falſum, quod ab Incredulis fingitur unam eſſe determinationis in homine cauſſam, bonum, quod vel arieti, aliiſque pecudibus commune ſit, quale eſt bonum ſenſuum, quodque illis ſolis nunquam turpitudini adſcribitur, quia non habent rationem, ut homines, qua libidines moderentur, ac ſuperent, ſed immo unica impreſſione, ac motu ſenſuum aguntur, & concitantur.

XX.

II. Affirmo proinde non pugnare cum amore ſui, ideſt propriæ felicitatis, immo eidem congruere, ut homo ſenſuum bono præferat potius quod animi, & rationis eſt, quippequod ſolius eſt hominis bonum verum, & proprium, & in cujus cognitione, atque proſecutione maxime a brutis diſtinguitur. Si enim naturæ ordo poſtulat, ut præſtantiora aliis anteferantur, eaque multo magis, quæ propius naturam, ac dignitatem attingunt humanam; patet ordinatum, & juſtum ſui ipſius amorem id omnino requirere, ut ſuperioris ordinis bonum præponatur ſenſibili, atque corpo

(a) *Ut non pugnet cum amore ſui*, *quod quis bonum rationis ſenſibili anteponat*.

corporeæ utilitati, in qua hominis dignitas laudata non eſt. Hinc qua ratione rectiſſime ſentiunt, qui vires mentis, atque ingenii corporeis præferunt, quia his nobiliores, ac hominis excellentiæ magis congruentes, haud ſecus & animi bona, qualia ſunt ſapientia, integritas, virtus præ aliis omnibus diligenda, atque appetenda ſunt. Eo fit, ut nihil in hac parte contra amoris proprii ordinem peccetur, ſi bonum rationis, ex quo hominis decor præcipue penſandus eſt, aliis ſenſuum bonis præponatur. Id etiam ex eo patet, quod ſi de infimis bonis agatur, ut aliquid ingerunt, aut pariunt in homine contra rectam rationem, non poſſit homo horam durare idem probans, ac permanens in propoſito; immo quum libido deſerbuit, idem ſe ipſum damnet, quod ita contra animi legem egerit, ac dignitatem, ut ideo verum ſit, quod quidam ait, *& pœnitendi quæ eſt cum voluptate vicinitas?* contra ſola recti & juſti opera perpetuo probentur, & ſive in nobis, ſive in aliis, quos noverimus, aut non, certa, ac fixa animi conſcientia, & quovis tempore in pretio ſint. Quod profecto demonſtrat hoc, quod rationis dicitur, verum in hac vita eſſe bonum hominis, ſolam virtutis gloriam claram, firmamque haberi, cætera fluxa, & fragilia, & quæ talia videri non poſſunt, niſi animo perturbato; namque tranquillo nemo eſt, qui animi bonum præ corporeo non laudet.

Et ſane rationis bonum, ut in aliis omnibus, ſic multo magis in moribus ſenſibili tantum, atque corporeo præferendum, quod, omni perturbatione ſemota, quiſque ſanus judicaverit, tum veterum, tum etiam recentium doctrina poteſt demonſtrari

monſtrari

monſtrari. Fuerint quidem plures olim de bonorum, malorumque finibus ſententiæ, de quibus multipliciter inter ſe Philoſophi diſputarunt. Si tamen ad duas præcipuas, a quibus pendent reliquæ, quæſtio revocetur, quænam præſtantior habebitur, juſtior, ac ſanior, num quæ dicit, *mihi voluptas corporis bonum eſt*, an altera, quæ dignius eſſe pronuntiat *animi bonum*? Atqui primum illud clamat peritiſſimus ille auceps voluptatum Epicurus, qui convocata de hortulis in auxilium quaſi libera turba temulentorum voluptatis nomen, ſuavitatem, quietem populo exaggerans inſtat acriter, ut ſine ea ſapiens, bonus, beatus nemo eſſe poſſe videatur. Alterum vero denuntiat Zeno & tota porticus, hominem ſcilicet ad honeſtatem natum, ipſam ſuo ſplendore in ſe animos ducere, præponendam eſſe cuilibet commodo extrinſecus poſito, aut lenocinanti mercedi, in ejus cognitione, atque amore hominis dignitatem eminere, voluptatemque illam Epicuri ſolis inter ſe pecoribus eſſe communem, in quorum ſocietatem ajunt nefas eſſe & hominem, & ſapientem trudere. Quid porro inter hæc affirmaverit Plato, ſi eos rixantes offenderet, quid Socrates, qui Philoſophiam evocavit e Cœlo? Immo quid ſenſus ipſe ſuggerit naturæ in his contrariis ſententiis, utra utri anteponenda ſit? Satis fuerit in hac cauſſa Monteſquieum audire. Ex omnibus Sectis, inquit ille, *de l'eſprit des loix l.* 23 *ch.* 10, olim obtinentibus nulla fuit convenientior homini, ejuſque bono, quam quæ Stoicorum dicta eſt. Si res ſola ratione tranſigeretur, Zenonianæ excidium Sectæ in humani generis fatis deputarem. Ejus erat grandia

proponere

proponere, in quibus magnitudo animi, contemptus voluptatum, atque doloris eluceret. Sola magnos efficiebat cives, viros præſtantes, eximios Imperatores... Dum vanas dicebat divitias, dignitates, dolorem, cruciatus, voluptates, unum ei erat opus in hominum felicitatem incumbere, & ſocietatis officia prædicare. Videntur Stoici doctrinam hanc habuiſſe inſtar cujuſdam ſpiritus ſacri, aut propitiæ providentiæ, quæ hominum bono advigilaret &c. Non id agitur nunc, quod ſæpius monendum eſt, num vere ita ſe gererent ſaltem in omnibus Stoici, ut docebant. Scio equidem multos etiamnum in invidiam vocare eorum effata, nec mirum Epicureos, contra quos potiſſimum Zenonis exarſit ingenium, olim virtutem Stoicorum comparaſſe cum magnanimitate, & gloria hiſtrionis in ſcena, qui ſi a ſpectatoribus, & plauſu eorum deſtitueretur, animis ſtatim concideret. Verum enim vero, quidquid ſit de hominum factis, nonne illud extra controverſiam eſt in eo ſolo ſyſtemate Stoicorum nos dignitatem Philoſophiæ, & humanæ naturæ admirari, ſolum illud eſſe, quod ſapiat aliquid eminens, ac magnificum, cætera, quæcumque ſint aliorum cogitata, in ejus comparatione langueſcere, ac vilia eſſe? Quod autem iſthæc ipſa, quæ ſuſpiciunt homines, & tanquam decora vident, inter agendum non curent, aut dimittant, annon alia eſſe poteſt cauſſa, quin veritas ipſa rerum, & dogmatum accuſetur? Annon id evenire ex vitio naturæ poteſt, unde majus voluntati damnum, quam intellectui fuerit importatum? Quidquid dicant alii, mihi homo Rex eſt, qui pulſus ditione ſua retinet adhuc in animo priſti-

næ

næ dignitatis & magnificentiæ veſtigia, etiam dum miſeram patitur ſervitutem, quam triſte bellum invexit.

XXI.

Ex his autem omnibus puto difficultatem propoſitam dirimi. Verum eſt enim hominem natura conciliatum ſibi, atque inde amorem ſui principium eſſe, ſeu cauſſam, ex qua omnes ejus determinationes, atque actus prodeant. At amor ſui non eſt neceſſario determinatus ad bonum ſenſibile; quippe aliud eſt bonum & quidem ex ſe longe præſtantius, maximeque congruens naturæ humanæ, bonum, quod dicitur rationis, atque ordinis, cujus intuitu ſe ſe ipſum determinare homo poteſt, ut inferius bonum dimittat, & ſic veram, & propriam tueatur dignitatem, quæ in rectæ rationis cuſtodia poſita eſt. Eo adducere illum debet ordo ipſe naturæ, quo intelligit omnia imperfectiora nonniſi propter perfectiora eſſe, adeoque quod inferius eſt in homine rationi ipſi ſubmitti oportere, quemadmodum corpus animo, qui præſtantior eſt. Si eo non reſpiciat homo, quum agit, aut deliberat, vel ſi reſpexit, & non permanet in ſententia, quum vividior impetus pulſat ſentientis appetitus, id non fit ex ulla naturæ neceſſitate, qua invitus rapiatur, ſed quia prætermiſit, quod officii erat, conſultationem rationis, aut quia non firmiter intendit ad reſiſtendum paſſioni, vel corporei

(a) *Hinc explicatur, quemadmodum electio cujuſque particularis rei adhuc libera intelligi poſſit in homine, & imputabilis, licet ad id, quod vult, aut agit, moveatur ex amore ſui.*

corporei boni illecebris per judicium rationis, quod conſtituerat, & habebat. Hinc falſum quod conſtituit Helvetius *de l' eſprit diſc. 3. chap. 9.*, Deum ut in phyſico, ſic etiam in univerſo morali non conſtituiſſe, niſi unum principium, ex quo prodierint omnia, quæcumque fuerunt, & neceſſario prodire debeant, quotquot ſunt, aut futura ſunt; ejuſmodi principium ut in materia eſt vis motus, quæ omnia excitavit, atque adduxit in ordinem, quem videmus, ſic etiam in homine non eſſe, niſi *ſenſibilitatem*, qua una aſſerit eundem determinari, atque agi tanquam cæcum inſtrumentum divinæ voluntatis. Namque ſi agatur de ſenſibilitate tantum phyſica, ſeu corporis, de qua ipſe loquitur, abſurdum eſt eam unum, & ſolum eſſe principium determinationum hominis, quippequi intelligens præterea eſt, & aliud animo ſentit præſtantius rationis bonum, quod teneat, & conſectetur ſupra id, quod tantum eſt corporeum, & pertinet ad inferiorem appetitum. Sed enim mirum non eſt in hæc, atque alia abſurda incidiſſe, qui, ut ſupra animadvertimus, intelligentiam cum ſenſu confundens nihil aliud vidit in homine, niſi corpus, & corporis bonum.

XXII.

At hic quæſtio adhuc urgentior eſt, qui fiat ut homo intelligatur moraliter liber in electione boni rationis, quando ex adverſo magnum damnum puta mortis immineat (*a*). Quod quidem ſolet ab Incre-

(a) *Quomodo intelligi poſſit homo moraliter liber in electione boni rationis ex conſideratione debiti, quo obſtringitur adverſus Deum, etiam quando contra imminet mortis cauſſa.*

Incredulis vehementius torqueri, ut oſtendatur nullum eſſe imputationi locum, quando homo dimittat officium, ut ſibi ipſi conſulat, ac vitæ ſuæ; quippe tunc, inquiunt, non eſt conciliabilis cum amore ſui ipſius (qui tamen naturalis, ac neceſſarius eſt) ejus electio officii, quæ extremam homini perniciem adſerat. Sed enim hæc quibuſdam animadverſionibus explicamus. Et 1. quidem illud pro certo ponimus hominem nec eſſe, nec vivere tantum in ordine ad ſe ipſum, ſed maxime & eſſe, & vivere debere in ordine ad Deum, a quo habet, ut ſit, & vivat. Demonſtrat id naturalis ſtatus ſervitutis, in quo eſt creatura quævis reſpectu Creatoris ſui, cui proinde parere in omnibus debet, & quia dominus, & quia beneficus eſt. Hinc ſi ponatur ab illo ſtatutam fuiſſe legem, ad quam & ſe ipſum homo, & omnes actus ſuos deberet exigere, & quidlibet pati potius, quam eam violare, profecto naturalis juſtitiæ, ut & gratitudinis ſenſus hominem admonere deberet officii ſui. Approbatio, quam negare non poſſumus huic veritati, demonſtrat illam ad ipſius naturæ humanæ ordinem pertinere, neque adeo ex ſe pugnare cum vero, & juſto amore ſui. Si quid itaque in hoc ipſo aſperi animadvertitur, ac ſenſui repugnantis, illud quidem naturæ vitio tribuendum, quæ a proprio ordine deturbata eſt, non conſtitutioni naturæ, qua neceſſario ſe ſe ipſum homo diligere debeat, aut vitam ſuam ſupra legis officium, aut Deum. Hinc propterea ea tunc eſſe debet hominis cura, ut, quod inordinatum in natura, atque perverſum eſt, expugnet, non ut vitii cauſſa ordinem, quem videt eſſe, pervertat voluntate ſua. En itaque ordi-

natus

natus ſui ipſius amor, quem ratio ipſa ſervandum, ac retinendum docet; amor ſui ipſius in ordine ad Deum; amor, qui cum vitio quidem hominis pugnat, ſed qui nititur naturali principio, cujus veritatem, ac rectitudinem ſibi ipſi diſſimulare nequit homo, ita nempe ipſum ſe ſe diligere, ac regere debere, ſicut voluit, ac præſtituit Deus, a quo eſt, & cui ut domino tenetur obtemperare.

XXIII.

Conſtituimus II., ut pervincantur cupiditatis, aut inordinati amoris illecebræ, providentiſſimum etiam naturæ opificem ſenſum quemdam inſeruiſſe eidem, quo omnes in propriam felicitatem tendimus, nec tamen ipſam, ut ut nos ipſos torqueamus, habere in hac vita poſſumus. An non hic ſenſus adeo communis, & naturalis admonet hominem alterius ſtatus, in quo iſthæc ipſa felicitas locum habitura ſit, & quæ non ab alio expectanda ſit, niſi a Deo? Conjungatur hujuſmodi naturæ ſenſus cum idea, & perſuaſione immortalitatis animæ, quæ mundo ipſi coæva fuit, per omnes nationes ſparſa, quæ omni tempore obtinuit, & cujus homo ſenſum penitus abjicere nequit; & tunc intelligetur regulam, quam in ratione præſtituit Deus, aliter conſiderari non poſſe, quam ut viam quamdam ad felicitatem, quæcumque illa ſit, quam licet expectare ab ipſo Deo, ſiquidem munus ab ipſo datum minime deſugerimus. Neque enim putaverim quempiam exiſtimare poſſe inſe-

(a) *Quid Deus in natura, & ratione poſuerit, cujus intuitu homo adduceretur ad vincendas cupiditatis, ac perverſi amoris illecebras.*

inferiorem ſenſum a Deo præſtitutum tanquam regulam ad felicitatem, & non potius rationem, ejuſque principia, quæ novimus naturali lumine hominem ipſum regere debere, ut & inferiores omnes cupiditatis, aut appetitus cujuſque motus. Patet itaque ſub eo reſpectu cuſtodiam officii, ſeu regulæ habere rationem majoris boni, quam præferat ipſa temporalis vita, cujuſmodi felicitas eſt ad quam vita ipſa tendit, atque ordinatur, nec niſi a Deo ipſo exepectanda eſt in altero ſtatu; qui proinde eam nunc regulam dedit Deus, ut felicitatem adipiſceremur, cuſtodiam ſcilicet officii, ut tulerit ordo legis ſuæ, quam voluit cuilibet ſenſibili bono præferendam, atque adeo vitæ hominis ipſius; quodque proinde non modo æquum eſt homini, ut nempe Deum ſibi ipſi anteponat, ſed etiam ſub eo aſpectu ei apparere debet, atque eſſe majus bonum officium præſtare; quum ſecundum rationem ſit, & propriam utilitatem minus aliquod bonum dimittere majoris intuitu, ad quod ſentit ſe natura ordinatum. quodque non licet, niſi per legis obſervationem, ſperare ab ipſo Deo.

XXIV.

Poſtremo huc etiam revocanda eſt idea naturalis adeo, & conſtans Dei ut retributoris bonorum, ſic quoque malorum vindicis (*a*). Idea, quæ ſive ex natura ipſa, cui indita ſit, proxime deſcenderit, ſive ex ratione collecta fuerit, aut traditione a primis mortalium derivata, ſemper inter homines viguit, & quovis tempore exeruit vim ſuam ad

 bonorum

(a) *Quid ferat in hoc eodem capite idea naturalis Dei ut bonorum retributoris, ſic malorum vindicis.*

bonorum lenimen, & ad vindictam improborum. Nimirum hominibus cujuſcumque ætatis, conditionis, aut cultus, etſi diſſitis, disjunctiſque locorum intervallis, diſpari genere, diſſimili lingua, aliis alio more viventibus ſemper perſuaſum fuit Deum juſtum eſſe, & ſub Deo juſto male bonis eſſe non poſſe, nec malis bene, rurſus & exitum vitæ procul dubio minime æqualem juſto, injuſtoque futurum, multoque minus ſtatum, qui poſt mortem debet obtinere. Hinc ut bonis felicitatem & quidem omni genere, ac numero abſolutiſſimam contingere beatis in ſedibus docuerunt, ſic contra malis adverſa omnia, & inferorum ſupplicia fabulis quidem ſæpe adumbrata, ſed quæ veterem fidem, ac perſuaſionem referrent. *Num arbitraris*, ajebat ex communi ſenſu Xenophon memorab. Socrat. I. 4. 16., *Deos hominibus opinionem indituros fuiſſe, quod & beneficiis, & pœnis adficere poſſint, ſi non revera id poſſent, & homines perpetuo deceptos horum nihil unquam ſenſiſſe?* Paucis. Nulla unquam religio fuit, quæ idem aperte non docuerit, aut ſub diverſis ſymbolis, in altera vita homines præmia, aut pœnas manere, prout ordinem, & munus aſſignatum a Deo cuſtodiverint, aut non; & tamen genus humanum ſaltem in univerſum ſine aliqua religione nunquam fuit; quod quidem magno argumento eſt ſenſum hunc non adventitium eſſe, non falſum, ſed ex ipſius naturæ indole, ac humani generis conditione quodammodo profluere, neque adeo contemni poſſe, quin & ipſa naturæ lex de medio tollatur, atque in caſſum eat.

XXV.

En itaque quemadmodum ſe habeat in iis adjunctis, aliiſque utcumque graviſſimis caſibus ratio ipſa naturæ, & cauſam juſtæ determinationis homini exhibeat, ut ſub conſideratione majoris boni ipſius legis cuſtodiam præferre cuilibet ſenſibili bono debeat, atque etiam temporariæ vitæ ſuæ (*a*). I. Enim nobis exhibet bonum rationis, atque ordinis tanquam illud, ex quo præcipue hominis dignitas æſtimanda eſt: quod pro communibus negotiis valere poterit, ubi plerumque apud bonos honeſtas, virtus, integritas, atque fides præ quolibet turpi lucro laudata eſt. II. Idem bonum rationis, & ordinis nobis oſtendit tanquam legem quamdam a Deo præſtitutam ipſi naturæ, quam ſequi oporteat utpote communitam ſumma, quæ eſſe poſſit, auctoritate, cujuſmodi eſt, quæ in naturæ ipſius Conditore, ac Domino reſidet, cui & ex juſtitia, & grati animi titulo, omni modo, & quovis impendio parendum eſt. III. Tandem eam legem nobis proponit tanquam unam, & veram ad felicitatem viam, cujus ſenſum, ac præſentionem poſuit Deus in ipſa natura, & ad quam iſthæc ipſa temporaria vita tendit nutu ſuo, felicitatem, quæ ideo ut ultimus hominum finis haberi debeat, quam non liceat expectare niſi a Deo ſicut bonis propitio, qui ordinem præſtitutum ſervaverint, ita ſcelerum ultore adverſus eos,

(*a*) *Quomodo ex prædictis haberi poſſit etiam in jure naturæ cauſſa juſtæ determinationis, ut nempe homo quidvis ſuſtinere debeat, atque etiam mortem, potiuſquam legem violare.*

qui voluptatem, qui præſentis temporis vitam Deo ipſi prætulerint, ac futuræ felicitati ſuæ? Hæc tria ſimul conjuncta, ordo rationis, obligatio ejuſdem, quam præfixit Deus, ſanctio, quam lex naturalis habet adjunctam, ea ſunt, quæ etiam in mortis cauſſa hominem firmare debent, ſolo jure naturæ inſpecto, ut ejus cuſtodiam anteferat cuilibet alteri temporario bono, etiam mortalis vitæ. Si aliter ſibi agendum homo conſtituat, id non ex ulla naturæ neceſſitate eſt, ſed quia, ut antea dictum, vel rationem ipſam, ſenſumque naturæ non conſuluit, vel non ſatis firmiter intendit rationis ipſius judicium, ut teneret adverſus blanditias cupiditatis, quod præjudicatum erat, & ſub ea ratione conſideratum cauſſam habere poterat majoris boni, quod admonebat natura expectandum ab ipſomet Deo bonorum retributore, malorum vindice.

Atque hæc quidem ſunt, quæ in jure naturæ cauſſam dant imputationi, ſi quidem aliquid in eo ordine metus cujuſque cauſſa turbatum fuerit. Nimirum naturæ vox eſt Deum, & ejus ordinem omnibus præferendum eſſe. Si ſecus agatur quacumque de cauſſa, evidenter ratio naturæ pervertitur, qua homo ſe ipſum conſiderare debet in ordine ad Deum, eamque felicitatem, cujus idem ipſe ſenſum, atque inclinationem habet in ipſa natura. Hæc regula eſt pro quovis tempore, & caſu præſtituta, qua homo regere ſe ipſum debeat; regula, quæ cum juſto, atque ordinato ſui ipſius, ideſt propriæ felicitatis amore conciliari poteſt, & vero conciliatur, ubi res ſub eo aſpectu conſideretur, quo inſpicienda eſt. Atque in hoc porro ſe ſe explicat hominis libertas; in

eo imputationis cauſſa, quæ obtinet in jure naturæ, ubi quis contra Deum deliquerit. Quod ſi id grave nimium videtur, tum in eo naturæ perverſio agnoſcenda eſt, quæ a perfecto ſui ad Deum ordine excidit, tum remedium, & vis a Deo quærenda, quo ratio, & voluntas firmentur in officio ſuo. Illud vero præ cæteris in hac cauſſa tenendum, quod toties docuit D. Thomas, eſtque naturæ ipſi conſonum, ut & ordini divinæ providentiæ, *Deum nemini deficere in neceſſariis, niſi ex parte ejus impediatur*. Interim ex hoc ipſo naturæ ordine, quem ſentimus adhuc, & ratione cognoſcimus, patet connexio, atque analogia, quæ vera inter naturalem religionem eſt, & revelatam, quæ poſtea multo clarius, & apertius ſanxit, quæ ratio ipſa docet facienda, aut ſuſtinenda eſſe Dei, atque legis ipſius cauſſa. Nempe, ut ajebat Tertullianus in lib. de reſurrect. carnis cap. 12. *Deus præmiſit naturam magiſtram ſubmiſſurus & prophetiam*, ideſt revelationem, *quo facilius credas prophetiæ diſcipulus naturæ*.

XXVI.

Huc porro redit, ut paucis omnia complectamur, ſumma eorum, quæ quidem ad rationem, & cauſſam imputationis pertinent (*a*). Homo quilibet prout ex propria voluntate, & libera electione aliquid agit, vere auctor eſt, & dominus ſuæ actionis; neque enim aliter concipitur ipſum actionem, ut homo eſt, habere in ſui poteſtate, niſi quia ipſam producere voluit, & porro produxit cum fa-

(*a*) *Concluſio eorum, quæ de imputabilitate dicta ſunt.*

cultate ſibi temperandi ab actu, aut quid aliud volendi, aut agendi etiam contrarium. Ergo hoc ſenſu actio ſic facta eidem aſſeri poteſt, ſeu imputari tanquam actio ſua, ideſt ut opus, quod ipſe fecit, quia voluit, & voluit ex electione. En imputabilitas actionis, ſeu imputatio phyſica, qua eidem tribuitur actio tanquam quid ſuum ejus, quod ab ipſo ut auctore, ac domino profectum eſt.

XXVII.

Jamvero eidem homini, quatenus agit ut homo eſt, & libere, lex a Deo eſt præſtituta, quam poſſit, ac debeat ſervare in ſuis operationibus, ita ut ſi ab illa inter agendum deficiat voluntarie, & libere, actio eidem tribuatur tanquam auctori, & domino ejuſdem, prout illa ſe habuerit in comparatione ad legem, quæ ipſi a Deo dicta eſt. Hoc enim præſtat natura legis, indeque pendentis obligationis, ut actio conſequens prout ad legem fuit, vel contra, eadem agenti tribuatur, adeoque cum illis adjunctis, quæ eidem competunt vi ordinis moralis, quem debuit agens intueri, atque ſervare in determinationibus, atque actionibus ſuis. Atqui actioni cuilibet eo modo elicitæ in ordine morali competit, quod ſit bona, vel mala, prout legi uſquequaque congruit, vel non. Ergo tribuere, ſeu imputare homini actionem ſuam in ordine morali nihil erit aliud, niſi eidem aſſerere bonitatem, vel malitiam ſuæ actionis, ſeu, quod idem eſt, eumdem ex natura, & qualitate morali ſuæ actionis laudare, aut culpare; namque ex bono morali laus naſcitur, & ex malo culpa, prout

conci

(*a*) *Applicatio eorumdem ad imputationem moralem.*

concipitur illum functum fuiſſe, aut non functum legis officio, quo tenebatur. Id quod omne ſemper ſubauditur pro ratione, & gradu, quo in datum actum influxit voluntate, atque electione ſua, uti ſupra explicatum eſt. Ex quibus omnibus intelligitur, cur homo, qui ſervat legem, dicatur voluntatis bonæ, & quantum ad actum appelletur juſtus, quia nimirum bonum eſt, & juſtum ſe ſe attemperare legi, ſeu regulæ, quam præſtituit Deus, ex adverſo malæ voluntatis, atque injuſtus nominetur, qui deſcivit ab ordine, quemadmodum malus artifex dicitur, qui a regulis artis ſuæ recedit. Regula hominis, quatenus homo, eſt recta ratio, quam præſtituit eidem Deus; ad quam ut ſe ſe habet, quod ad ipſius actionem pertinet, dicitur in moribus bonus, vel malus homo. Quod idem pro rerum ordine, & natura ad alias omnes leges extenditur, quibus homo obligari poſſit, & vere teneatur.

XXVIII.

Ex iis porro quædam principia ducuntur, quæ late patent in re morali, quæque nos ſupra identidem innuimus. Primo enim certum eſt aliquid fieri ab homine poſſe quod ex ſe injuſtum ſit, & legi repugnans. Num autem ex eo continuo dicetur ipſe injuſtus? Nimirum antea diſpiciendum eſt, num in illud ſua voluntate, atque electione vere influxerit, an non. Si primum, injuſtus habebitur pro ratione, & gradu influxus ſui in ejuſmodi actum, quem noverat, aut poterat noſſe legi diffor-

 mem,

(*a*) *An ex quovis actu injuſto quis in moribus dici injuſtus debeat.*

mem, ſin minus non habebitur injuſtus ex eo, quod ipſi involuntarium penitus, nulloque modo ſub electione fuit. Atque has quidem actiones dicere ſolent ratione ſui, ſeu *materialiter* malas ob oppoſitionem, quam ex ſe habent cum lege, quaſque non licuiſſet a ſciente fieri, ſed non *formaliter*, ideſt ex parte agentis, quatenus ipſi ſint ad culpam imputabiles; unde & a D. Thoma dicuntur *quaſi extra genus actuum humanorum moralium* ex parte ſcilicet agentis, licet adhuc in genere morali quodammodo concludantur ex parte objecti, aut adjunctorum, quæ ex ſe adverſari legi concipiuntur. Videatur de hac re idem S. Doctor 2. 2. q. 5. ar. 2.

XXIX.

Rurſus, ut ad aliud principium progrediamur, erit ne continuo habendus ut juſtus, qui in aliquo actu legem implevit? Nimirum vel de habitu loquimur, quo quis juſtus dicatur, ac ſit; & tunc non ſufficit in uno, aut altero actu ſe docilem legi præſtare, ſeu juſtum eſſe, ſed requiritur integra, atque abſoluta legis obſervantia, quippe eo ſenſu

Juſtitia alias virtutes continet omnes,
Et quiſquis juſtus, vir bonus ille fuit.

At ſi accipiatur tantum juſtitia comparate ad illum actum, quem ad legem exercuit, juſtus in illo eſſe & dici poteſt quia jus non offendit, immo eidem potius ſe conformavit, cæteris poſitis, quæ ad integritatem moralem ejus actus requiruntur; nimirum juſtus habebitur ſi non habitu, ſaltem quoad illum actum, quem exercuit.

XXX.

(a) *Utrum & quomodo quis dici juſtus poſſit ex habitu, vel ex actu, quem facit.*

XXX.

Sed num ad conſtituendum actum, vel habitum juſtitiæ, aut injuſtitiæ eadem in homine requirentur? Videlicet quoad actum quid amplius ad bonum exigitur, quam ad malum. Bonum enim ex integra cauſſa; proinde ut quis bonum actum, ſeu juſtum efficiat, neceſſe eſt ut illum tanquam talem aliquo modo noſcat, & velit, alioquin non legis cauſſa, neque ex ejus ordine erit quidquid operatus eſt; unde bonitas, & juſtitia potiſſimum æſtimatur voluntate, qua quis voluit legem ſervare, ſeu actum bonum facere, & eo ſenſu dicitur lib. 3. Ethic. cap. 4 ad actum virtutis, ſeu bonum opus requiri, ut quis bonum operetur *ſciens*, *& eligens*. At ad malum ſufficit, ut illud potuerit noſſe, tametſi actu non cognoverit, aut elegerit illud, quia ſatis eſt aliquid agere, aut velle, quod ex ſe habeat rationem mali, ut cenſeatur quis male egiſſe, tametſi actu nulla improbitatis rei idea animum ſubierit, quia nempe malum ex quocumque defectu, modo hic defectus prævideri aliqua ratione potuerit, aut præcaveri, ex quo fiat imputabilis.

Hinc toties dicitur ab Auguſtino peccatum voluntarium eſſe poſſe, adeoque imputabile *voluntate facti*, licet non *voluntate peccati*; immo plerumque peccatum non eadem ratione eſt voluntarium, qua factum, ſeu opus ipſum, quod fit, quia illud nonniſi indirecte plerumque voluntarium eſt. Quod autem ad habitum pertinet virtutis humanæ acquiſitæ, quoniam

(a) *Ut quid amplius ad bonum requiratur, quam ad malum, ut agenti tribuitur.*

niam ille ex repetitis actibus inductus eſt, abſonum, ut unico contrario actu tollatur, qui nimirum poteſt non ex amore injuſtitiæ evenire, ſed ex aliqua paſſione, puta iræ, vel concupiſcentiæ. Tunc enim proprie in moralibus quis dicitur injuſtus, quum injuſtitia procedit ab habitu, quia unicuique habenti aliquem habitum eſt ſecundum ſe acceptum, quod convenit illi habitui. Facere ergo injuſtum ex intentione, & electione eſt proprium injuſti, ſecundum quod injuſtus dicitur, qui habet injuſtitiæ habitum, ſed facere injuſtum præter intentionem, vel ex paſſione poteſt aliquis abſque habitu injuſtitiæ. S. Thom. 2. 2. qu. 59. ar. 2. Itaque in hoc capite poteſt intelligi actus aliquis injuſtus, quin perimat habitum juſtitiæ contractum, ut virtus humana moralis eſt, niſi forte adeo ſit intenſus, ut omnino inclinationem tollat ad virtutem jam comparatam, inducatque ſtatim propenſionem oppoſitam. Haud aliter poteſt quis habitu injuſtus eſſe, & tamen aliquem virtutis actum exercere, quin ſimul dicatur illum actum ex habitu virtutis ejuſdem procedere, quemadmodum avarus poteſt aliquando actum eleemoſynæ, vel liberalitatis exercere, quin tamen ſequatur eum habere virtutem ipſam miſericordiæ, aut liberalitatis. Atque hæc quidem de virtutibus humanis moralibus, & quæ acquiſitæ dicuntur. Namque ſi de infuſa charitate, aut juſtitia adverſus Deum ſermo ſit, certum eſt eas tolli per actum contrarium, qui earumdem naturæ, ac fini repugnet, qua de re agere non eſt præſentis inſtituti. Interim ex prædictis patet, quemadmodum præjacta doctrina de imputatione ad plura pertin-
gere

gere poſſit, quæ moralis inſtitutionis ſunt, & ad æſtimandam hominis juſtitiam, vel injuſtitiam pertinent.

XXXI.

Unum in hac re ſupereſt explicandum, num æqualiter bonus, aut malus habendus ſit, ſeu juſtus, aut injuſtus, quod ad actum attinet, qui volens quid efficere, atque in id intendens animo, ut poteſt, tamen non efficit poteſtatis, vel occaſionis defectu; an alter, qui idem volens implet propoſitum ſuum ipſo operis effectu (*a*); quæ eadem quæſtio eſt, de qua toties agi ſolet, num opus externum addat quidquam bonitatis, vel malitiæ actui interiori, ſeu voluntatis, quo quis quidpiam efficere determinavit; id enim eo ſpectat, ut dijudicetur, utrum magis injuſtus habendus, qui propoſitum ſuum actu implevit, an ille, qui idem conatus votum implere non potuit. Qua in re quædam præſtituenda ſunt. Et 1. quidem eſſentiale, ut ajunt, bonum, vel malum in moralibus, ut imputatur agenti, maxime a voluntate exiſtere, quo ſenſu dicitur opus ipſum malum a mala voluntate eſſe, bonum a bona, prout ſcilicet illa deliberate agens ſe ſe voluit ordini præſtituto attemperare, vel non. Quum igitur ejuſmodi bonum, vel malum, quod in quolibet actu concipitur, ut agenti imputabile in origine, & cauſa pendeat ab agentis voluntate, conſequens fit, quod attinet ad ejus imputationem, univerſum ejuſmodi negotium nonniſi

(*a*) *An quoad eſſentiam actus, ut imputabilis eſt, eodem modo ſe habeat, qui efficaciter illum voluit efficere, an qui revera opus implevit.*

nonniſi ex ipſiuſmet voluntatis intentione æſtimandum eſſe. Ex quo proinde ſequitur ubi æqualiter affecta in diverſis hominibus, aut in eodem, ſed diverſo tempore, comparate ad rem eamdem fuerit voluntas, cæteris paribus, idem bonum, vel malum in moralibus exiſtere eadem plane ratione, & gradu ea in hypotheſi agenti imputabile.

XXXII.

Præſtituo II. ſi alter actum externum implevit, quem alius, vel idem diverſo tempore præſtare non potuit, ubi æqualis, quod ad conatum, & rem attinet, fuerit utriuſque voluntas, comparate ad eum, qui opus implere non potuit, defectum ejuſmodi prorſus eidem involuntarium eſſe; quippe idem voluit, eodem, ut ponitur, niſu, & ſi non præſtitit, id præter, & contra omnem voluntatis intentionem fuit; quippe ſibi non defuit, ut id ipſum, quoad poſſet, efficeret (a). Atqui quod omnino involuntarium eſt nihil detrahit de eo, quod voluntarium fuit, prout quidquam agere decreverat, & pari contentione, & niſu laboraverat, ut illud idem ad exitum perduceret. Ergo quod attinet ad actum eſſentialem boni, vel mali, prout a voluntate eſt, uterque æqualis fuit, adeoque idem bonum, vel malum utrique, quod ſpectat ad actum voluntatis, habetur imputabile.

XXXIII.

Ex his porro hæc demonſtratio exiſtit. Bonum, vel malum morale prout imputatur agenti præcipue quoad eſſentiam ipſius ex voluntatis habitu, propoſito, niſu æſtimatur. Eadem utriuſque voluntas, ut

poni

(a) *Ut poſito efficaci agendi propoſito, & niſu defectus operis habeatur homini involuntarius.*

ponitur, & ex ſe æqualiter efficax, tam ejus, qui actum externum implevit, quam illius, qui non implevit, quia in iſto defectus ejuſmodi omnino involuntarius fuit, & quod involuntarium eſt nihil detrahit de actus eſſentia, ut fuit, vel eſt a voluntate (*a*). Ergo quod pertinet ad eſſentialem æſtimationem boni, vel mali, ut agenti tribuitur, par in utroque ratio & cauſſa eſt. Hinc eſſentialiter idem bonum, vel malum utrique tribuendum, & quoad modum, & gradus eadem plane ratione, ſemel ac uterque quoad ipſum fuit æqualiter conatus eſt, ut idem bonum, vel malum opere ipſo præſtarent. Ex quo illud ſequitur, quod communiter dici conſuevit, actum externum per ſe nihil addere bonitatis, vel malitiæ interiori actui voluntatis, ubi ea perfecta fuerit, & ex involuntario tantum defectu, aut cauſſa acciderit actum externum non impleri.

Nititur hæc doctrina communi ſenſui, quo toties receptum eſt, ut dicatur voluntatem pro facto reputari, affectum eſſe, qui pretium rebus imponit, ex animo tum bene, tum male facta æſtimari præcipue oportere; quia nempe rei exitus ſæpe a voluntate non pendet. Hinc eſt, quod alibi diximus, ex ipſo jure civili in maleficiis voluntatem ſpectari, non exitum, quia utcumque efficax ex ſe voluntas fuerit, attamen effectus aliquando improviſa aliqua cauſſa poteſt impediri; quo ſenſu ajebat etiam Claudius Saturninus dig. lib. 48. tit. 16. l. 16. *legem non minus eum, qui occidendi hominis cauſſa cum telo fuerit, quam eum, qui occiderit, punire*. Quod idem pari in cauſſa, ac ratione

(*a*) *Hinc ut per ſe nihil detrahat boni, vel mali interiori propoſito efficaci defectus involuntarius externi operis.*

ratione de boni alicujus faciendi voluntate intelligendum eſt. Deus porro eumdem ordinem tam in bono, quam in malo etiam probavit. Efficax Abrahæ voluntas immolandi filium pro re impleta a Deo habita eſt: *Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi &c.* Geneſ. 22 Ex adverſo, ut obſervat Auguſtinus lib. 16. de civ Dei c. 4. enormis Nembrodi ſuperbia, qua turrim uſque ad Cœlum excitare tentaverat, perinde punita eſt, ac ſi res ipſa eveniſſet; unde concludit *merito malum puniri affectum, etiam cui non ſuccedit effectus*. Chriſtus ipſe idem docuit conceptis verbis Matth. 5. quum ait deſiderium efficax quaſi cum facto reputans: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, innuens videlicet quoad naturam, & vim criminis perinde ſe habere efficacem voluntatis actum, ſeu propoſitum, ac opus ipſum. Atque ex eodem plane principio, ut hoc quoque addam, olim Tertullianus demonſtrabat, etiam antequam idola fuiſſent inventa, aut invecta, rude illud negotium humanæ calamitatis, idololatriæ peccatum committi potuiſſe, *non in iſto nomine*, inquit, quod de idolis aſſumtum eſt, ſed *in iſto opere*, ideſt in ſolo voluntatis propoſito iſtiuſmodi aliquid adorandi. *Nam & hodie*, ſubdit, *extra templum, & ſine idolo agi poteſt*, lib. de idololatria. Et vero an putandum apud Græcos non fuiſſe idololatriam mente conceptam, antequam Prometheus omnium primus, ut refert Iſidorus lib. 8. Etym. cap. 11., ſimulacra hominum de luto finxerit? An exiſtimandum ejuſdem idololatriæ piaculo implicatos non antea fuiſſe Iſraelitas, quam certas Deorum figuras ſibi feciſſent,

ciſſent, & ſuſcepiſſent tabernaculum Moloch, & Rempham, aut Chijun, ſidus Dei ſui? Idem de aliis peccatis dicatur, quæ ſola voluntate perfici poſſunt, & eadem plane ratione, ac ſi revera fuiſſent opere completa, quod ad naturam, & ſubſtantiam criminis eſt, & cauſſam imputationis, ubi defectus operis exterioris nonniſi ex involuntaria cauſſa proceſſerit.

XXXIV.

At ſi ita eſt, dixerit aliquis, quid erit de externo opere laborandum? Nimirum id imprudenter dicitur, ſive de bono, ſive de malo agatur. I. Enim quod ad bonum attinet, externum opus aliquando in præcepto eſt, & aliunde nequit haberi ut efficax voluntas, quæ quum poteſt, in opus ipſum non erumpit. Ergo quoad bonum jam falſa, & contra hypotheſim objectio eſt. Quod ſpectat ad malum, etiam opus ipſum exterius cavetur lege, quæ non ſolum prohibet male agendi voluntatem, ſed etiam ipſum opus. Hinc ex ea cauſſa ſingularis eſt etiam ratio, cur ab opere externo abſtinendum ſit. Quo ex capite damnatur tum perverſa Phariſæorum cogitandi ratio, qui de externis tantum legis officiis angebantur nihil de interioribus actibus ſolliciti, tum Abaelardi error, qui contendebat inutilia prorſus eſſe ad ſalutem conſequendam opera externa, etiam ut a voluntate procedunt. II. Ex opere externo multa ſæpe fluunt, quæ augent rei malitiam, vel bonitatem ex adjunctis

(*a*) *Explicatur quemadmodum ex variis adjunctis poſſit opus externum quid addere voluntatis propoſito.*

adjunctis ejuſmodi actum afficientibus, puta ex ſcandalo, vel ex aliorum ad bonum incitamento, rurſus aliquando quia quod exterius peractum eſt inducit obligationem reſtituendi, vel ſarciendi damnum illatum, quod ex ſolo animi interiore propoſito, re infecta, non ſequitur. III. Quia ex Dei, vel hominum inſtitutione quandoque operi externo quædam adjuncta, atque attributa ſunt, quæ interiori non adjacent. Res conſpicua eſt e. gr. in Sacramentis, aliiſve rebus, quæ maxime ad ſocietatem pertinent, rurſus ex operibus externis quædam bona, vel mala in alios effluunt, quæ ex animo tantum non habentur. Poſtremo, ut alia mittam, vi actus externi aliquando fit, ut interior bonus, vel malus repetatur, aut ut diutius voluntas perduret in bono, vel malo, quod re completur, ac tandem aliquando ut vehementius exardeſcat in illud ipſum, quod fit; quædam enim opera ut apta ſunt delectationem parere in ſui exercitio, aut moleſtiam, vel difficultatem, ſolent etiam acrius animum incitare, ut quod cœptum eſt, perficiatur, aliquando vero remittere. Quibus de cauſſis probe intelligitur ex adjunctis, ex ratione præcepti, aliiſque ſimilibus ſaltem per accidens, ut loquuntur, augeri poſſe bonitatem, vel malitiam actus interioris; quo ſenſu de malo ſermonem habens S. Auguſtinus lib. 13. de Trinit. cap. 5. ſcripſit eum, qui jam miſer eſt ex mala, quam habet voluntate, miſeriorem adhuc fieri poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis impletur, nimirum eorum cauſſa, quæ ſuperius diximus inter agendum poſſe voluntati accidere, ejuſdemque propoſito; qua de re planum eſt inde majoris,
vel

vel minoris criminis, aut boni imputationem agenti fieri poſſe.

XXXIV.

Sed quæſierit hic fortaſſe adhuc quiſpiam, cur ſaltem in Decalogo quædam ita prohibita habeantur, ut non ſolum exterius opus, ſed etiam interior eorumdem voluntas caveatur; ſicut accidit in præcepto de non concupiſcendo, & non mæcando, atque in altero de non furando, & non concupiſcenda re aliena; quum tamen in homicidio e. g. opus ipſum prohibeatur tantum, nihil autem cautum ſit circa occidendi voluntatem. Nimirum ſi ſola voluntas conſtituit, quod eſſentiale dicitur in peccato, uti ſupra docuimus, ut quid hæc ubique, & ſemper, ſaltem expreſſe ut in aliis, non prohibetur? Sed enim facilis reſponſio eſt. In omni, & quovis opere voluntas eſt, quæ conſtituit peccatum, ſaltem ut eſt agenti imputabile, ſeu habet rationem culpæ. At non ſemper voluntas exprimitur, quum opus ipſum prohibetur, quia poſita rei prohibitione ſubauditur ſemper vetita quoque ejuſdem rei voluntas, ſeu cupiditas; quod enim non licet facere ob repugnantiam, quam habet cum lege, profecto nec etiam velle licet, niſi lex inducatur ſibi ipſi repugnans in hominum directione, quum a voluntate opus ipſum, ſeu actio pendeat, ut ſit, ſaltem quatenus humana eſt. Verumtamen in quibuſdam aliquando utrumque aperte prohibetur, ſcilicet opus ipſum, & voluntas operis, quod non ita expreſſe in aliis fit, non quia utrumque vetitum non habeatur, ſed ob ſpecialem cauſſam, quæ in quibuſdam actibus interioribus eſt, aut eſſe poteſt comparate ad

certam rem, qua homines maxime capi ſolent; id quod non ſolet eſſe aliis quibuſdam objectis, ſeu actibus ſola mente perceptis commune. Sic homicidium, ut ſiſtamus in propoſito exemplo, ex ſe non habet rationem alicujus boni; unde ratione ſui non poteſt repræſentari ut quid appetendum; ſed potius ut aliquid horribile, quod omnino fugiendum eſt. Contra adulterium habet ſpeciem alicujus boni, ſcilicet delectabilis, ut & furtum boni utilis. Quum autem quod ex ſe exhibet rationem alicujus boni, pro ſui natura poſſit ingerere homini cauſſam appetitionis, inde factum eſt, ut ſingulari ejuſmodi cauſſa, quo homines magis a vitioſa talis boni ſpecie averterentur, qua rapi ad perniciem poterant, providentiſſimo conſilio non ſolum furti, & adulterii opus prohibitum lege fuerit, ſed etiam eorumdem concupiſcentia; quod quum locum per ſe in homicidio non haberet, ideo in hac parte homicidii appetitio expreſſe prohibita non eſt S. Thomas 2. 2. q. 22. ar. 6. Cæterum ſi ex ſingulari cauſſa & hoc ipſum concupiſcatur, adhuc peccatum erit, quod ad rem ſpectat, & vim imputationis, quia hoc ipſo quod prohibetur actus exercitium, ejus quoque exercendi voluntas vetita habetur, ut per ſe patet. Et quidem de imputatione ſatis.

(a) *Cur in aliquibus ſaltem in decalogo aperte prohibeatur voluntas operis, in aliis tantum opus ipſum exprimatur.*

PARS

PARS V.

De merito, vel demerito Actuum Humanorum moralium.

I.

MERITI, vel demeriti nomine hic generatim intelligo relationem quamdam alterius ad alterum ex dati actus natura, & conditione exiſtentem. Dico relationem alterius ad alterum, quia idea meriti, vel demeriti vi conceptus ſui omnino relativa eſt; neque enim quiſpiam proprie dicitur mereri, vel demereri apud ſe ipſum, quod a communi ſenſu alienum eſt. Addo alterius ad alterum, quia quidquid dicitur de merito, vel demerito, ut ex actu eſt, illud non intelligitur, niſi prout in agentem refluit; neque enim actus abſtracto modo accipitur, prout ex ſe intelligitur aptus eſſe ad producendam rationem aliquam meriti, vel demeriti, ſed ut percipitur ab agente ipſo provenire, atque ea de cauſſa quidquam in ipſo efficere, aut producere poſſe ex reſpectu ipſius actionis, quæ ad alterum eſt, eſtque veluti ratio, & cauſſa, cur quis dicatur apud alteram perſonam mereri, vel demereri. Tandem addo eam relationem alterius ad alterum ex dati actus natura, & conditione exiſtere, tum ut intelligatur relationem eam meriti arbitrariam non eſſe, ſed adjacere actioni, prout fert ipſius ad alterum natura, & conditio, tum ut

(a) *Quid meritum, vel demeritum generatim.*

ut ſignificetur hic fere de nullo alio merito, vel demerito agi, niſi quod ex actionibus eſt, adeoque dici conſuevit meritum perſonæ ipſius. Res ex dicendis adhuc clarius patebit.

II.

Eſt profecto hominis ad Deum relatio non ſolum naturalis, & phyſica, qualis eſt inter effectum, & cauſſam, inter res alias omnes, & Deum, quæ hoc ipſo, quod ab illo creatæ ſunt, nutu ſuo, & inclinatione naturæ, quæque pro ſui modo, & ordine, ad ipſum referuntur, quo ſenſu dictum eſt omnia propter ſemetipſum operatum eſſe Deum Prov. 16., & eumdem omnia convertiſſe ad amorem ſui, quemadmodum ajebat Auctor librorum de divinis nominibus, de quo apud D. Thomam 1. 2. q. 109. ar. 3.; ſed præterea relatio quædam eſt ipſum inter, & Deum conſtituta, quam *rationis* dixero, & *ordinis*, eſtque illa, quæ habetur per legem (a). Cætera enim, quæ ratione, & voluntate, & per conſequens ſe ſe determinandi facultate carent, non alia ratione aguntur in Deum tanquam in principium rerum omnium, & finem, niſi ex impreſſione quadam naturæ, cæterum ipſa ſe non agunt, aut movent in eum ſub ratione finis cognitum ut finem; hinc pro ipſis nulla proprie lex eſt conſtituta, quam intueantur, & ex cujus ordine ipſa ſe ſe moveant in Deum. At ex adverſo homini, qui cognitione pollet, ſe ſeque movendi, ac libere determinandi facultate gaudet, lex eſt præſtituta, qua non quidem naturæ impetu feratur in Deum, ſed ipſe ſe ſe maxime in eumdem moveat

(a) *Relatio hominis ad Deum per legem.*

veat voluntate. Deo jus competebat hanc legem homini conſtituendi, quippe qui Creator, & Dominus eſt, & hoc ipſo auctoritatem habet creaturam intelligentem adſtringendi, ut non aliter ſe ſe ipſam agat, ac moveat, quam ipſe præſtituit, nec in aliud, niſi in ipſum tanquam in ultimum finem, nec alia ratione præter eam, quam idem ipſe notavit. Ex hoc autem ſummo jure Dei naſcitur in creatura obligatio ſe ſe attemperandi ordini præſtituto, quippequæ capax eſt & ejus cognoſcendi juris, & ex ſua parte reſpondentis obligationis. Multa dicta ſunt de ſummo Dei in creaturas imperio, ſed omnia ferme revocantur ad hanc naturalem, ac rationabilem hominis, ut inquiunt, *dependentiam* a Creatore, ac Domino ſuo. Vid. Barbeyr. adnot. 2. ad § 12. cap. 6. lib. 1. Puſend. de jur. Nat. & Gent., & ad §. 5. lib. 1. cap. 2. de officio hominis, & civis.

III.

Poſita ea relatione hominis ad Deum per legem ab ipſo conſtitutam, quæ nihil eſt aliud niſi ordo quidam hominis ad Deum eidem præmonſtratus, ut rationalis eſt, jam ſtatim intelligitur alia ejuſdem, quæ eſſe poteſt, particularis relatio comparate ad Deum per actus ſuos, prout ſcilicet inter agendum ſe ſe attemperat ordini præſtituto, vel non; neque enim lex homini data eſt, tanquam ordo quidam ad Deum, niſi ut ſe ſe per legem moveret ad ipſum ratione, & voluntate ſua. Creatura autem rationalis non intelligitur ſe ſe in aliquid movere, niſi per operationes ſuas, qua talis eſt, ideſt voluntarias. Ut ergo operationes ſuæ ſe ſe habebunt ad

(a) *Relatio hominis ad Deum peculiaris per actus.*

ad legem, idem ipſe ſe ſe habebit ad Deum pro earumdem natura, & ordine, atque hinc proinde relatio hominis ad Deum ſingularis prout tulerit actionum ſuarum ad legem comparata natura, ſeu, quod idem eſt, prout illæ ſe ſe habebunt in ordine ad Deum.

IV.

Jam vero ſuperius dictum eſt prout ſe ſe habuerint actiones ad legem, eaſdem bonas eſſe, vel malas in eo ordine, quo ad legem ſunt, ſcilicet morali; ex quo efficitur, ut homo, qui eaſdem voluntarie, & libere elicuit, bonus, vel malus etiam moraliter dicatur, prout tulerit actionum ſuarum indoles, & natura. Quum autem lex nihil ſit aliud, niſi ordo quidam præſtitutus a Deo hominis ad ſe ipſum, eo ipſo quod homo bonus, vel malus eſt comparate ad ordinem conſtitutum, idem ipſe bonus, vel malus habebitur comparate ad Deum, ut poſtulaverit ejuſdem actus natura. Hinc ſingularis relatio, ſeu reſpectus hominis ad Deum, qui ex ordine legis deſcendit, & ex natura actuum per comparationem ad ipſam, ut ſcilicet habeatur bonus, vel malus a Deo, ſeu apud Deum, prout tulerit actus ſpecies, ſeu ratio, qui ad ipſum fuit ſecundum legem, aut non.

Dico *quantum eſt ex actus natura*. Nam fieri poteſt, ut agens homo in alio ſit bonus, in alio malus, puta quoad aliquem actum bene ſe habeat, quoad alium male, vel quoad aliquod opus bonus, ut

(a) *Ut ſe habet actus ad Deum, ſeu bonus eſt, vel malus, ita ſe habet etiam homo, quantum eſt ex natura actus.*

ut hic & nunc illud facit, habeatur, malus autem penes reatum; quo in caſu homo ſecundum complexum dici bonus non poterit; at interim bonus dicetur ratione ejus actus, ſeu comparate ad illum actum, quem exeruit ad legis ordinem, quemadmodum malus reſpectu reatus, aut alterius actionis, in qua a lege deſciverit; neque enim neceſſe eſt ex. gr. eum, qui in peccato eſt, ſemper actu peccare, aut ex principio agere, unde peccator eſt: prævalet quippe aliquando bonum rationis, ſeu naturæ, quod ab homine tolli non poteſt, quin ab eo ratio ipſa excludatur; ex quo ſcilicet aliquid honeſti, ſeu moralis boni efficere poteſt, quin ſemper in omnibus perverſam inclinationem ſequatur, aut agat ex ratione, & cauſſa, qua ipſius voluntas corrupta eſt. Id demonſtravit inter alios Daniel Huetius Origenianorum lib 2. quæſt. 7. num. 9., ac præſertim ex Auguſtini ſententia, qui in lib. de ſpiritu, & litera paſſim agnovit quædam impiorum, nec Deum verum veraciter, juſteque colentium facta, quæ ſecundum juſtitiæ regulam non ſolum vituperare non poſſumus, verum etiam merito, recteque laudamus &c., quia non uſque adeo terrenorum affectuum labes animæ humanæ incubuit, ut non impreſſa ſuperſint imaginis Dei veſtigia, unde præcepta aliqua legis in ipſa etiam impietate exequi, vel ſapere queat; quo ſenſu idem Auguſtinus ſubdit eodem libro cap. 28 *Nam & ipſi Judæi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis & ſentit, & facit*; quamquam iſtud ipſum non ſine *ſpeciali adjutorio Dei* eveniſſe putandum ſit, quemadmodum Gregorius

Ariminenſis etiam ex Auguſtino probavit in 2. ſent. diſt. 26. q. 1. ar. 3., atque hoc ipſum contigiſſe in obſtetricibus Ægyptiis oſtendit. Scilicet eo recidit rei ſumma. Homo aliquando bonus dici poteſt ratione alicujus actus, qui non eſt quoad omnia, quia in illo, & per illum bene ſe geſſit, & in ordine ad legem, malus quoad alia, in quibus a lege deſcivit. Eo ipſo, quod dicitur in hoc, aut illo bene ſe habuiſſe, vel male, ſequitur quantum eſt ex ipſius actus natura, eumdem ejus reſpectu bonum dici poſſe, vel malum; quod ſequitur ex ipſa imputationis cauſſa, qua dicitur ipſum bene tunc ſe geſſiſſe, vel male. Id innuiſſe etiam viſus eſt D Thomas 1. 2. q. 21. ar. 4. ad 3. quando ait omnem actum hominis bonum, vel malum habere rationem meriti, vel demeriti apud Deum (quod qua ratione contingat infra explicabimus), *quantum*, inquit, *eſt ex ipſa ratione actus;* namque quoad perſonam quædam alia requiri poſſunt, ut iſtud ipſum, quod ex ratione actus eſt, ipſi adſcribatur ad meriti, vel demeriti effectum. Nos autem non agimus hic niſi de merito, vel demerito, ut in agentem refluere poſſe intelligitur ex ipſa actus natura, quod primo eo ſpectat, ut hinc homo dicatur bonus, vel malus ex actu ſuo, prout ſcilicet bene, vel male egit in ordine ad legem. Rem declaremus exemplo. Ut ſe habet actus voluntarie, & libere factus ad legem, ad eamdem ipſam ſe ſe habet homo, ut agens fuit. Actus bonus, vel malus extitit, prout legi conformis fuit, vel non; hinc homo bonus, vel malus fuit ex eo actu comparate ad legem, prout fuit bonus, vel malus actus, quem ipſe exeruit, ad legis ordinem

nem comparatus. Ex quo intelligitur conditionem, naturam, indolem, ita dixero, actus ipſius in agentem refluere, indeque ipſum dici bonum, vel malum, prout tulit actus ipſius natura, quia homo non dicitur ſaltem in ordine morali bonus, vel malus, niſi ex actibus ſuis, licet ex aliis capitibus dici poſſit malus, quia eſt ex. gr. in alicujus peccati reatu &c.; ſed hoc nihil officit, quominus inſpecta ſola natura, & ratione actus, quem elicuit, bonus ex. gr. eſſe, & dici queat, quando ille exactus ad legem fuit, quod idem ſonat, ac tunc bonum voluiſſe, bene ſe geſſiſſe, cuſtodiviſſe legem &c.

V.

Ex his jam ſequitur I. ut actus eſt ex ſe bonus, vel malus ad legem comparatus, hominem quantum eſt ex natura, & ratione ejus actus, bonum quoque, vel malum dici, ideſt verum eſſe de eo, quod bene, vel male egerit; adeoque quantum eſt ex talis actus natura rationem habere, ut bonus dicatur, vel malus, quia hoc deſcendit ex vi actus ſui, quem ipſe ſciens, volens, & libera voluntate elicuit, qua ratione & hic actus dicitur actus ſuus, ſuum opus, & prout bonus, vel malus fuit, dicitur ipſum deliberate agentem voluiſſe bonum, aut malum facere, ex quo exiſtit in ipſo pro eo actu ratio boni, vel mali, ex qua denominandus eſt ejus actus cauſſa, & ipſi tribuenda tanquam auctori, uti ſupra de imputatione explicavimus (a). Sequitur II. ut lex a Deo

(a) *Hinc ut actus ex ſe bonus, vel malus comparate ad legem, ita & ad eamdem homo, & per conſequens reſpectu Dei, quantum eſt ex ipſius actus ratione.*

Deo conſtituta vi ſua eſt ordo quidam hominis ad Deum, prout ſe habuerit homo ad legem in actibus ſuis, eodem plane modo ſe habere ad Deum, quia lex eſt medium, ſeu ratio, qua homo regere ſe ſe ipſum ad Deum debeat. Hinc prout dicitur ipſum bene, aut male egiſſe comparate ad legem, eadem plane ratione dicendum erit ipſum bene, vel male egiſſe comparate ad Deum, quod ſpectat ad ipſius actus rationem, & naturam.

VI.

Hinc porro prima radix, ſeu ratio exiſtit meriti, vel demeriti, quæ cuilibet actui competit, & per eum homini, quantum eſt ex ratione actuum ſuorum, comparate ad Deum (a). Quilibet actus eſt ex ſe, atque natura ſua bonus, vel malus, ut ad legem eſt, vel non. Ergo & homo ipſe, ut eum actum facit, quod pertinet ad rationem actus exerciti, bonus quoque erit, vel malus reſpectu legis propoſitæ, ideſt erit neceſſario verum ipſum bene, vel male egiſſe, ut ſe habuit ad legem, quia quidquid egit homo, in ipſum refunditur tanquam in auctorem, & cauſſam, quæ datum opus exercuit. Atqui lex homini præſtituta pro actuum ſuorum norma, & ordine, nihil eſt aliud, niſi ipſamet Dei voluntas, quam juſſit Deus ſequi, vetuit aſpernari. Ergo vi ipſius voluntatis ſuæ, ſeu ordinis præſtituti Deus ipſe adducitur, ut probare debeat, vel improbare opus, quod ab homine factum eſt, prout ſecundum ipſius legem fuit, vel non. Atqui non poteſt concipi, quomodo Deus vi ordinis ſui

actum

(a) *Ratio meriti, vel demeriti prima eſt ex ipſa cauſſa approbationis, vel reprobationis actus &c.*

actum ejuſmodi probare debeat, aut non, niſi in ipſo actu ex conformitate, vel repugnantia, quam habet ad legem, intelligatur ratio, & cauſſa approbationis ejuſdem, vel reprobationis. Ergo ex ipſamet natura actus relativa ad legem petenda eſt ratio, & cauſſa approbationis, vel reprobationis ejuſdem. Ratio autem, & cauſſa operi, ac per conſequens agenti inhærens vi ordinis præſtituti ab ipſomet Deo, cur quidquam debeat approbari tanquam bonum, vel reſpui ut malum, ea, inquam, eſt, quæ meritum, vel demeritum generatim conſtituit. Namque prima radix ejus meriti, vel demeriti, de quacumque actione loquamur, eſt ipſa ratio approbationis, vel reprobationis ejuſdem.

Diximus autem hoc meritum, vel demeritum, ſeu approbationis, vel reprobationis cauſſam in hominem, ubi aliud non obſit, refundi, quia quidquid de actione dicitur, non intelligitur, niſi comparate ad agentem, a quo procedit, quemadmodum comparate ad terminum non accipitur, niſi prout vi legis præſtitutæ refertur ad Deum. Quo ſenſu ajebat D. Thomas in 2. diſt. 34. ar. 3. operationes morales non eo ſpectare, ut per eas aliquid conſtituatur in materia, *ſed potius eſſe actiones in ipſis agentibus permanentes, & eos perficientes, aut corrumpentes*, quemadmodum in ordine legis, ſic etiam ſub eo reſpectu, quem in operibus ſuis habent ad Deum.

VII.

Ex hoc jam primo intelligitur, quæ ratio meriti, vel demeriti cuilibet operi pro ſua natura competat, nimirum approbationis, vel reprobationis, quam habet actus quilibet, & ipſe agens

homo

homo ex conformitate, vel repugnantia operis cum lege; quippe inde percipitur quemlibet actum eo ipſo, quod legi conformis eſt, vel repugnans comparate ad Deum neceſſario mereri approbationem, vel reprobationem, ſeu, quod idem eſt, inde mereri hominem laudari, vel culpari, quantum eſt ex actus ſui natura apud Deum. Quippe Deus non poteſt negare ſe ipſum, neque adeo improbare ordinem voluntatis ſuæ; ex quo proinde ſequitur non poſſe ipſum reſpuere, quod ſuæ voluntati congruit, nec probare, quod repugnat, adeoque neceſſario actum, ut eo modo fuit, vel non, mereri approbationem, vel reprobationem, quæ prima meriti, & demeriti diſtinctio eſt.

Admiſit hoc etiam Barbeyracius in ſuis adnotationibus ad lib. I. Puſendorfii de jure Nat. & Gent. cap. 9. *Laus enim*, inquit, *& vituperium* (quod idem eſt ac approbatio, vel improbatio operis) *ſemper ſequuntur qualitatem actionum, vel omiſſionum, uti ſunt moraliter bonæ, vel malæ, & quidem ex parte legislatoris ipſius, qui repugnaret ſibi ipſi turpiſſime, niſi probaret, quod latæ legi conſentaneum, improbaret adverſum, atque repugnans.* Duabus aliis rationibus illuſtrat hoc idem argumentum Angelicus I. 2 q. 21. ar. 4 Nimirum conſiderat primo Deum tanquam ultimum finem, ad quem par eſt ut omnia referantur, quemadmodum fert ipſe ordo naturæ. Jam vero ſi actus ad ipſum referatur per legem, cui conformis eſt, jam

(a) *Meriti, vel demeriti diſtinctio, quod alterum rationem dicat approbationis, alterum reprobationis comparate ad id, quod geſtum eſt.*

jam ille ipſe habet ordinem ad Deum velut ad ultimum finem, & homo ſic agens, quantum in ipſo eſt, ſervat honorem Deo debitum tanquam ultimo fini; quod ſi non eo referatur actus, ut qui contra legis ordinem eſt, nec poteſt ullo modo referri, quantum ex parte agentis eſt, honor ipſi detrahitur, nec amplius habetur tanquam ultimus finis, ad quem omnia referri debeant, ipſe vero nuſquam. Quis porro neget Deum, quemadmodum indifferenter ſe habere nequit ad ſui gloriam, & honorem ultimi finis, qui ipſi debetur vi ſuperexcellentis naturæ ſuæ, ſic non poſſe eumdem non improbare, aut approbare, quod adverſum, vel conſentiens huic ordini eſt, quo talis ipſi ſervatur honor, vel ſubtrahitur? Conſiderat deinde S. Thomas Deum tanquam gubernatorem, & rectorem totius univerſi, ac ſpecialiter rationalium creaturarum; & ſub ea ratione quis ſuſpicetur Deum nihil de ejuſmodi curare actibus hominum, eoſdemque æquali modo reſpicere, ſive turbent ordinem ab ſe creaturis ſuis præſtitutum, ſive non, quum in qualibet bene morata Republica videamus ad eum, qui bono publico præeſt, omnino pertinere, ut non eodem modo ſe habeat ad ea, quæ bene fiunt in ipſa communitate, vel male?

VIII.

Intelligitur II. meritum, vel demeritum hoc ſenſu acceptum non eſſe quid inconſtans, & fictum, ſed nixum vera, & neceſſaria, quam habet actus ad legem Dei, ſeu ipſius voluntatis, relatione, quodque ideo tam certum, & fixum eſt, quemadmodum eſt ipſa actum inter, & legem compa-

paratio (*a*). Ut enim eſt neceſſario bonum, quod congruit ordini a Deo conſtituto, ſic neceſſario malum, quod eidem adverſatur. Ex quo fit, ut neceſſario etiam bonum, vel malum haberi debeat apud Deum, quod tale eſt, adeoque obtinere rationem apud ipſum meriti, vel demeriti, prout tanquam bonum probari debet, quod congruens ſuæ voluntati, aut reprobari ut malum, quod eſt ab illa diſſentiens. Hinc abſurdum, quod affirmant nonnulli, quidquid in univerſum jactatur de merito, aut demerito, ſolum ex libera quadam voluntate, atque imputatione pendere, quaſi vero & apud Deum poſſit ad malum tribui, quod abſolute bonum eſt, aut viciſſim bono adſcribi, quod malum, in quo nullus ordo haberetur providentiæ, nec ulla eſſet bonum inter, & malum, ut ad legis ordinem comparatur, vera, & abſoluta diſtantia.

Et ſane ſi, ut legitur Eccleſiaſtis ultimo, *cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum, ſive malum illud ſit*, qui fiat, ut Deus bonum ejuſmodi, vel malum, quod ab homine factum eſt, habeat ut quid indeterminatum, & varium, quod commutari pro arbitrio poſſit, atque ita tanquam bonum probari, ac tribui homini, quod malum eſt, aut viciſſim ut malum haberi, quod bonum? An ea mente legem homini dedit

(a) *Ut meritum, vel demeritum, quod ſpectat ad rei, aut operis approbationem, vel reprobationem, non ſit fictitium, aut inconſtans, ſed nixum ipſius operis ad legem conformatione, vel repugnantia.*

dedit, qua regeretur, ſi omnia tandem ad liberam approbationem, vel reprobationem revocari deberent? An judicium Dei *ſecundum veritatem* eſſet, ut aſſerebat Apoſtolus Rom. 2., quando nulla penes ipſum foret diſcriminis ratio, qua bonum a malo ſecerneretur, ſed omnia haberentur velut incerta ſorte fluitantia? Neque eſt, quod dicatur Deum tunc homini ſubjici, aut neceſſario hominum actibus alligari, quando aliter de iis cernere non poſſet, ac ferat eorumdem actuum indoles ad legem comparata. Falſum eſt enim eo modo rebus, aut hominibus obnoxium reddi Deum, qui ſibi ipſe lex eſt, ut ordinem tueatur, quem ſtatuit reſpectu hominum, *in quantum*, inquit D. Thomas 1. 2. qu. 114. ar 1. *debitum eſt ut ſua ordinatio impleatur*; quare idem Deus ſibi ipſi debitor factus eſt ordinis ſui, quem voluit, & juſſit a creatura ſervari. Felix porro in Deo eſt, ac beatiſſima illa neceſſitas, qua nec ſe ipſum negare poteſt, nec ordinem, quem propoſuit ſapientiæ ſuæ, quemadmodum vere ſumma, ac admirabilis illa omnipotentia eſt, qua nihil poteſt ſibi adverſum, aut perverſum, unde nec falli, nec mentiri unquam poteſt. Fruſtra adhuc hic urgeretur Deum aliquando quidquam præcepiſſe contra virtutem, ut demonſtretur bonum, & malum morale quandoque promiſcuum eſſe, aut venire poſſe apud ipſummet Deum Sicut enim Deus tametſi aliquando quidquam inſueti efficiat in ordine naturæ, nihil tamen vere agit contra naturam, quia *hoc eſt natura uniuſcujuſque rei, quod in ea Deus operatur*, ut eruitur ex Auguſtino lib. 26. contra Fauſtum cap. 3., haud aliter, inquit D. Thomas 2. 2. q. 104. a. 4.,

&

& 154. a. 2., ſi quid præcipiat interdum Deus adverſus conſuetum virtutis modum, quidquid tamen ab eo auctore eſt, contra virtutem eſſe non poteſt, quia hoc eſt ipſa vera virtus, & rectitudo omnium voluntas divina, cujus imperium dum ſequitur ratio humana, in eo ipſo & recta, & juſta, & optima eſt. Hinc proinde ut nihil bonum apud Deum, quod non ſit ſuæ voluntati conforme, quæ eſt omnium regula, nihil malum, quod non ab ipſa diſſentiat; ſic neque etiam quidquam poterit eſſe, aut fingi probandum ab ipſo, aut improbandum, quod tale non ſit, ſeu aliter ſe ſe habeat, ac tulerit voluntas ſua, quod idem eſt ac ordo hominibus declaratus ſapientiæ ſuæ. Atque huic quidem principio nititur, quod Auguſtinus ſcripſit lib. 3. Confeſſionum c. 8., quum Deus aliquid contra morem, aut pactum quorumlibet jubet (e. g. quum Abrahamo ſignificavit, ut filium ſuum occideret, aut geminaret nuptias &c.), etſi numquam illud factum fuerit, faciendum tamen eſſe, quia nempe quidquid vere præcipiat Deus, illud profecto bonum, atque honeſtum eſt, quippequi non poteſt quidquam velle contrarium ſummo bono, & ordini ad ſe ipſum, propter quem omnia fecit, quæcumque ſunt. Sit quidem illud vitium eorum volentium proprium, quorum bonum non eſt ipſa eorumdem natura; qua de cauſſa excidere ab illo queunt, quod extrinſecus poſitum eſt. At alia res eſt de Deo, cujus bonum ſua ipſius natura eſt, nec habet aliud extra ſe, in quod intueatur, ac tendat tanquam in bonum ſuum, quo fit, ut ab eo bono nunquam deficere queat, ſicut nec poteſt deficere a ſui natura. Quare quidquid

præ-

præcipiat ut ab ipſo eſt, qui ſe ipſum diligit neceſſario, ita nec poteſt a ſui bono eſſe alienum, adeoque eidem eſt abſolute probandum, quod ordini ſuo congruit, quemadmodum neceſſario improbandum, quod eidem adverſum eſt.

IX.

Jam vero ſi ex ordine legis præſtituto, ideſt ex conformitate, vel repugnantia, quam habet actus cum Dei voluntate, intelligitur in ipſo ratio exiſtere approbationis, vel reprobationis ejuſdem apud Deum, quam primam diximus eſſe meriti, vel demeriti cauſſam; manifeſtum eſt, ſi præterea Deus, alium ordinem conſtituerit, vi cujus datus actus pro ſui conditione ad certum effectum valeret ab ipſo producendum, quantum eſt ex actus natura, talem effectum vi ordinis præſtituti ſequi debere; quippe & hac ipſa ratione Deus ſibi debitor quodammodo effectus eſſet ordinis ſui, ut hoc ipſum, quod ſtatuit, impleretur (*a*). Hinc quemadmodum vi legis præſtitutæ intelligitur in actu, ut ad ipſam fuit, ratio, ſeu cauſſa approbationis, vel reprobationis ejuſdem, quam ad meritum, vel demeritum ſimplex revocavimus, haud aliter vi alterius ordinis præfiniti haberetur in actu, ut ad legem fuiſſet, ratio, ſeu cauſſa ad datum alium effectum, quem pro ejuſdem natura præordinaſſet Deus. Quare & hinc altera ratio meriti, vel demeriti efficacis, prout nuda approbatione, vel reprobatione operis non continetur,

(a) *Poſito altero ordine, quo actus valeat ad aliquem effectum a legiſlatore producendum, ut exiſtat in actu ratio meriti, vel demeriti efficacis.*

tinetur, ſed præterea ordinem habet ad alium effe-ctum, quem pro actu prædeſtinavit Deus.

Hæc diſtinctio meriti *ſimplicis*, *&* *efficacis* (qua etiam *demeritum* comprehenditur, prout *meritum* in malam partem accipitur, ut 2. Paralip. cap. 19. Job. 6., Hebræor. 10. &c.) a Burlamachio notata ſub *imputationis ſimplicis*, *aut efficacis* nomine, *Princip. du droit natur. part. 2. ch.* 19., non videtur rejicienda, ſaltem ut clarius, ac veluti per gradus explicetur idearum ratio, & ſeries, quæ in cauſſa meriti, vel demeriti concipiuntur. Nam profecto antequam percipiatur quidquam ab altero retribui pro operis natura ſive in bonum, ſive in malum, prius concipi ſolet ejuſdem operis approbatio, vel reprobatio, ut ſe habuerit ad alterius voluntatem, tum deinde ratio, & ordo actus ad alium effectum, ſi quidem a legiſlatore ex. gr. præſtitutus eſt. Et prima quidem conſideratio actus venit ſub ratione meriti, vel demeriti ſimplicis, quia, ut concipitur in eo ſtatu, præter ſimplicem approbationem, vel reprobationem nihil habet, quo modo non abs re a quodam dictum eſt approbationem, ſeu *laudem eſſe quoddam virtutis præmium nullo conſtans ſumtu, vituperium quamdam vitii pœnam abſque vulnere;* ſub altero vero reſpectu actus inſpicitur ut ordinem habens ad datum effectum præter ſimplicem approbationem, vel reprobationem producendum, quod meritum, vel demeritum efficax dictum eſt. Etſi autem, ut hoc præteriens moneam, allata diſtinctio proprie locum non habeat apud Deum, cujus approbatio, ſeu laus, reprobatio, ſeu vituperium nunquam carent aliquo effectu pro ordine ſtabilito naturæ actui reſpondente (quo ſenſu a Paulo di-

ciiur

citur de Dei judicio 1. Cor. 4. *& tunc laus erit unicuique a Deo*, ideſt congrua cuilibet retributio, quo pertinet etiam illud 2. Cor. 10. *ille probatus eſt .., quem Deus commendat*); tamen, ut dixi, nihil vetat, immo congruentiſſimum eſt eamdem retinere, quo facilius, & clarius ideas meriti, vel demeriti evolvamus, quæ in actibus concipiuntur etiam apud Deum; id quod multo magis pro humanis rebus valebit, in quibus ſæpe familiare eſt, ut pro bono opere ſola implicita, ut ajunt, legislatoris approbatione contentum eſſe oporteat, quippequi plerumque pro debitis lege operibus nullum præmium conſtituat, & ſatis habeat pretii ſervus pro impleto officio (quæ humana neceſſitas, & infirmitas eſt) quod loris non uratur, nec paſcat in cruce corvos. Sed aliter ſe habet res apud Deum, ut mox demonſtrabimus.

X.

Porro autem, ut propoſitum perſequamur, nulla eſt dubitatio, quin Deus potuerit eum ordinem conſtituere, immo & illud convenientiſſimum eſſet, ut approbatio, vel reprobatio, quam ipſe præſtaret actui pro ipſius natura, eadem, inquam, approbatio, vel reprobatio rationem, & ordinem ad alium effectum haberet ipſius voluntate producendum, quo veluti approbationem, vel reprobationem ſuam ipſi agenti conteſtaretur (*a*); nam quidquid demum de actu dicitur, ut antea monuimus, illud accipitur ut in agentem hominem ex dati actus natura

 refluit

(a) *Potuit Deus, immo convenientiſſimum fuit, ut effectum eum pro natura actuum præſtitueret, nimirum præmium, vel pœnam.*

refluit, ſaltem pro tempore, & cæteris poſitis, quæ ex legiſlatoris voluntate requiri poſſunt, ut ejus ordinis executio fiat. Nihil porro magis obvium in legibus. Plerumque ſemper ira, & vindicta Principis reprobationi actus adjuncta eſt, & ſi deeſt utplurimum obedientibus repræſentatio boni, id nonniſi ex hominum impotentia fit, qua omnibus ſatisfieri non poteſt, quin turbetur commune bonum, cui lex advigilat. Cæterum nemo eſt, qui non ſentiat multo perfectiorem eſſe legem quoad ſollicitationem officii (quod & Barbeyracio eſt viſum), ubi utrinque pro bono, & malo eſſet reſpondentis effectus ex parte legiſlatoris repræſentatio. Jamvero quod infirmum eſt hominibus, fortius eſt Deo, qui profecto poteſt abſque ſui, aut alterius communis boni diſpendio pro omnium actionum natura cuique bonum, vel malum repræſentare. Hinc propterea nulla erit cauſſa, cur præpotenti Domino ſanctio legis perfectiſſima abrogetur, aut traducatur tanquam impoſſibilis, vel incongrua, quum immo ea maxime ſapientiæ, ac providentiæ ſuæ reſpondeat, qua ut hominem finxit boni, vel mali capacem, & aliunde aptum, qui boni repræſentatione ad officium adduceretur, malo intentato averteretur a ſcelere, ſic etiam convenientiſſime potuit, quod ad hominis naturam, ac ſtatum pertinebat, opportuna legis ſanctione, quæ ad certum effectum pro operis conditione valeret, illum ipſum ad legis obſervantiam excitare.

Sane, ut adnotat D. Thomas 2. 2. q. 108. a. 3., hæc omnium humanarum legum veluti conditio eſt, ut pœnam habeant adjectam, quo homines acrius ad officium incitentur. Qui enim affectum

virtutis

virtutis non habent (atque ii certe in hominum multitudine non pauci ſunt) inde maxime cohibentur a peccando, quod timeant amittere aliqua, quæ plus amant, quam illa, quæ peccando adipiſcuntur. Hinc varia pœnarum genera ſancita, quibus maxime homo per metum amittendi ea, quæ ſummopere concupiſceret, aut prima putaret, contineatur a ſcelere. Ea de cauſſa, ut Auguſtinus refert lib. 21. de civ. Dei cap. 11., octo genera pœnarum in legibus eſſe ſcribit Tullius, ſcilicet *mortem*, per quam tollitur vita, *verbera*, & *talionem*, quibus amittit quis corporis incolumitatem, *ſervitutem*, & *vincula*, quibus libertas excluditur, *exilium*, *damnum*, *ignominia*, per quæ patria, divitiæ, gloria perduntur. Atque hanc quidem ſanctionis partem habent ſemper leges humanæ, & ſi expreſſa non ſit, ſemper ſubauditur tanquam Principis arbitrio ſtatuenda, quæ ideo *ſanctio tacita* nominata eſt. Barbeyracius ad lib. 1. Pufend. de officio hom., & civ. cap. 2. §. 3. Jamvero ſi ita fecerunt homines, & porro juſte fecerunt, quod norunt indoli humanæ congruentiſſimum, ut ad officium impenſius ſaltem adduceretur, quidni id ipſum potuerit ſancire Deus, & multo adhuc excellentius, ut homines non ſolum pœnæ, ſed etiam præmii propoſitione ad legis obſervationem permoverentur? Neque enim putandum aliter voluiſſe, aut decuiſſe Deum regere creaturam ſuam. quam ferret condita ab ipſo natura, aut quidquam fas hominibus fuiſſe conſtituere, quod non licuerit Deo. Fateor equidem, quod ſapientiſſimis viris obſervatum eſt, obligationem veri nominis, & obligationis ſenſum adhuc ex eo tantum percipi poſſe, quod quis jus habeat

 quidquam

quidquam alteri imperandi, atque etiam ex cauſſis ipſis, ut ajunt, intrinſecis rei, de qua agitur; qua ratione dictum eſt vires non ingredi conſtitutionem juris, aut conſequentis obligationis indolem, & apud veteres quoſdam jus, bonumque non legibus magis, quam natura valuiſſe. At interim negaverit nemo, quidquid hac de re ſit, quod etiam inſignes illi viri faſſi ſunt, longe perfectiorem eſſe legem, quod ad executionem attinet, quæ utraque ſanctionis parte communita fuerit, atque ita fortius communi bono, atque univerſæ multitudini proſpiciat. Bayle quidem oſtendere conatus eſt virtutis pulchritudinem ſatis valere, ut homines ad ſui exercitium conſtanter alliciantur; ſed fallitur. Virtutis decus poterit quidem animum aliquo modo afficere, quod ex ipſis theatris patet; nemo enim adeo improbus eſt, qui inſtinctu velut ſuo crimen amet, quemadmodum multi ſunt, qui ipſius ductu naturæ virtutem appetunt, & ſi quis in pari cauſſa negotium ſuum æque conficere poſſet bonis, an malis artibus, haud ægre honeſtum prætulerit turpi, ac velut alto vultu rejecerit vitium incolumem virtutem diligens. At ſi contingat, quod non raro accidit, ut virtus contraria utilitatis ſpecie, aut vehementioris perturbationis incurſu tentetur, difficile erit, ut indotatæ etiam cum damno quis nubat. Valebit itaque ea, quod jam alibi notavimus, pro communibus plerumque negotiis, ubi ex adverſo quid magni non urget; at in gravioribus caſibus virtuti opus eſt fulcro, ideſt præmio, aut pœna, ut ejus conſulatur dignitati, & proſternatur vitium. Videantur quæ ea de re paſſim habet P. Anſaldi tum in Vindiciis Maupertuiſianis, tum in altero

libro

libro *Della neceſſità e verità della Religione naturale, e rivelata &c.* Ex quibus nimirum omnibus intelligere eſt quemadmodum rectiſſime Deus, & congruenter hominum naturæ eam ſanctionem legi ſuæ adjicere potuerit, qua perfectiſſima eſſet, ut ſcilicet dati effectus propoſitione, qui ad bonum, vel ad malum pro operis natura valeret, homines vocarentur ad officium, abſtraherentur a crimine.

X I.

Reapſe autem hunc ordinem præſtitutum a Deo fuiſſe, quo actus pro ſui natura ad aliquid penes ipſum valerent, ideſt non ad approbationem tantum, vel nudam reprobationem eorumdem, ſed etiam ad aliquem effectum boni, vel mali, ſeu præmii, aut pœnæ ab ipſo rependendum, præter ea, quæ ſuperius dicta ſunt quarta hujus operis parte §. XXIII., & XXIV. &c., alia ſunt, quæ demonſtrent (*a*). I. Morſus ipſi conſcientiæ, qui ſunt naturales effectus mali, & in omnibus, ubi ſaltem graviter deliquerint, vim exerunt ſuam, niſi forte quaſi ſenſus ſtupore perculſi (quod paucorum eſt vitium, & gravius adhuc malum) in ſceleribus obduruerint, ſatis oſtendunt aliquem ordinem in ipſa natura a Deo poſitum, quo intelligatur malis ſua manere ſupplicia; quippe & hæc ipſa jam pœnæ ſunt, quas Deus ab homine exigit tanquam dux, & imperator rationis, quod hujus ordinem, qua nedum cum cæteris hominibus, ſed cum omnibus intelligentiis, atque adeo cum Deo ipſo communicat, perverſe violaverit. Contra tranquillitas animi,

(a) *Ut revera Deus eum ordinem ad præmium, & pœnam pro actibus præſtituerit.*

hilaritas juſti, ſecura mens, quæ quaſi juge convivium eſt, & laudis conſcientia bene factis reſpondens aperte declarant & hunc ordinem præſtitutum naturæ, ut bonis bona tanquam nativi ſuorum operum fructus obvenire debeant, eoſdemque recreare. II Hoc ipſum probant ſpes, & metus, quæ naturaliter ex parte Dei concipiuntur ab homine, ut tulerit factorum ratio, & conſcientia. Hinc non male fortaſſe quis dixit, *Primus in orbe terrarum Deos fecit timor*, ſi nempe intelligatur ex naturali hac, & maxime communi cauſſa Deum ultorem criminum ab hominibus cognitum, quemadmodum & ſub alio aſpectu *Deorum*, *hominumque Patrem* ob bonorum communicationem, & ſpem, quam vel in trepidis, maximiſque rebus probi, & juſti naturaliter habent in ipſo Deo. His duobus porro æquipondiis, metu, & ſpe univerſam humanam vitam ita ſuſtentari, ac regi, ut iis carere non poſſit, memini olim ipſum Montaigne ſcripſiſſe. III Ne longum faciam, id ipſum etiam demonſtrant omnes veterum hiſtoriæ, quæ ſenſum perpetuum ea de re humani generis referunt, ac præſertim quæ omnium antiquiſſima eſt, & univerſos præfert characteres veritatis, etiamſi ut nuda tantum hiſtoria conſideretur, illa ſcilicet, quæ in Geneſi habetur de comminatione mortis primis parentibus facta, ſi legem offenderint, cui interim reſpondebat ſtatus felicitatis, qua jam frui cœperant, ſi Deo paruiſſent; rurſus verbum Domini ad Cain ibidem cap. 4. *Nonne ſi bene egeris recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit?* Ac tandem quotquot poſtea adornatæ ſunt fabulæ, & apud Ethnicos obtinuere, hoc ipſum etiam portenderunt

ordi-

ordinem ſcilicet conſtitutum a Deo, ex quo bona bonis contingere oporteret, mala malis, qui ſerius ocyus pœnas dare deberent criminum, & culpam luere ſpiritu, olim ſaltem quum adſcriptus veniſſet ſupplicio dies Idem docuerunt omnes, quotquot putarunt primos homines non alios habuiſſe Reges, niſi Deos ut bonis propitios, ita infeſtos improbis ſive in hac, ſive in altera vita, a quibus cuilibet pro factis ſuis congrua rependerentur. Ex quibus omnibus demonſtratur tum naturæ ſenſu, tum univerſi humani generis conſenſione perpetuo retentum aliquem a Deo ordinem conſtitutum, quo intelligatur vi legis ſuæ bonis bona retribui debere, mala autem malis, ſeu quod idem eſt pro operum natura effectum aliquem a Deo præſtitutum, qui ipſis ſuo tempore debeat reſpondere.

Inſignis eſt locus S. Auguſtini ſerm. ad populum 12., quo maxime iſtud ipſum, quod de conſcientia diximus, ſpe, ac timore Dei benefici, aut vindicis confirmetur: *Deus*, inquit, *bonis conſcientiis adeſt ut pater, malis, ut judex, quomodò ſcriptum eſt Pſal.* 10. Dominus interrogat juſtum, & impium. *Item ſcriptum eſt Sap.* 1. In cogitationibus impii interrogatio erit. *Nec vehementius in auribus corporis Deus, quam in ſecreto cogitationis interrogat, ubi ſolus audit, ſolus auditur. Nonne etiam mali homines, ſi quando verum loquuntur, & non eis creditur, jurant, & dicunt: teſtis eſt Deus, & veriſſime dicunt? Ubi quæſo teſtis eſt, in lingua, an in corde? In ſono vocis, an in ſilentio conſcientiæ? Unde autem plerumque ſtomachantur, quia ſibi non creditur, quum verum ſe dicere noverint, niſi quia cor ſuum nobis aperire non poſſunt, ubi teſtis eſt Deus?* Scilicet hæc

ipſa

ipſa impiorum agendi ratio demonſtrat imperium, quod ſuper animum, conſcientiamque exercet Deus, ut veritatis teſtem, in his, quæ ſentiuntur, ſic etiam eorum indicem, quæ Deus ipſe intus in mente operatur, dum aut pœnas repoſcit ſcelerum terretque improbos metu, aut tranquillitate, & ſpe inſontes beat. Quum autem ſolis ejuſmodi motibus non terminetur & anxia ſceleſtorum cura, & bonorum expectatio, ſed utrique velut nutu ſuo in futurum adhuc reſpiciant, & ſemper pro ſui conditione aut benevolum Deum ſperent, aut metuant vindicem, annon hoc inſtar firmiſſimi argumenti habendum eſt, quod ipſa natura ſuppeditat, Deum vere hunc ordinem præſcripſiſſe, ut pro actuum conditione bona, vel mala hominibus ex ſua providentia debeantur? Fruſtra hic mihi Incredulus diceret hæc omnia effectus educationis eſſe, aut cujuſque civilis regiminis, nuſquam autem admonitiones naturæ. Univerſalis effectus, qui ab omnibus plerumque ſentitur, a cauſſis ejuſmodi particularibus, variis, mutabilibus proficiſci non potuit. Immo inde puto facillime ideam ejuſmodi de præmio, & pœna pro operum conditione a Deo præſtituta omnium animos occupare debuiſſe, quod illa maxime naturalis eſſet, ſatiſque foret conſcientiam conſulere, ut continuo ſe ſe proderet, atque in rationem ipſam quodammodo reſiliret. Laudantur veteres Legumlatores, qui talem opinionem, & fidem populis ingeſſerint. At num ita facile dogma perſuadere potuiſſent, ni anticipata quædam ejus cognitio antea ſubiiſſet animum? An putamus rudes adeo omnes fuiſſe, ut ſtatim, & ſine ratione, ac delectu ſe ſe dociles præberent

rent fabulas venditantibus? At ſi ita eſt, ut quid extimuerunt ipſi hæc eadem, quibus alios ludificabant, politicæ fraudis Principes, quemadmodum ſæpius memoriæ proditum eſt? Ut ideo vel ipſe Perſius Satyra 3. ſummam imprecatus Tyrannis pœnam, qua pro ſcelere angerentur, ita ſupremum Numen affatus fuerit:

Magne Pater Divum, ſævos punire Tyrannos
Haud alia ratione velis: cum dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno,
Virtutem videant, intabeſcantque relicta.

Scio equidem, quod dici ſolet, hunc, quem laudamus, ordinem providentiæ divinæ in humanis rebus non admodum cerni, quum ſæpe videamus florere nocentes, affligtarique pios. Sed enim quis naturam, ſeriemque rerum ingreſſus eſt, ut videat quomodo iſthæc ipſa in omnibus ſe habeant? An, ut ajebat in perſimili cauſſa Auguſtinus ſerm. 147. de tempore, *tota regula credendi erit conſuetudo cernendi?* Num forte Deus ordinem ſuum non ſervabit, quia qua ratione cuncta adminiſtret, aut adminiſtraturus ſit, homines ignorant? Sic ambitio diffidens mortalium dum arcana Dei ſcrutari vult, & modum, quo res humanas temperet, cœlum ipſum impetit ſtultitia omnia gratiæ ſubſcribens, aut odio ſuo. Teneatur potius quod hactenus probatum eſt, ordinem illum revera a Deo præſtitutum eſſe, quo pro actuum ad legem comparatione bene ſit bonis, & malis male. Hoc ipſa divinæ legis perfectio, hoc recta ratio ſuadet, id fert communis hominum conſcientia, & ſenſus. Si voluerimus adhuc alia in natura perſequi, capiamus illud augurium futurorum, quod inhæret in mentibus, idque in

maximis

maximis ingeniis, altiſſimiſque animis exiſtit maxime, & apparet facillime. Nemo unquam ſine multa ſpe immortalitatis ſe pro Deo, pro patria, & legibus obtulit ad mortem, nemo ſine ejuſmodi perſuaſione, & quaſi afflatu divino vir magnus unquam fuit; ſummo, ea demta, vix quiſquam in laboribus, & periculis viveret. Rationem, & modum, quo hunc ordinem ſanctionis ſuæ tueatur Deus, ipſi permittamus. Amor, qui introduxit ordinem, *bonitas* eſt, qui eumdem conſervat, *juſtitia*. Hæ duæ ſunt præpotentis Numinis perfectiones, quas nemo, niſi extreme impius, eidem abrogaverit. Si altius volumus ratione contendere, irrito conatu animum æternis minorem conſiliis fatigamus. En ſancta, tremendaque vox, quam mittit Religio, & in hac cauſſa oportet caute retinere: *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi: Quoniam poteſtas eſt Dei, & tibi, Domine, miſericordia, quia tu reddes unicuique ſecundum opera ejus*. Pſal. 61. Quod dictum eſt, *ſemel locutus eſt*, intelligitur immobiliter, hoc eſt immutabiliter eſt locutus, ſicut novit incommutabiliter omnia, quæ futura ſunt, & quæ ipſe facturus eſt. Auguſt. lib. 5. de civ. Dei cap. 9.

XII.

Ex iis hoc argumentum elicitur, quo efficacis meriti, vel demeriti cauſſam, ideſt quoad præmium, vel pœnam tueamur (*a*). Deus hunc ordinem vere conſtituit, ut actus prout fuerint ad legem, & con-

ſequenter

(a) *Hinc exiſtentia, & veritas meriti, vel demeriti efficacis, quæ quidem actibus competit pro eorum natura ad præmium, vel pœnam.*

ſequenter digni approbatione, vel reprobatione ſua, relationem haberent ad præmium, vel pœnam, quantum ex ipſorum natura eſt; atque hunc effectum diximus ex ordine ſtatuto a Deo ipſo rependendum, quia verax, quia juſtus, quia fidelis eſt. Ergo poſito quod actus tales, vel tales ſint comparate ad legem, vi ordinis præſtituti rationem habebunt, ut ex ipſis eſt, ad illud idem, quod pro eorumdem conditione, & natura præordinavit Deus. Atqui meritum, vel demeritum efficax, ut antea diximus, nihil eſt aliud, niſi ea relatio actus ad illum effectum ex ordine legislatoris implendum, nimirum ad præmium, vel pœnam, ut idem ipſe Deus conſtituit. Ergo revera in actibus, qua tales vel tales ſunt, ut ea relatio exiſtit ad illud ipſum, quod pro iiſdem præordinavit Deus, ſic & in iiſdem agnoſcendum erit illud meritum, vel demeritum efficax, de quo hactenus locuti ſumus, quodque revera nihil eſt aliud, niſi ratio illa ad effectum præſtitutum vi ordinis ſtabiliti actui hærens, quæque pro actus natura in agentem hominem refluere intelligitur. Neque enim hæc pro actibus conſtituuntur, niſi ipſius agentis intuitu, & cauſſa, pro quo lex, & ſanctio ipſa legis dicta eſt. Hinc quemadmodum in humanis legibus, ſi licet parvis componere magna, poſita legis ſanctione intelligitur in actu, & in agente, quantum eſt ex actionis natura, ordo, & relatio ad illud ipſum, quod tanquam reſpondens effectus a Principe præfinitum eſt, haud aliter poſita ordinatione divina actuum ad aliquid tanquam ab ipſo rependendum vi ordinis ſui, intelligetur in ipſo actu eam relationem eſſe,

ut

ut ipſius ad legem conditio tulerit, ad illud ipſum, quod pro actu præſtabilitum eſt.

Moneo iterum hic quidquid dicitur de hoc merito, vel demerito actuum non intelligi, niſi de ipſa relatione, quæ eſt ex actus natura, & eo ſenſu poſitis omnibus, quæ ex lege requiruntur, in agentem refluit; namque apertum eſt relationes has turbari, aut commutari poſſe, eo ipſo, quod homo per alium actum excidere ab eo ordine poteſt, in quo pro tempore verſatur. Cæterum hoc non impedit, quominus pro tali actu, eoque tempore, in quo ita eſt, ordinem habeat ad illud, quod præſtitutum vi ſanctionis divinæ. Quare diligenter diſtinguenda ſunt meritum, vel demeritum in ſe, & effectus meriti, ſeu retributio, quæ fiat. Alterum enim ſemper ſequitur, quantum eſt ex ipſa ratione actus, ſed alterum mutari poteſt ex commutatione ſtatus perſonæ. Idem innuit Cardinalis Cajetanus in adnotationibus ad D. Thomam, ubi de merito.

XII.

Hinc porro adparet 1. quemadmodum ſe ſe aliter habeat divinæ gubernationis ordo comparate ad homines, aliter reſpectu aliarum creaturarum, & ex ſingulari. quam poſuit, & ſervat Deus erga homines gubernatione, pendeat eorumdem, quam diximus, ratio meriti, vel demeriti apud Deum (*a*). Res enim, ut præclare notat Angelicus 1. p. qu. 103. ar. 5., diverſimode gubernantur a Deo ſecundum earum diverſitatem. Quædam enim ſecundum ſuam naturam ſunt per ſe agentia tanquam habentia dominium

(a) *Explicatur cur ratio meriti, vel demeriti tantum homini competat, non aliis creaturis.*

dominium ſui actus; & iſta gubernantur a Deo non ſolum per hoc, quod moventur ab ipſo Deo in eis interius operante, ſed etiam per hoc, quod ab eo inducuntur ad bonum, & retrahuntur a malo per præcepta, & prohibitiones, præmia, & pœnas. Hoc autem modo non gubernantur a Deo creaturæ irrationales, quæ tantum aguntur, & non agunt. Qua plane de cauſſa in ipſis proprii motus, & actionis, quæ quidem ex electione ſit, defectu ut nequit intelligi ratio ulla ad laudem, vel culpam, ſic nec ordo ad præmium, & pœnam, quem tantum pro liberis agentibus conſtituit Deus. Unde horum tantum actio habet rationem meriti, quod non eſt in aliis creaturis. Idem docuit D. Th. 1. 2. q. 114. ar 1.

Atque ex hoc plane capite refellitur abſurda comparatio, quam Grotius inſtituit in hac ipſa, de qua agimus, meriti, vel demeriti cauſſa inter brutorum opera, & hominum. Ait enim Operum Theologicorum tomo ſecundo in adnotationibus ad cap. 17. Lucæ: *Quum ratio nobis data ſit, idque habeamus eximium ſuper animantes cæteras, nonne tam naturale nobis cenſeri debet ſecundum rationem vivere, quam beſtiis ſecundum naturæ impulſus? At beſtiis eo nomine nullum debetur præmium*.. Mirum eſt virum doctiſſimum in has ineptias incidiſſe. Anne ratio ad unum aliquid determinat hominem, quemadmodum belluas impulſio naturæ? Et ſi nobis etiam naturale dicatur eſſe ſecundum rationem vivere (quod ſemota corruptione naturæ verum eſſet) anne propterea ita naturale erit, ſicut brutis vivere ex naturæ impreſſione? Notum eſt enim

hoc

hoc ita naturale eſſe, ut ſimul neceſſarium ſit, quippe abripiuntur ſolum, aut deterrentur boni, aut mali ſenſibilis ſpecie, cæterum vis in ipſis non eſt, qua arbitrentur, qua judicent, qua comparent, ſeque ipſa determinent, ſed re poſita ſtatim impulſio, & motus exiſtit. At aliter ſe habet homo, qui comparat, examinat, videt quid e re ſit, quid non, & ex intellectu, & voluntate deliberat quid ſibi agendum ex rationis judicio, quid reſpuendum, unde liberam illam naturam habet, qua dominus ſui actus eſt, atque, ut ajebat Simplicius, *ſuapte voluntate, & abſque coactione*, ſeu neceſſitate, *alias verum bonum amplectitur, alias imaginarium*. Atque hac plane de cauſſa etſi quandoque dicantur irrationales creaturæ præceptum Dei ſervare, voci hominis, aut Dei obedire, & alia id genus, hæc nonniſi per ſimilitudinem quamdam accipienda ſunt, ut nimirum ex hoc quidem oſtendatur in eis divinæ ordinationis efficacitas, qua omnia diriguntur, quæque ſuo modo, in finem, quem voluit Deus, & ea plane ratione, qua voluit, non ut eis ille motus afferatur, quo ex. gr. ſe ſe ipſa excitent, & ducant in finem cognitum ſub ratione finis, aut in eumdem ipſum ſe ſe inclinent cum ordine, & perceptione mediorum ad finem, quod ſoli homini datum eſt. Hinc, ut animadvertit non ſemel D. Thomas, licet res naturales (quod idem de brutis animantibus dicitur) quidquam conſequantur per operationes ſuas, ad quod ſunt divinitus ordinatæ, id non arguit in iis ullam meriti, aut præmii rationem, & cauſſam, quæ eſſe non poteſt, ubi propria actio cum electione, & ex libero arbitrio non eſt, ſed tantum evincit aliquem eſſe ordinem providentiæ,

dentiæ, qua omnia ſunt, quæ ſunt, & cum relationibus aliorum ad alia, quæ in iiſdem ipſis conſervantur divina virtute, ut in omnibus, etiam per phyſicas, & naturales leges, impleatur ordo, quem pro cujuſque rei conditione in univerſum voluit, & ſtatuit Deus. Hinc tandem, ſubdit idem Angelicus 2 2. q. 76. ar. 2., etſi quandoque creaturæ irrationales benedicantur, vel maledicantur, quod in ſacris ipſis literis non infrequenter legitur, id tamen non fit, aut dicitur, quaſi quidquam ipſæ ſecundum ſe, aut per operationes ſuas mereantur boni, vel mali ab homine, aut a Deo, ſed potius ilthæc ipſa in ordine ad hominem dicta ſunt, vel quia ipſe earum ſymbolis adumbratur, ut quum Chriſtus maledixit ficulneæ in ſignificationem Judæ; vel ut ipſe puniatur, aut præmio afficiatur in creaturis ad ſui ſubſidium, & uſum deſtinatis, ut quum dicitur Gen. 3. *maledicta terra* &c., & Deut. 18 *benedicta horrea tua*; vel tandem quia & in illis ipſis conſideratur, aut exprimitur eventus, vel facinus aliquod pertinens ad hominem, quod certo tempore, aut loco ſecutum eſt, qua ratione Job maledixit diei nativitatis ſuæ, & David montibus Gelboe, in quibus populi cædes patrata eſt 2. Reg. 1. At alia plane res eſt de homine, quum de lege agitur, deque præmio, aut pœna conſequente operationes ſuas: eum ſcilicet *reliquit Deus in manu conſilii ſui*, cui præcepta, & prohibitiones proxime, & immediate ſunt data, quibus ſe ſe ipſum regere poſſet, & deberet; *adjecit mandata, & præcepta ſua*, ut in eadem ipſa voluntate ſua moveretur, atque ita pro operis ratione vel præſtitutum præmium conſequeretur, vel ſibi arceſſeret malum,

quod lege præfinitum : *Appoſuit tibi aquam , & ignem , ad quod volueris porrige manum tuam &c.* Eccleſiaſtici cap. 15. Hæc ſingularis eſt , quam ſtatuit Deus pro hominibus gubernationis ratio ipſorum naturæ , ac libero arbitrio congruens , quam noluit creatis cæteris eſſe communem ; quam quidem directionis formam omnis poſtea conſtituta a Deo lex præ ſe tulit , & quæ primis parentibus initio Geneſeos data , & quæ ſignificata verbo Domini ad Cain ibid. cap. 4. , & quæ populo Iſraëlis indicta Deuter. 30. , & reliquæ omnes , quæ non ſolum a Deo , ſed etiam ab hominibus pro hominibus ipſis ſancitæ ſunt .

XIII.

Adparet II. quoniam ille ordo ita conſtitutus eſt a Deo , ut non aliter homo intelligatur apud ipſum mereri , vel demereri quidquam , niſi per actus liberos ſuos , ut ad legem fuerint (quæ ſingularis eſt hominum pro eorumdem naturæ conditione ſtatuta a Deo regiminis forma) adparet , inquam , in eo gubernationis ordine prorſus tenendum eſſe , quam voluit Deus ex parte hominis conditionem ad merendum , vel demerendum , requiri , cujuſmodi libertas eſt , in eodem ipſo divina providentia ſervari (*a*) ; ut ideo inepti ſint , qui non valentes cum æternis decretis Dei , aut divinorum auxiliorum œconomia humanam libertatem conciliare continuo negant ullam homini in hac , vel illa hypotheſi ſupereſſe poſſe , & conſequenter meriti , vel demeriti rationem , & cauſſam omnino ſub-

(a) *Ut Deus tueatur ordinem ſuum in omnibus conditionibus, quibus illum præſtituit .*

ſubruunt. Scilicet idem ille, qui ordinem ſtatuit, poteſt, & valet quovis in caſu omnes ejuſdem ordinis conditiones tueri, ut ideo libera ſemper intelligatur, & ſit actio hominis, qua meretur, vel demeretur, & rurſus juſta ſemper, & congrua ſit ordini præſtituto, quæ eidem fiat, aut fieri oporteat, retributio. Non eſt cur homines de veritate, aut juſtitia Dei in ordine conſtituto querantur. Non poteſt a Dei veritate procedere, quod falſum eſt, aut ab ejuſdem juſtitia, quod ſit iniquum. Auguſt. ſerm. 214. de tempore in tradit. Symboli.

Sic videlicet corrigendæ homini ſunt cogitationes ſuæ, quando non valens quidquam aſſequi, quod tamen præfinitum, atque propoſitum eſt, circa illud ipſum angitur, & laborat. Deus ſibi ipſi debet veritatem ſuam, & juſtitiam ſuam; neque adeo fieri poteſt, ut aliter ſe habeat res, aut dati ordinis implementum, atque idem ille ſtatuit, & manifeſtavit. Immo ex hoc ſequeretur ipſam creaturam reſiſtere immutabili, atque efficaciſſimæ præpotentis Dei ſanctioni, qua voluit eamdem libere moveri, ſi ſecus, quod ad bonum, vel malum morale attinet, quovis in caſu moveretur; id quod abſurdum eſt. Aliunde vero imbecilles nimium ſunt hominum mentes, ut velint modum, & rationes omnes tenere, quibus ordinem ſuum exequitur Deus. In ipſius veritate, juſtitia, atque omnipotentia omnino quieſcendum eſt. Interim ipſe non reliquit naturam, ita dixerim, vacuam teſtimonio virtutis ſuæ, qua ordinem exequitur, & ſervat præſtitutum. Quæquæ ſit divinorum conſiliorum, & auxiliorum ratio, atque œconomia, ſentimus profecto nos, quum quidquam agimus ſeu

 boni,

boni, ſeu mali, nos ipſos vere eſſe, qui agimus, & ideo agere, quia volumus, & ideo velle, quia eligentes volumus. Nulla neceſſitas eſt, quæ eripiat animo laudis conſcientiam, dum bene agimus, nihil, quod veram impotentiam arguat, & prætexat, quum agimus male. Hoc teſtimonium omni exceptione, & argumentatione majus eſt. Illud ratiocinationibus impetere, ajebat ipſe Roſſeau *Emile tom. 3. profeſſ. de foi du Vicaire &c.*, perinde fuerit, atque homini probare velle non exiſtentiam ſui. Quid ergo? Ex hoc ipſo igitur intelligendum eſt revera Deum ordinem ſervare, quem præſtituit, & eadem plane ratione, & modo, quo præſtituit; hinc nec ex parte Dei, quaqua ratione diſtribuat dona ſua, aut agat, hominis libertatem excludi, qua voluit, ut ageret, quidquid demum ageret ſeu boni, ſeu mali, nec homini juſtam ullam eſſe poſſe cauſſam, qua quidquam in hac meriti, vel demeriti cauſſa prætexat adverſus Deum. Ad ſummum hoc unum poterit ex rei obſcuritate, aut difficultatibus, quæ incidant, colligi, multa nos neſcire, quæ facit Deus, quin tamen ſequatur ipſum vere ordinem ſuum non exequi, ut ſtatuit, & promiſit. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ ... Et difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore; Quæ autem in cœlis ſunt quis inveſtigabit? Senſum autem tuum* (Domine) *quis ſciet, niſi ut dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum ſanctum tuum de altiſſimis, & ſic correctæ ſint ſemitæ eorum, qui ſunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines? Sap. 9.*

XIV.

XIV.

Ex hoc porro eodem principio haud difficile fuerit aliis exceptionibus occurrere, quæ in hujus ordinis, & conſequentis meriti, vel demeriti cauſſa produci ſolent. Quoſdam enim offendit permiſſio mali moralis, & conſequentis ſanctio pœnæ, qua de cauſſa putant, hunc ordinem indignum Deo; quaſi vero & malum, quod non impedit Deus, deſinat eſſe homini, dum illud efficit malitia ſua, voluntarium, & cætera quæcumque vult, aut ſinit, non reſpondeant æterno conſilio, & finibus ſapientiæ ſuæ, qua ut non poteſt quid ſtultum velle, ſic nec facere quidquam iniquum. Multa habet de hoc Auguſtinus in libris de civit. Dei, ac præcipue lib. 22. cap. 1. Cæterum illa eo tandem revocantur omnia, plura a Deo fieri, aut permitti, quorum rationes, & finem homines non tenent, ſed cujus judicium occultum quidem eſſe poteſt, injuſtum non poteſt. Neceſſe eſt autem, ut ſemper male, aut perperam de iis mortales cernant, quorum relationes omnes non habent, quas ſolus tenet Deus (a). Alii paſſim cauſſantur *improportionem*, ut inquiunt, operum noſtrorum ad præmium, vel pœnas, quæ dicuntur a Deo præſtituta, perinde ac ſi ea vera proportio non ſit, quam ut in phyſicis, ita & in moralibus idem ipſe adduxit utriuſque ordinis Auctor Deus. Profecto enim ſicut in ordine naturæ ea omnia vera ſunt, quæ ſunt, & ideo talia ſunt, quia ita eſſe, aut ſe habere Deus voluit, nec alia nobis ſuppetit cognitio veritatis eorum, niſi per ea, quæ

 ab

(a) *Occurritur quibuſdam exceptionibus, quæ contra ejus ordinis rationem, & cauſſam aſſerri ſolent.*

ab ipſo ſunt facta, quis dubitet & in ordine morali ea omnia vera eſſe, & recta, & juſta, quæ in eo idem ipſe præſtituit? Faceſſant proinde etiam hinc, qui nullam relationem ad præmium, vel pœnam in actibus hominum comminiſcuntur, quia nil inde capiat Deus nocumenti, vel commodi, aut quia bona, quæ facimus, ex Dei gratia præſtantur, aut quia in debitis nulla ratio ad mercedem, vel præmium, aut tandem quia nulla eſt proprie Deum inter, & homines ratio juſtitiæ. Ajo iſthæc omnia inepta eſſe, poſita ordinis ſanctione, quam voluit eſſe, & porro ſtatuit Deus; ineptum fingere Deum res, aut actus ulla adventitia ſui utilitate, aut damno penſare; ineptum eam relationem non eſſe inter opus etiam debitum, aut ex gratia factum, quam Deus eſſe voluit ad hoc ipſum, quod ille præordinavit; ac tandem etſi nulla vere ſit Deum inter, atque homines juſtitia, qualis habetur ex. gr. inter æquales, aut mercenarios, qui pacto pretio conveniunt; falſum tamen illam deeſſe juſtitiam, & veritatem, quam ſibi ipſi debet, ac præſtat Deus in ordine ſuo, ut quod ſtatutum eſt impleatur, qualem laudabat olim univerſus Levitarum chorus totius Iſraëlis nomine 2. Eſdræ cap. 9. *Tu percuſſiſti cum Abraham fœdus, ut dares ei terram .... & impleſti verba tua, quoniam juſtus es.*

Moneo hic etiam pleraſque harum difficultatum præter hominum ignorantiam inde originem habere, quod ii nonnihil ex anteceptis humanæ ſocietatis ideis de rebus judicent ejuſmodi, quum tamen longe ſuperior, & perfectior tenenda ſit ratio gubernationis divinæ, quam valeat hominum mens

mens cogitare. Non enim viæ Dei ſicut viæ hominum, ſed uti exaltantur cœli a terra, ita ejus ſuper ipſos cogitationes ſunt. Sic in ſocietate (quod Puſendorfii argumentum eſt lib. 1. de jur. nat. & gent. cap. 9., & alibi) non pro omnibus actionibus præmia, aut pœnæ ſtatuuntur, de multis legislator non angitur, de internis vix quærit, aliiſque id genus. At longe aliter de Deo ſentiendum eſt, qui omnibus advigilat, de omnibus curat ordine legis ſuæ; unde mirum non eſt, ſi quædam meritis, aut demeritis non accenſeantur in hominum ſocietate, quæ tamen accenſentur apud Deum. Egregie in hanc rem S. Thomas 1. 2. q. 21. ar. 4. *Homo non ordinatur ad communitatem politicam ſecundum ſe totum, & ſecundum omnia ſua, & ideo non oportet, quod quilibet actus ejus ſit meritorius, vel demeritorius per ordinem ad communitatem politicam; ſed totum, quod homo eſt, & quod poteſt, & habet, ordinandum eſt ad Deum, & ideo omnis actus hominis bonus, vel malus habet rationem meriti, vel demeriti apud Deum, quantum eſt ex ipſa ratione actus.* Similia videſis de obedientia, quæ homini debetur, & quæ Deo 2. 2. q. 104. ar. 5. Hinc, quod jam monuimus, imperfectio idearum noſtrarum, quas ex humanis negotiis, aut rebus colligimus, corrigenda eſt, quoties eas ad divina transferimus, ſemperque perfectius quiddam, juſtius, immo infinite præſtantius de Deo, ejuſque providentia, quod & Religio docet, cogitandum. Pari modo cavendum eſt (quod etiam ſummopere intereſt ſcire), ne in divino regimine bonum, aut malum, juſtum, aut injuſtum, quod ad rerum adminiſtrationem, & curam attinet, ex amore ſolum, vel

odio rerum noſtrarum æſtimemus. Scilicet meminiſſe oportet univerſa in ordine ad Deum eſſe, propter quem omnia ſunt facta; unde & ſæpius homines falluntur in privatis judiciis ſuis, (quod & ipſe animadvertit Auctor libri *Lettres Perſannes let.* 59.) quia utplurimum de rebus non judicant, niſi per quendam interiorem ſuper ſe ipſos regreſſum, omni prorius ad Deum ordine prætermiſſo; quare & audent ſe tanquam exemplaria providentiæ conſtituere, atque ita infinitam audaciam cum infima ſui abjectione conciliare. Teneatur itaque multa eſſe, quæ in rerum ordine efficit Deus, ſed quæ non omnia ſenſu naturæ, aut ratione comprehenduntur. Ad ea nimirum pertinet fides, cui Philoſophia tantum præluſio quædam, & quaſi cathechiſmus eſt, ut ajebat Cyrillus Alexandrinus lib 1. contra Julianum.

XV.

Reliquum nunc eſt, ut paucis exequar, an, & quomodo ſub merito, ut illud antea explicavimus, cadere queant ſeu ſpiritualia, ſeu temporalia bona; id quod haberi poterit tanquam omnium hactenus dictorum ſumma. Qua de re ſemper retinendum, quod ſtatui, meritum nihil aliud eſſe, niſi ordinem, ſeu relationem, quam inter data opera, & certum præmium poſuit Deus (a): relatio, quæ nonniſi hominum opera afficit, quatenus ex libero eorum arbitrio proficiſcuntur, quacumque ex gratia, ſeu Dei adjutorio fiant; neque enim abſurdum eſt, quod ex ordine præſentis eſt providentiæ, Deum po-

(a) *Quomodo ſub merito cadere poſſint ſpiritualia, vel temporalia bona, & prædictorum ſumma.*

potuiſſe hominibus virtutem operandi deputare, ut per proprium motum id conſequerentur tanquam mercedem, & præmium ; ad quod Deus eorum opera valere præordinavit, ſeu, ut ait D. Gregorius in orationis cauſſa lib. 1. Dialog. cap. 8 *ut homines poſtulando* (quod valet etiam pro quovis alio opere ad aliquid præordinato) *mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante ſæcula diſpoſuit donare.* Et ſane qua ratione Deus ſtatuit, ut res naturales per proprias operationes id aſſequerentur, ad quod ab ipſo ſunt ordinatæ, ab eoque & diriguntur, & aguntur, (licet ex hoc capite non habeant meriti rationem, quia ex libero, quod nullum ipſis ineſt, arbitrio non agunt, quod agunt, ut antea docuimus) eadem, inquam, ratione præſtituere potuit (præſtituiſſe autem ipſamet ſanctio legis oſtendit), ut homines per actiones ſuas ita factas, uti legis ordo ferret, hoc obtinerent, ad quod eaſdem proficere idem ipſe Rector humanæ ſocietatis Deus conſtituit. Res ex ſuperius dictis jam ſatis conſtare poteſt.

XVI.

His poſitis, ordo pro bonis actionibus, quem ſtatuit Deus, non eſt niſi ad præmium aliquod, ſeu mercedem, quam præordinavit ipſe earum cauſſa retribuendam, ſicut & pro malis pœnam (*a*). Id ratio ipſa legislationis, atque juſtitiæ demonſtrat; quippe non alius ordo intelligitur juſtus in cauſſa retributionis, niſi qui pro bonis bona, pro malis mala decernat veluti naturales, ac legitimos ſuorum

(a) *Recoluntur quædam de ordine, & ſanctione legis jam antea conſtituta.*

rum operum fructus. Nihil hic de malis dicimus, ſeu retributione pœnarum, quippe & hoc apertius eſt, quam ut demonſtrari debeat, improbis ſcilicet nonniſi mala pro operum ratione, & gradu oportere retribui; aliunde vero id ut in humana legislatione, ſic etiam in divina facile intelligitur, quin neceſſe ſit hic quæſtionem intromittere, quæ ſenſu ipſo naturæ, ita dixerim, finitur, nec multiplices, ac difficiliores, quemadmodum alia, habet explicatus. Potuit Deus ſtabilire pœnam, ſicut & quilibet Princeps, pro actu voluntario, & libero, quo aliquis ſubditorum in legem impingat, & proportio pœnæ ad culpam non alio nitetur ordine, quod ad rem noſtram pertinet, quam eo, quem Deus ipſe pro infinita ſua ſapientia, juſtitiaque conſtituit. Nemo hic mihi iterum tu bet ordinem juſtitiæ divinæ. Omnia quæcumque ſunt, juſta ſunt, prout ſunt conſtituta ſive in phyſicis, ſive in moralibus ab ipſo Deo, qui omnia voluit propter ſe ipſum eſſe, & cum relationibus, quas voluit, ad ipſum. Vid. D. Th. 1 par. q. 23. a. 5. Et de hoc quidem ſatis jam dictum eſt.

XVII.

Venientibus itaque ad conſtitutionem bonorum, quæ Deus pro operibus hominum, quatenus ſecundum legem fuerint, præſtituerit, recolenda eſt doctrina, quam ſecunda hujus operis parte explicavimus de bonitate morali, & ſupernaturali, ut inquiunt, actuum humanorum § XXXVI., quippe bonum moraliter actum diximus, qui ſecundum rectam rationem fit ex fine debito, & cæteris ejuſdem adjunctis, quod ſecundum naturæ ordinem ad omnes, & quoſvis actus, ut boni habeantur,

omnino

omnino porrigitur; bonum autem actum nominavimus in ordine ſupra naturam, qui inſuper ex adjutorio aliquo divinitus conceſſo, excedente prorſus proportionem naturæ elicitur; quod quidem adjutorii genus ad virtutes Theologicas ſolet revocari, quæ ideo, niſi infundantur, non habentur, longeque excellentiore ratione Deum ipſum attingunt, quam attingatur ab ipſa natura (*a*). Hæc perpetua, & conſtans S. Thomæ doctrina, & quæ Theologis pleriſque omnibus, atque etiam Tridentinis Patribus non uno loco probata eſt. Ratio ipſa hanc diſtinctionem admittendam eſſe demonſtrat; quippe bonus profecto moraliter eſt ille actus, quo quis ex. gr. inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellectu nititur cognoſcere, tametſi nondum, ut ponitur, fidem v. gr., nec per conſequens ſpem, & charitatem habeat; id quod multo magis iis tenendum eſt, qui negant ullam innatam, ut ajunt, ideam Dei admittendam eſſe, nihilque a nobis cognoſci, aut percipi volunt, quod ortum vel a ſenſibus non habuerit, aut ſaltem ab animi conſideratione.

XVIII.

Porro autem ex iis facilis progreſſio eſt ad propoſitam quæſtionem, ut poſſumus, dirimendam, num ſcilicet, & quomodo ſpiritualia, vel temporalia bona cadere poſſint, aut cadant ſub merito, cujus quidem rei explanatio tota pendet ex relatione, quam inter da-

(a) *Diſtinctio repetitur jam alibi conſtituta inter actus, ut non excedunt proportionem naturæ, ſeu tantum moralis ordinis habentur, & alios, qui ſuperioris ordinis ſunt.*

datos actus, & certa bona poſuerit Deus; quippe non aliter concipitur ordinatio divina exiſtere, a qua præcipue dependet meriti cauſſa, niſi in hoc ipſo, quod *talis natura tales conditiones, vel proprietates habeat, & quod talia operans talia conſequatur.* D. Th. 1. 2. q. 111. ar. 1. (a). Quo poſito illud primum conſtituo inter ſuperioris ordinis bona, quæ maxime ſpiritualia dicuntur, & ſunt, omnium ſummum, quod & ultimus eſt hominis finis, non aliud cenſeri, niſi ipſius Dei fruitionem ſecundum illud pſal. 7. *mihi autem adhærere Deo bonum eſt*; bonum quod dicit ſocietatem quandam cum Deo, quo ipſum videntes transformabimur in ejus imaginem, ipſaque ejus per viſionem eſſentia fruemur. Talia ſunt, quæ ſcripturæ paſſim de ejuſmodi ſummo bono, ejuſdemque in patria communicatione prædicant. Atqui apertum eſt ex ipſa per fidem manifeſtata Dei providentia hoc bonum nemini retribuendum, niſi prout egerit, quod rectum eſt, ex fide, ſpe, & charitate, quæ poſterior virtus, omnium tamen major, amicitiam dicit cum Deo, ſocietatem cum Jeſu Chriſto, qui futurorum bonorum eſt Pontifex, & vinculum eſt perfectionis, quo ſingulari plane ratione cum Deo colligamur, qui charitas eſt, & quo fit. ut qui manet in charitate in Deo maneat, & Deus in eo. Ergo bonum illud ſummum ex vi providentiæ divinæ non cadet ſub merito, niſi quatenus opus ex charitate fit, per quam homo ad ejuſmodi bonum ordinatur, atque hac ratione cætera, quæ di-

(a) *Ut ſub merito proprie dicto cadere dicantur, & poſſint bona ſpiritualia.*

dicuntur tantum moralis ordinis bona opera ex ſe illuc pertingere non poterunt, quippe inter hæc, atque illud bonum non habetur, aut exiſtit illa proportio, ſeu relatio, quam eſſe voluit Deus, proportio, quæ eſt in opere prædicto ex ſingulari virtute Spiritus Sancti moventis hominem in vitam æternam, & ex gratiæ, ſeu charitatis dignitate, per quam ille conſors factus divinæ naturæ adoptatur in Filium Dei, Rom. 8., & 2. Petr. 1. Ex quibus ſequitur, quod & huic principio conſequens eſt, quoniam illud ſummum bonum eſt ſolum verum, & abſolutum hominis bonum, illud, inquam tantum ſub merito ſimpliciter dicto cadere, quatenus ut illud ſolum verum eſt hominis bonum, ſic illud tantum verum, & ſimplex erit in homine meritum, quo vi operis ex charitate facti ad illud relationem habet ſecundum præordinationem divinam.

Eo pertinet, quod ajebat Apoſtolus 1. Cor. 13., ubi de præſtantioribus donis linguarum prophetiæ, fidei, ac ſcientiæ loquens, & de aliis operationibus, quæ eximiæ videri poſſent in ordine morali, cujuſmodi eſſet diſtribuere in cibos pauperum omnes ſubſtantias ſuas, corpus ſuum tradere, ita ut ardeat, e veſtigio concludit: *Si autem charitatem non habuero, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens ... Nihil ſum ... Nihil mihi prodeſt*. Eo ſpectat, quod ſcribebat D. Gregorius homil. 27. in Evangel. ſub initium: *Nihil habet viriditatis ramus boni operis, ſi non procedit ex radice charitatis*. Eo tandem revocandum, ut alia mittam loqui, quod tradidit D. Thomas 2. 2. q. 146. a. 1. ad 5. *Uſus ciborum, & eorum abſtinentia* (quod etiam de quovis alio opere ſecundum

dum rationem bono intelligendum eſt) *ſecundum ſe conſiderata non pertinet ad Regnum Dei*; *dicit enim Apoſtolus* 1. *ad Cor.* 8. Eſca nos non commendat Deo; neque enim ſi non manducaverimus, deficiemus. neque ſi manducaverimus, abundabimus, *ſcilicet ſpiritualiter*. *Utrumque autem eorum ſecundum quod fit rationabiliter ex fide*, & *dilectione Dei pertinet ad Regnum Dei*, ubi dilectionem Dei pro charitate accipit, qua ſuperius, nimirum 1. 2. q. 23. ar. 7., dixerat hominem ad Dei fruitionem ordinari, ut eſt objectum beatitudinis. Obiter hic adnoto diſtinctionem, quam agnoſcit S. Doctor inter charitatem, & dilectionem Dei, quæ dici ſolet naturalis. *Charitas*, inquit 1. 2. qu. 109. art. 3., *diligit Deum ſuper omnia eminentius, quam natura*; *natura enim diligit Deum ſuper omnia, prout eſt principium*, & *finis naturalis boni*, *charitas autem ſecundum quod eſt objectum beatitudinis*, & *ſecundum quod homo habet quandam ſocietatem ſpiritualem cum Deo*; *addit etiam charitas ſupra naturalem dilectionem Dei promtitudinem quandam*, & *delectationem*, *ſicut habitus quilibet virtutis addit ſupra actum bonum*, *qui fit ex ſola naturali ratione hominis virtutis habitum non habentis*. Atque hæc quidem ſunt, quæ latius ſolent a Theologis explicari, maxime ubi agunt *de juſtificatione*. Interim quod facit ad præſens inſtitutum, hæc attigiſſe ſat fuerit. Solum ut plenius quæ tradita ſunt percipiantur, animadverto 1. Etſi fruitio Dei dicatur ſub merito cadere, non excludi tamen, quin ſub alio reſpectu ſit gratia, ſive quia Deus ipſe eſt, qui largitate ſua dignatus eſt ejus ſe facere debitorem; ſive quia merita, quibus illa paratur, ex

ipſa-

ipſamet Dei gratia ſunt, quæ nos elevat, atque adjuvat, ut bene agamus. Primum quidem inter alios indicavit Ambroſius, quum ſcripſit lib. 8. in Lucam: *Deus petit quidem a nobis famulatum jure ſervitii, verum quia clemens, & bonus eſt, honores laborantibus pollicetur; & ſupereminet ſudoribus ſubjectorum benevolentiæ magnitudo*. Alterum vero innuit Concilium Arauſicanum can. 18. his verbis: *Debetur merces* (ſcilicet ſtatuta, ſeu promiſſa) *bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant*. Ex quo utroque capite omnino excluditur *ſuperba* illa *imputatio*, quam Grotius adnot. in cap. 17. Lucæ in cauſſa meriti ſibi viſus eſt agnoſcere, qua nempe homo putet Deum ex bono opere ſuo quaſi ſibi devinctum, vocandumque ad calculos, ut inter homines fieret, quorum alter alterum benefacto ſuo obligaſſet. Ad rem Auguſtinus ſerm. 12. de verb. Apoſt. *Aliter dicimus homini*, debes mihi, quia dedi tibi, *& aliter dicimus Deo*, debes mihi, quia promiſiſti mihi. *Deo igitur quid dicimus? Redde mihi, quia dedi tibi? Quid dedimus Deo, quando quod ſumus, & quod habemus boni, ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus; non eſt quemadmodum iſta voce exigamus debitorem Deum. Illo ergo modo poſſumus exigere Dominum noſtrum: Redde, quod promiſiſti, quia fecimus, quod juſſiſti, & tu hoc feciſti, qui laborantes juviſti*. II. Animadverto, quum ſub ratione finis concludantur etiam rationes, ſeu media ad illum ducentia tanquam præordinationis factæ executio, quæ *in tempore fit*, idcirco ſub eodem merito, quo cadit Dei fruitio, & alia contineri poſſe, quibus in ejuſmodi finem provehimur, ut augmentum gratiæ, & alia hujus

vitæ

vitæ bona, vel mala, quibus ad beatitudinem ipſam dirigimur, ac veluti manuducimur; quippe *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti.* Rom 8. (Dico *augmentum gratiæ &c.*, quippe prima, quæ dicitur, gratia non poteſt cadere ſub merito, ſive quia excedit proportionem naturæ, ſive quia homo ante gratiam in ſtatu peccati habeat potius impedimentum promerendi gratiam, quam meritum ejus.) Eo ſenſu toties dictum eſt *gratiam ducere ad gratiam*, ut ſcribebat S. Proſper; *eum, qui facit, quantum in ſe eſt, nimirum viribus gratiæ, mereri gratiam uberiorem*, uti ſæpius docuit Angelicus; ac tandem ea plane ratione ſcripſit S Auguſtinus tract. 5. in Joan. *charitas meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici*, quia nempe Deus præconcipitur hunc ordinem ſtatuiſſe, ut quo magis ex accepta charitate quis conetur ad perfectiorem actum ejuſdem, poſita ſufficienti ipſius ad augmentum præparatione, *eo magis participet charitatem, ideſt magis reducatur in actum illius, ac magis illi ſubdatur*, ut explicat D. Thomas 2. 2. q. 24. ar. 5. & 6. Eo ſpectat, quod ajebat Auguſtinus tract. 5. ſuper primam Canon. Joannis: *Charitas, quum fuerit nata, nutritur*, quod ad incipientes pertinet; *quum fuerit nutrita, roboratur*, quod ſpectat ad proficientes; *quum fuerit roborata, perficitur*, quod nonniſi in perfectis evenit. III Tandem & illud obſervo aliud etiam intelligi in hac re meritum, ſed latius acceptum, quod nimirum nititur divinæ miſericordiæ, quatenus *congruum eſt*, ſicut loquitur D. Thomas 1. 2. q. 114. ar. 5., *ut dum homo bene utitur ſua virtute* (quam tamen accepit a Deo),

Deus

Deus ſecundum ſuperexcellentem virtutem excellentius operetur. Solet ejus exemplum poni in oratione peccatoris, vel in alio quolibet virtutis actu, quod ita explicat idem Angelicus 2. 2 q. 83. ar. 15. Oratio, ſicut & quilibet actus virtutis habet efficaciam merendi (quo modo accipitur meritum vere, & proprie dictum), in quantum procedit ex radice charitatis; . . . efficaciam autem impetrandi (qua ratione latius meritum accipi conſuevit) habet ex gratia Dei, quem oramus, quia etiam nos ad orandum inducit; unde Auguſtinus dicit ſerm. 29 de verbis Domini: *Non nos hortaretur, ut peteremus, niſi dare vellet*. Quomodo adhuc intelligitur relatio quædam a Deo adducta ex ſua miſericordia inter actum orandi, & illud, quod donare diſpoſuit, ut iſtud ipſum ſub aliquo merito caderet; quatenus ſcilicet homo ipſe a Deo excitatur etiam peccator, ut id orando obtineat, quod excellentius eidem ſua largitate præparavit; Qua ratione dicitur Danielis 9. *Neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis*. Sed de hoc argumento jam ſatis multa, ut ad hunc locum attinet. Conferatur interim ea de re S. Thomas cit. loco ar. 2. & 16., item 1. 2 q. 114. ar. 9.

XIX.

Quod vero ſpectat ad bona temporalia, de quibus ſecundo loco propoſitum eſt dicere, res ita mihi videtur poſſe explicari ex ante jactis principiis (*a*). Meritum quodcumque generatim acceptum non exi-

(a) *Rurſus quemadmodum & temporalia bona intelligi poſſint ſub aliquo merito cadere*.

ſtit, niſi ex relatione, quam Deus poſuerit inter datum actum, & aliquod inſtar præmii aut mercedis pro ejus actus ratione ab ipſo Deo conſtitutum. Nulla eſt repugnantia, quo minus Deus ex. gr. inter datum actum puta virtutis moralis humanæ, & certum aliquod temporale præmium relationem poſuerit, ut nempe quum homo tale opus ex. gr. fecerit, ad quod ipſum ſua virtute promovet, tale quid aliud inferioris boni pro ſua providentia, eidem, ut ſibi placuit, reſpondeat. Ergo nihil etiam obeſt, quominus eo modo poſſit intelligi meritum aliquod comparate ad bonum temporale, quod eidem pro dato actu præparaverit Deus, & pro cujus aſſecutione agendi virtutem eidem deputavit.

Id expreſſe docuit D. Thomas 1. 2 q. 114. ar. 10, cujus argumentatio huc mihi videtur recidere. Ut homines agentes ex virtute, motioneque, quam eiſdem impreſſit Deus ad opera juſtitiæ efficienda, merentur vitam æternam, & hoc ipſo eam merentur, quia Deus illam pro datis actibus eo modo factis præparavit ut ab homine conſequendam tanquam eorumdem mercedem; haud aliter poſita præordinatione divina, ut homines quædam temporalia per datos actus, ad quos moventur, & excitantur a Deo, conſequantur quaſi mercedem operis ſui, jam iſthæc ipſa ſub merito quodam intelligentur cadere, prout ſcilicet Deus ea ratione tale quid ut præmium ab ipſis conſequendum præſtituit. Exemplum ponit Angelicus in iis, *qui moventur a Deo ad aliqua temporaliter agenda, in quibus ſuum propoſitum conſequuntur Deo favente*, quod nempe eſt quaſi quædam merces eorum operum, ad quæ Deo ipſo volente moventeque excitati ſunt. Animadvertit autem hoc me-

meritum eſſe tantum, & dici *ſecundum quid*, ſeu imperfectum, prout fert natura præmii, ſeu boni præſtituti, quod in ſe tantum inſpectum, & penes ſui ſubſtantiam, quatenus ſolum temporale eſt, non eſt bonum abſolutum, & perfectum hominis, ſed mancum, ac diminutum, & tantum homini bonum, *ut nunc*, vel ſub aliquo reſpectu dumtaxat. Rationem autem merendi eo in caſu tribuit motioni divinæ, ſeu, ut alibi loquitur, virtuti agendi, quam Deus homini deputavit, ut tale quid agens talia conſequatur, quemadmodum in merito vitæ æternæ eamdem adſcripſit eidem virtuti, ſeu motioni, ſed prout talis eſt, quæ ad vitam æternam pertineat per opera juſtitiæ, quæ ex ea fiant. Ex quo patet quemadmodum, eodem D. Thoma judice, ne in ejuſmodi quidem bonis liceat homini in ſe ipſo gloriari, ſed ſolum in Deo, qui ut præmium illud ſua tantum voluntate præordinavit, ita etiam idem ipſe fuit, qui virtutem, & motum homini dedit, ut iſtud ipſum quaſi mercedem conſequeretur, quod nonniſi per datum actum obtinendum erat. An vero Deus reapſe conſueſcat pro ſuaviſſima providentia ſua etiam humanas virtutes morales, ad quarum actus interdum homines excitat, temporali aliquo bono tanquam præmio compenſare, non obſcure innuit Auguſtinus lib. 5. de Civ. Dei cap. 15., ubi ex inſtituto de Romanis agens ſic ſcribit. Quibus ergo non erat Deus daturus vitam æternam cum ſanctis Angelis ſuis in Civitate ſua cœleſti, ad cujus ſocietatem pietas vera perducit, quæ non exhibet ſervitutem religionis, quam latriam Græci vocant, niſi uni vero Deo, ſi neque hanc eis terrenam gloriam excellentiſſimi imperii

concederet, non redderetur merces bonis artibus, eorum, ideſt virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait (Matth. *6.*): *Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam*. Sic & iſti privatas res ſuas pro re communi, hoc eſt Republica, & pro ejus ærario contemſerunt, avaritiæ reſtiterunt, conſuluerunt patriæ conſilio libero, neque delicto ſecundum ſuas leges, neque libidini obnoxii: his omnibus artibus tanquam vera via niſi ſunt ad honores, imperium, gloriam: honorati ſunt in omnibus fere gentibus, imperii ſui leges impoſuerunt multis gentibus, hodieque literis, & hiſtoria glorioſi ſunt pene in omnibus gentibus. Non eſt, quod de ſummi, & veri Dei juſtitia conquerantur: *Perceperunt mercedem ſuam*. Paria habet Chryſoſtomus Homil 67. ad populum Antiochenum: *Quum malus proſperis utitur rebus. paucorum bonorum hic retributionem capiat*; & Hieronymus, ubi in commentariis ſuis digitum intendens in eum Ezechielis locum cap. 29. de Nabucodonoſore: *Dedi ei terram Ægypti pro eo, quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus*, e veſtigio ſubdit: *Ex eo quod Nabucodonoſor mercedem recepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos non abſque mercede Dei judicio præteriri*. Non memoro hic exemplum obſtetricum Ægypti, quod omnibus ſatis notum eſt. Tantum obſervo, quod ſcribit D. Thomas 2. 2. q. 122. a. 5., etſi quibuſdam Dei præceptis etiamnum adnexa habeatur promiſſio aliqua temporalis boni, velut illi, quod eſt de honore parentibus exhibendo, *ut ſis longævus ſuper terram*, quo pertinet

tinet quoque illud Apoſtoli 1. ad Tim. 4. *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ;* mirandum tamen non eſſe, ſi aliquando aliter res ſe habeat in hac vita. Quum enim præſentia bona, vel mala non cadant ſub merito, vel demerito (proprie accepto), niſi prout ordinantur ad futuram retributionem; quis hinc ex commutatione rerum, quæ frequenter evenit, non veneretur potius, quam arguat occultam rationem divinorum judiciorum, quæ quum maxime futuram remunerationem reſpiciant, tum vero eam executionem ordinis præſtant in tempore, quam ſtatuit Deus, & eo plane ritu, ac modo, quo ſtatuit? Atque hic porro conquieſcant, & ſileant opus eſt mortalium mentes; *& quid eſt homo, ut ſequi poſſit Regem factorem ſuum?*

XX.

Igitur huc demum recidat totius ſumma rei, de qua hactenus diſputavimus (*a*). Præter meritum ſimplex, ſcilicet approbationis, vel reprobationis operis, (ubi poſteriore modo meritum in malum ſenſum accipitur) quod neceſſario deſcendit ex ipſa operis ad legem, & per conſequens ad legiſlatoris voluntatem relatione, exiſtit & aliud, quod efficax dicitur, prout ex data legis ſanctione, atque ordine conſtituto intelligitur quidquam aliud præter ſimplicem approbationem, vel reprobationem pro ipſius operis natura ſeu in bonum, ſeu in malum reſpondere, quod quidem in agens ipſum refluere percipitur, ſaltem pro tempore, ut tulerit ipſius operis conditio, quod ab ipſo ſua voluntate peractum eſt; atque illud porro appellavimus præmium, & pœnam, quæ ſtatuit Deus pro operis

(a) *Summa dictorum.*

ratione, & indole retribuenda. Dixi *pro tempore*; nam dum poſtrema executio ordinis nundum advenit, relationes hominis, dum vivit, mutari poſſunt, ut tulerint ſuarum actionum rationes, (ſalva ſemper in omnibus manente æternæ præordinationis veritate) quo in caſu homo quodammodo alius efficitur, quum ex. gr. de bono fit malus, ut vel ipſi Philoſopho lib. 9. Ethic. cap. 3. animadverſum eſt.

XXI.

Quod vero ad præmium ſingulariter attinet, nulla eſt repugnantia, quin Deus pro data operum natura, & indole diverſi generis bona retribuere ſanxerit, ne quidquam etiam, quod minoris eſſet, (quæ ſua ipſius bonitas eſt) ſine mercede dimitteretur. Ea porro merces eſt illud ipſum bonum, quod præparavit Deus, & ad quod voluit datum actum ordinem, ſeu proportionem habere (*a*). Aliquando Deus etiam in bonorum temporalium diſtributione evidentius probavit operationem ſuam, & maxime in vetere lege, ubi civile ipſius populi regimen Theocraticum erat, & qua tale temporalibus etiam promiſſionibus, ut & comminationibus abundabat. Qua de re fuſe Rabbini, ac præcipue R. Abarbanel in Levit. 26. 3. q. 1. Cæterum etſi tale quid apertius nunc non videatur, non tamen negandum eſt, quin & illuc adhuc Dei providentia, miſericordia, atque juſtitia, quam ſæpius etiam in hac vita exercet adverſus homines, pertingat ſecundum æternum illum ordinem, quem idem ipſe præſtituit. *Si nunc*, ajebat Auguſtinus lib. 1. de Civ. Dei cap. 8., *omne peccatum Deus manifeſta*

pla

(a) *Complexio eorum, quæ de præmio temporali dicta ſunt, & uberior eorumdem explicatio.*

pleƈteret pœna, nihil ultimo judicio ſervari putaretur: rurſus ſi nullum peccatum nunc puniret aperte divinitas, nulla eſſe providentia divina crederetur. Similiter in rebus ſecundis, ſi non eas Deus quibuſdam petentibus evidentiſſima largitate concederet, non ad eum iſta pertinere diceremus: itemque ſi omnibus eas petentibus daret, nonniſi propter talia præmia ſerviendum illi eſſe arbitraremur, nec pios nos faceret talis ſervitus, ſed potius cupidos, & avaros. Atque hæc ſunt, quæ maxime obſcuram reddunt mentibus noſtris temporalium adminiſtrationem rerum, quas tamen æterno quoque conſilio temperari a Deo certum eſt, ac præcipue ſecundum ordinem, quem habent occultum ad futuram retributionem.

XXII.

Quod autem præſertim in hac cauſſa intereſt ſcire, illud eſt, ſolum verum, præcipuum, ultimum hominis & præmium, & pretium, & meritum eſſe, quod bonis in æterna beatitate ſtatutum eſt, atque rependitur, ubi ſolum, & ſummum eſt hominis bonum Deus ipſe, qui fruendus, ubi idem Deus unus, & verus nec metas rerum, nec tempora ponet, imperium ſine fine dabit. Eo ſcilicet omnibus tendendum eſt, ubi unus, & proprius hominis finis. Sed illuc non niſi vera pietate, & charitate contenditur. *Si quid in homine laudabile naturaliter eminet* (ſicut de antiquis Romanis dicebat Auguſtinus lib. 2. de Civ. Dei cap. 29.) *illud nonniſi vera pietate purgatur, atque perficitur.* Interim tamen, quæquæ ſit hominis con-

(a) *Concluſio de præmio æterno, quod ſolum eſt, ac verum hominis bonum, atque ut omnibus ad illud contendendum, & quomodo &c.*

ditio, & ſtatus; nunquam ipſi negligenda eſt ratio, & rationis cuſtodia, ne munus aſſignatum a Deo deſugiat. Hoc lex ipſa naturæ fert, id ſupremum, quod ſummo illi Principi Deo competit in creaturas, ſuas, inquam, creaturas imperium. Et quis ſcit, an ſicut lex pædagogus olim fuit in Chriſto, ſic & illis ordo rationis, favente Deo, eſſe poſſit ad altiorem veritatem via, & quæ ipſis lucro futura ſit? Non ſine cauſſa omnibus naturæ lex eſt data, non ſine cauſſa inſtinctus ad ſummum bonum, cujus participationem norunt omnes poſſibilem, ſaltem ſi voluerit, & proportione, modoque, quo ſe ſe ipſum communicare voluerit Deus. Verum altius in Dei decreta non inquiramus. Neſcire velle, quæ Magiſter optimus neſcire nos vult, erudita inſcitia eſt. Quod ſpectat ad vera fide imbutos, eis nimirum eo rectius, & acrius illuc nitendum eſt, quo apertius eſt iter monſtratum ad verum bonum. Aliarum rerum umbræ evaneſcere illis debent, quibus prælucet fides, & quæ videntur hic bona vix animos tangere, quibus tanta eſt propoſita ſpes Sed interea ſemper retinendum illuc niſi per charitatem non perveniri, ubi ſcilicet viget, & regnat ſempiterna charitas Hæc eſt vera pietas, qua & colitur Deus, & poſſidetur, dum ille ſolus ſperatur, & ſolus diligitur, ut poſſideatur. En aurea D. Auguſtini doctrina a S. Proſpero in libro Epigrammaton num 20. his verſibus comprehenſa, quibus hanc tractationem abſolvimus.

Hac deſiderii Deus eſt pietate colendus,
Juſtitiæ ut merces tota ſit ipſe Deus;
Nam ſperans alio ſe munere poſſe beari,
Non quod poſcit, amat, ſed quod habere cupit.

FINIS.

INDEX

PRÆCIPUORUM CAPITUM

Quæ in hoc Libro continentur.

PARS I.

	pag.	num.
PRoſpectus Operis	1.	
Quid ſit actus hominis.	2.	1.
Actus humanus, qui deſcendit ex facultatibus ſolius hominis propriis.	3.	2.
Facultates hominis propriæ intellectus, & voluntas.	3.	3.
Uſus prædictarum facultatum neceſſarius ad actum humanum.	5.	4.
Actus intellectus, & voluntatis qui?	6.	5.
Natura actus humani completa in eo, quod ſit voluntarius.	6.	6.
Cur actus humanus dicatur potius voluntarius, quam intellectualis.	8.	7.
Quid actus humanus in ſui natura, & genere completus.	9.	8.
Actus humanus, ſeu voluntarius alius elicitus, alius imperatus.	10.	9.
Actus imperati alii interiores, alii exteriores.	11.	10.
Ex actibus humanis, ſeu voluntariis quidam ſpectant in finem &c.	14.	11.
Quidam actus humani ſpectant in media.	16.	12.
Ex actibus humanis alii magis, alii minus voluntarii.	17.	13.
Rurſus alii uſquequaque voluntarii, alii tantum ſecundum quid.	19.	14.
Actus humanus eſt, ſeu voluntarius, ſive quo bonum volumus, ſive quo malum averſamur.	20.	15.
Quo modo omiſſio ſit voluntaria, & ut habeatur voluntarium indirectum.	22.	16.
An & quomodo voluntarius effectus conſequens ex actione.	23.	17.

	pag.	num.
An, & quomodo voluntarius habeatur eventus conſequens omiſſionem.	26.	18.
Dictorum concluſio.	28.	19.
Libertas voluntatis quoad objecta, aut bona particularia.	29.	20.
Libertatis teſtimonium ex ſenſu intimo.	31.	21.
Falſæ hypotheſes contra ſenſus intimi teſtimonium de libertate.	34.	22.
Actus humani liberi qui, & quomodo.	36.	23.
De cauſſis voluntario, & libero oppoſitis.	39.	24.
Oppoſitum voluntario ad modum privationis ſimplex non voluntarium.	39.	25.
Oppoſitum voluntario ad modum contrarietatis involuntarium.	40.	26.
Non poteſt aliquid non voluntarium, aut involuntarium intelligi ſine aliqua extranea voluntati cauſſa in actum aliquo modo influente &c.	42.	27.
Nulla cauſſa voluntati extranea poteſt actus elicitos in voluntate producere ſine ipſius concurſu, aut eadem repugnante.	44.	28.
Cauſſa voluntati extranea in actibus aliarum facultatum a voluntate diſtinctarum poteſt quid non voluntarium, aut etiam involuntarium efficere	46.	29.
Cauſſa illa extranea voluntati non poteſt non voluntarium, aut involuntarium efficere, niſi quatenus aut intercipit cognitionis influxum in id, quod fit, aui inſuper voluntatis inclinationi reſiſtit.	49.	30.
Quomodo, quæ intercipit cognitionis influxum, ignorantia poſſit non voluntarium, aut involuntarium efficere: item quid violentia, quæ opponitur inclinationi voluntatis.	50.	31.
Ignorantia non influit in actum ſaltem plerumque, niſi per errorem, quo id, quod geſtum, non voluntarium, aut involuntarium fiat.	52.	32.
Quomodo ignorantia efficiat involuntarium.	55.	33.
Quomodo ignorantia reddat actum tantum non voluntarium.	57.	34.
Ignorantia ſolum, quæ ſit extranea omnino voluntati, poteſt non voluntarium, aut involuntarium efficere.	60.	35.

	pag.	num.
Ignorantia extranea voluntati eſt, quæ non intenta nec in ſe, nec in cauſſa, & aliunde invincibilis.	61.	36.
Dictorum concluſio..	65.	37.
Explicatur natura violentiæ, & quomodo differat ab impreſſione naturali.	66.	38.
Quemadmodum violentia involuntarium efficiat.	68.	39.
Quid requiratur, ut abſolute involuntarium ſit, quod ex violentia factum.	70.	40.
Qua ratione adhuc voluntarium, quod non ex violentia, ſed occaſione doloris, metus &c. factum ab homine.	71.	41.
De cauſſis libero oppoſitis, itemque ſynopſis eorum, quæ ſuperius dicta de libertate generatim.	74.	42.
Ex præhabita doctrina ſine voluntate nulla libertas.	76.	43.
Rurſus nulla libertas ratione objectorum, ſeu electionis, niſi ea talia ſint, ut ipſa poſſit voluntas ea velle, aut non velle &c.	79.	44.
Explicatior libertatis notio, ejuſdemque diſtinctio.	81.	45.
Oppoſitum libero quodam ſenſu habetur, quod opponitur voluntario.	83.	46.
Oppoſitum libero proprie dicto neceſſarium.	84.	47.
Objectum appetitionis voluntatis bonum.	86.	48.
Sola ratio boni movet voluntatem, & quomodo &c.	87.	49.
Illud determinat neceſſario voluntatem ad ſui appetitionem, quod uſquequaque bonum.	90.	50.
Sola felicitas, ſeu beatitudo tale bonum eſt, quod uſquequaque bonum videri queat, atque adeo poſſit neceſſario voluntatem ad ſui appetitionem adducere.	91.	51.
Dictorum ſumma.	92.	52.
Refutantur quædam adverſariorum argumenta.	95.	53.

PARS. II.

Diſtinctio boni, vel mali phyſici, & moralis, quod pendet ex quadam rectitudine, vel rectitudinis defectu &c.	101.	2.
Principium aliquod rectitudinis ab omnibus agnitum.	103.	3.

pag. num.

Ex communi judicio admittendum eſt aliquod principium, ex cujus relatione intelligatur actus, vel agentis rectitudo &c. 107. 4.

Ex conſenſu communi demonſtratur tale rectitudinis principium exiſtere in natura. 109. 5.

Actus bonus, vel malus &c., ut ei principio congruit, vel non congruit. 111. 6.

Bonitas, vel perverſitas actus &c. ex neceſſaria relatione ad ejuſmodi principium determinatur, quantum eſt ex rei ipſius natura. 113. 7.

Naturalis, & immutabilis actuum ſtatus, ut ex ſe ad illud principium referuntur. 114. 8.

Principium illud, ad quod referuntur, vel comparantur actus, ex ſe debet eſſe rectum, & immutabile. 117. 9.

Principium illud rectum, & immutabile haberi debet ut agendorum regula. 120. 10.

Eſt contra ordinem naturæ eam in agendo regulam non ſequi. 121. 11.

Natura ipſa nos obligat ad ejus regulæ cuſtodiam. 125. 12.

Ea regula eſt veri nominis lex. 128. 13.

Concluſio dictorum, & quid ordo moralis &c. 131. 14.

Ejuſmodi lex non eſt ſolus hominis intellectus in ſe ipſo nude conſideratus. 134. 15.

A ſolo Deo repetenda ejuſmodi lex, & vis, quam habet obligandi. 137. 16.

Dictorum ſumma. 139. 17.

Lex juſti, & boni moralis a Deo data ſola veritas. 143. 18.

Quid ſecundum veritatem vivere, quid ſecundum mendacium. 145. 19.

Ea lex, & veritas juſti, & boni moralis manifeſtata eſt hominibus per quaſdam naturæ notiones tanquam cognoſcendorum, agendorumque principia &c. 147. 20.

Intellectus, ſeu ratio hominis ut legis principiis informata, eſt proxima actuum humanorum lex. 151. 21.

Hinc propterea ratio humana diſcrepans a Dei lege, non eſt vera lex, nec bonum ex ſe, quod ſecundum eam factum. 154. 23.

pag. num.

Hinc etiam non poteſt peccari contra rationem rectam, quin adverſus Dei legem peccetur. 155. 24.

Corollarium generale: ad bonitatem actuum humanorum requiſita omni ex parte cum recta ratione congruentia, ad malitiam quilibet defectus ſufficit. 157. 25.

Quod primario pertinet ad actus humani naturam, objectum. 159. 26.

Quomodo actus dicatur ſpeciem primario ſumere ex objecto. 160. 27.

Quemadmodum ex objectis actuum quædam bona, quædam mala, alia ex ſe indifferentia &c. 161. 28.

An ad actus etiam moralis naturam pertineant circumſtantiæ &c. 165. 29.

Quomodo in naturam actus moralem influant circumſtantiæ & penes ſpeciem boni, vel mali & penes horum gradus. 167. 30.

Circumſtantiæ aliquando quid habent rationi congruens, aut repugnans magis, vel minus, quo influunt in actum &c. 169. 31.

Dictorum concluſio. 174. 32.

Præcipua inter actionis circumſtantias agentis finis. 177. 33.

Ut finis agentis ex communi ſenſu influat in operis naturam. 178. 34.

Ut influat etiam finis agentis in bonitatem, vel malitiam actus coram Deo. 181. 35.

Undenam repetenda rectitudo finis, ſeu voluntatis agentis, ut requiritur ad bonitatem moralem actionis. 183. 36.

Ad ejus finis rectitudinem primo exigitur, ut bonum, in quod fertur, voluntas intendat, & velit ſub ratione boni. 185. 37.

Ut voluntas moveretur in bonum rationis, oportuit, ut ex aliqua Creatoris lege illud videri poſſet bonum ipſi voluntati, ideſt hominis naturæ conveniens. 187. 38.

Deus revera indidit voluntati inclinationem quandam ad ſequendum bonum rationis tanquam bonum ſuum, ſeu rationali naturæ conveniens. 189. 39

pag. num.
Recta voluntas eſt in ordine naturæ, quæ ad bonum movetur ex ipſa ejus convenientia cum natura rationali. 193. 40.
Bonum virtutis humanæ moralis eſt ex ejuſmodi convenientia agere quod bonum ſecundum rationem. 195. 41.
De ordinatione hominis in finem; & quomodo ratio, ac voluntas naturaliter ordinentur ad Deum. 198. 42.
Qua ratione morales virtutes poſſint hominem ordinare ad finem ultimum. 199. 43.
Ut hominem ordinent per legem ad ultimum finem, quod etiam dicitur de naturali inclinatione in bonum rationis, & ordinis &c. 199. 44.
Concluſio dictorum de rectitudine finis agentis. 202. 45.
Summa omnium, quæ dicta ſunt de bonitate, vel malitia actuum morali &c., & ut nullus eſſe poſſit actus in individuo indifferens. 204. 46.
De æſtimatione operum relativa, & ut hæc non petatur ex eo, quod abſolutum eſt in actibus, ſeu commune &c. 208. 47.
Bona, quæ dicuntur, opera non ideo inter ſe differunt qualitate, aut quantitate boni, quod alia aliis comparata ad legem ſint rectiora. 210. 48.
Quemadmodum diſtinctio qualitatis, ſeu ſpeciei actuum bonorum ſumatur præcipue ex illorum objectis &c. 211. 49.
Rurſus quemadmodum quantitas etiam, ſeu gradus bonitatis actuum ex objecti ratione petatur, aliiſque adjunctis. 214. 50.
Æſtimatio relativa mali ut petatur ex deflexione operis a lege &c. 215. 51.
Rurſus quemadmodum eadem æſtimatio peti ex objectis, aliiſque adjunctis queat &c. 217. 52.

PARS III.

Quis ille generatim modus, de quo hic agitur, ut moralitas actuum dignoſci queat. 219. 1.
Ut cognitio ejus moralitatis pendeat ex generali cognitione legis &c. 220. 2.

pag. num.

Quemadmodum a generali legis cognitione pendere debeat quodcunique judicium, ſeu ſpeculativum, ſeu practicum de rebus morum. 221. 3.

Rurſus ut ex lege tam de præſentibus, aut futuris cognoſcere poſſimus, quam de præteritis. 224. 4.

Hinc generalis regula congnoſcendæ moralitatis actuum, eorumdem collatio facienda cum lege. 225. 5.

Præterea ad hoc requiritur veſtigatio principiorum particularium legis, & cum iiſdem comparatio operis, de quo quæritur. 227. 6.

Ejus comparationis, quæ aſſumitur, finis non alius quærenti eſſe debet, niſi cognitio veritatis. 230. 7.

Hinc inquirens debet ſemper niti in hoc, ut de rebus judicet, ut in ſe ſunt. 232. 8.

Ut conatus ad inveniendum verum proportionem habeat ad inquirentem, nec ideo quiſque de qualibet re poſſit judicare. 234. 9.

Ut ad rectum in moribus judicium præter juſtam comparationem operis cum lege requiratur ſententia recte deducta. 237. 10.

Quemadmodum in ferenda ſententia nullus voluntatis arbitrio locus eſſe debeat, ſed tantum intellectui. 239. 11.

Summa dictorum. 240. 12.

Quemadmodum non liceat morali cuicumque veritati ſub quolibet prætextu invidiam creare. 241. 13.

Ut non liceat in moribus quid præter, aut infra veritatem ſtatuere &c. 245. 14.

Quemadmodum ſola veritas in moribus vim habeat per ſe obligandi, nunquam error &c. 248. 15.

Quid, & quotuplex ſit ratiocinium, & judicium conſcientiæ, quo de moralitate operum cenſemus. 252. 16.

Sola conſcientia vera, ſeu recta per ſe obligat, errans nonniſi per accidens, ne quid contra eam adhuc manentem fiat. 255. 17.

Quid conſcientia, quæ dicitur nobis certa, quid quæ incerta &c. 260. 18.

Cujus generis certitudo plerumque haberi in moralibus queat. 263. 19.

	pag.	num.
Ut plerumque habeatur in hoc morum genere certitudo, quæ dicitur, prudentiæ.	267.	20.
Quæ, & qualis ſit moralis certitudo in particularibus caſibus obtinens.	271.	21.
Ut ſufficiat ea moralis certitudo pro rei natura ad hominis determinationem &c.	274.	22.
Quid dicendum ſit de eo, qui pro certo habens aliquid ut bonum, aut permiſſum, in illo ipſo penitus involuntarie deceptus eſt.	278.	23.
Quæ, & qualia ſint argumenta, quibus veritas pro rei conditione detegi poteſt, deque ejuſdem cognitione moralis certitudo comparari.	281.	24.
Argumenta veritatis, & certitudinis alia ex ratione, alia ex auctoritate ſunt.	282.	25.
Ut firmioribus tantum argumentis credendum ſit &c.	285.	26.
Nulla moralis certitudo rei, pro qua minora argumenta cum gravioribus confligere intelliguntur.	288.	27.
Item nulla moralis certitudo conſcientiæ in uno, eodemque homine pro utraque ſimul contradictionis parte.	289.	28.
Expenditur notio conſcientiæ incertæ, & natura dubii explicatur.	292.	29.
Ut incertitudo, ſeu dubium comparate ad alicujus rei veritatem enaſcatur ſive ex defectu rationum, ſive ex apparente æqualitate earumdem.	293.	30.
Quemadmodum dubii natura pro ſola varietate materiæ, & temporis, in quo res conſideratur, per ſe nec mutetur, nec pereat.	297.	31.
Ut non liceat cuicumque cum dubio ad legis ordinem quoquo modo pertinente agere.	300.	32.
In dubiis, quæ certa ratione excuti nequeunt, conſultius eſt, ſi fieri poſſit, ab omni judicio, & actu abſtinere.	304.	33.
Quando quidquam deliberandum in dubio eſt, tenendum quod tutius.	305.	34
Tutior pars generatim habetur, quæ cupiditati adverſatur.	309.	35.

pag. num.

Tutior, cui pro tempore ſuperior auctoritas favet. 309. 36.

Demum & illud in dubio tutius habetur, quod majoris boni cauſſam, & ordinem exhibet 311. 37.

Quid cum meticuloſis, vel inepte anxiis agendum. 315. 38.

Prædictorum omnium concluſio. 316. 39.

PARS IV.

Recenſentur quædam imputationis ſpecies, quæ extrinſecæ homini ſunt &c. 318. 1.

Quid imputare generatim, & latiſſime. 319. 2.

Quid imputare quidquam homini, ut homo eſt. 320. 3.

Nihil homini, ut homo eſt, atque agit, imputari poteſt, niſi quod fuerit voluntarium. 321. 4.

Hinc quidquid imputatur homini, nonniſi pro ratione, & modo, quo voluntarium eſt, tribui poteſt. 323. 5.

Rurſus nec eidem illud ipſum tribuitur, niſi pro gradibus, quo voluntarium fuit. 324. 6.

Idem imputationis ordo viget, ubi de prætermiſſione operis agitur. 325. 7.

Rurſus eadem ratio imputandi obtinet circa effectus omiſſionem conſequentes. 326. 8.

Concluſio dictorum. 329. 9.

Ut ad imputationem proprie dictam, quæ in moribus obtinet, voluntarium liberum prærequiratur. 330. 10.

Hinc non ſolum coacta, ſed etiam quæ ex neceſſitate naturæ abſoluta eveniunt, non imputantur, ſaltem in genere morum. 334. 11.

Ut adhuc imputetur, quidquid fiat alicujus paſſionis rationem prævenientis impulſu, modo maneat rationis uſus in eo, quod fit. 338. 12.

Ut minus imputetur homini, quod ex præveniente paſſione factum eſt, quam quod tranquillo animo. 341. 13.

Quid de paſſionibus ſentiendum, quibus affici animus poteſt. 347. 14.

pag. num.

Quomodo intelligi poſſit in actionibus hominum electio, & imputatio conſequens pro rei natura, licet ipſe ad nihil moveatur, niſi ex naturali amore ſui, ſeu boni. 355. 15.

Duo in homine principia agnoſcenda, quibus agi poteſt, intelligentia, & ſenſus. 356. 16.

Intelligentiæ, & ſenſui proprium quoddam, & diſtinctum bonum reſpondet. 357. 17.

Bonum rationis, ſeu intelligentiæ ſenſibili bono præſtantius. 358. 18.

Homo in particularibus electionibus ſuis poteſt ſe ipſum regere per rationem, quin neceſſario dicatur agi boni ſenſibilis ſpecie. 359. 19.

Ut non pugnet cum amore ſui, quod quis bonum rationis ſenſibili anteponat. 361. 20.

Hinc explicatur, quemadmodum electio cujuſque particularis rei adhuc libera intelligi poſſit in homine, & imputabilis, licet ad id, quod vult, aut agit, moveatur ex amore ſui. 365. 21.

Quomodo intelligi poſſit homo moraliter liber in electione boni rationis ex conſideratione debiti, quo obſtringitur adverſus Deum, etiam quando contra imminet mortis cauſſa. 366. 22.

Quid Deus in natura, & ratione poſuerit, cujus intuitu homo adduceretur ad vincendas cupiditatis, ac perverſi amoris illecebras. 368. 23.

Quid ferat in hoc eodem capite idea naturalis Dei ut bonorum retributoris, ſic malorum vindicis. 369. 24.

Quomodo ex prædictis haberi poſſit etiam in jure naturæ cauſſa juſtæ determinationis, ut nempe homo quidvis ſuſtinere debeat, atque etiam mortem, potiuſquam legem violare. 371. 25.

Concluſio eorum, quæ de imputabilitate dicta ſunt. 373. 26.

Applicatio eorumdem ad imputationem moralem. 374. 27.

An ex quovis actu injuſto quis in moribus dici injuſtus debeat. 375. 28.

Utrum & quomodo quis dici juſtus poſſit ex habitu, vel ex actu, quem fecit. 376. 29.

pag. num.

Ut quid amplius ad bonum requiratur, quam ad malum, ut agenti tribuitur. 377. 30.

An quoad eſſentiam actus, ut imputabilis eſt, eodem modo ſe habeat, qui efficaciter illum voluit efficere, an qui revera opus implevit. 379. 31.

Ut poſito efficaci agendi propoſito, & niſu defectus operis habeatur homini involuntarius. 380. 32.

Hinc ut per ſe nihil detrahat boni, vel mali interiori propoſito efficaci defectus involuntarius externi operis. 381. 33.

Explicatur quemadmodum ex variis adjunctis poſſit opus externum quid addere voluntatis propoſito. 383. 34.

Cur in aliquibus ſaltem in decalogo aperte prohibeatur voluntas operis, in aliis tantum opus ipſum exprimatur. 386. 34.

PARS V.

Quid meritum, vel demeritum generatim. 387. 1.

Relatio hominis ad Deum per legem. 388. 2.

Relatio hominis ad Deum peculiaris per actus. 389. 3.

Ut ſe habet actus ad Deum, prout bonus eſt, vel malus, ita ſe habet etiam homo, quantum eſt ex natura actus. 390. 4.

Hinc ut actus ex ſe bonus, vel malus comparate ad legem, ita & ad eamdem homo, & per conſequens reſpectu Dei, quantum eſt ex ipſius actus ratione. 391. 5.

Ratio meriti, vel demeriti prima eſt ex ipſa cauſſa approbationis, vel reprobationis actus &c. 394. 6.

Meriti, vel demeriti diſtinctio, quod alterum rationem dicat approbationis, alterum reprobationis comparate ad id, quod geſtum eſt. 396. 7.

Ut meritum, vel demeritum, quod ſpectat ad rei, aut operis approbationem, vel reprobationem, non ſit fictitium, aut inconſtans, ſed nixum ipſius operis ad legem conformatione, vel repugnantia. 398. 8.

pag. num.

Poſito altero ordine, quo actus valeat ad aliquem effectum a legislatore producendum, ut exiſtat in actu ratio meriti, vel demeriti efficacis. 401. 9.

Potuit Deus, immo convenientiſſimum fuit, ut effectum eum pro natura actuum præſtitueret, nimirum præmium; vel pœnam. 403. 10.

Ut revera Deus eum ordinem ad præmium, & pœnam pro actibus præſtituerit. 407. 11.

Hinc exiſtentia, & veritas meriti, vel demeriti efficacis, quæ quidem actibus ineſt pro eorum natura ad præmium, vel pœnam. 412. 12.

Explicatur cur ratio meriti, vel demeriti tantum homini competat, non aliis creaturis. 414. 12.

Ut Deus tueatur ordinem ſuum in omnibus conditionibus, quibus illum munivit. 418. 13.

Occurritur quibuſdam exceptionibus, quæ contra ejus ordinis rationem, & cauſſam afferri ſolent. 421. 14.

Quomodo ſub merito cadere poſſint ſpiritualia, vel temporalia bona, & prædictorum ſumma. 424. 15.

Recoluntur quædam de ordine, & ſanctione legis jam antea conſtituta. 425. 16.

Diſtinctio repetitur jam alibi conſtituta inter actus, ut non excedunt proportionem naturæ, ſeu tantum moralis ordinis habentur, & alios, qui ſuperioris ordinis ſunt. 427. 17.

Ut ſub merito proprie dicto cadere dicantur, & poſſint bona ſpiritualia. 428. 18.

Rurſus quemadmodum & temporalia bona intelligi poſſint ſub aliquo merito cadere. 433. 19.

Summa dictorum. 437. 20.

Complexio eorum, quæ de præmio temporali dicta ſunt, & uberior eorumdem explicatio. 438. 21.

Concluſio de præmio æterno, quod ſolum eſt, ac verum hominis bonum, atque ut omnibus ad illud contendendum, & quomodo &c. 439. 22.

FINIS.

DE mandato Reverendiſſimi Patris Johannis Dominici Piſelli Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magiſtri, & Officii Sanctæ Inquiſitionis Taurini Vicarii Generalis Librum, cui titulus: *Inſtitutiones de Actibus Humanis ex Juris naturalis &c.* a Clariſſimo Viro PETRO ANTONIO GHIO Sacræ Facultatis Doctore, & Theologorum Ampliſſimi Taurinenſis Collegii Socio attente, ac ſumma animi oblectatione perlegi; in eoque non ſolum nihil deprehendi, quod Orthodoxæ Fidei, & ſanæ doctrinæ adverſetur, quinimmo optimam methodum, ſtyli perſpicuitatem, eruditionis copiam admiratus ſum, præſertim quum ad ſtabilienda ſolida morum principia, figendaſque recti, & juſti notiones adverſus noſtri temporis Incredulos maxime conducat. Propterea ut publici juris fiat utillimum cenſeo, ſi viſum fuerit &c. Dat. Taurini in Conventu Sancti Franciſci de Paula die 9. Auguſti 1770.

F. Petrus Johannes Burtius Ordinis Minimorum Sacræ Theologiæ Lector Jubilatus, & Sancti Officii Conſultor.

Attenta ſupradicta Atteſtatione .

IMPRIMATUR.

Johannes Dominicus Piſelli Ordinis Prædicatorum S. T. M. Vicarius Gen. S. Officii Taurini .

V. Franciſcus Ferrerius Collegii Theologorum Taurinenſium Præſes .

V. Se ne permette la ſtampa.
GALLI per S. E. il Sign. Conte Caiſſotti di Santa Vittoria Gran Cancelliere .

ERRATA			CORRIGE.
pag.	*linea.*		
45.	8	*conſenſione*	*conſenſionem*
104.	17.	aliquid boni	(*addatur*) vel mali
194	24.	boni ſui, inquam,	boni, ſui, inquam,
225.	30.	*remiſſione*	*prætermiſſione operis*
361.	3.	*nulliſque*	*nulloſque*

Digitized by Google

Digitized by Google